





Caspar fert Myrrham, Thus Melchior, Balthasar Aurum.
Haec tria si scribas, optima nomina Regum.
Solvitur à morbo, Christi pietate, caduco.

Scribatur in schedulam, et in festo S. trium Regum supra dictam schedulam, legatur missa deinde infirmi collo affigatur.

Cum gratia Dei. sanabitur.

VIRTVTE DVCE,



COMITE FORTVNA.

SEBASTIANVS GRYPHIVS
GERMANVS EXCVDE
BAT LVGDVNI
ANNO

M. D. XXX.

D. ANDREAE AL-
CIATI MEDIOLANENSIS,
IVRISCONSVLTI CLARISS.

Paradoxorum, ad Pratum,	lib.	VI.
Diſpunctionum,	lib.	IIII.
In treis libros Cod.	lib.	III.
De eo quod intereſt,	liber	unus.
Prætermiſſorum,	lib.	II.
Declamatio	una.	
De ſtip. diuiſionib.	Commentariolus.	



EX NOVISSIMA AVTORIS
RECOGNITIONE.

Cum gratia & priuilegio Cæſareo.

AD LECTOREM.

Ἀλκιάτου τὴν ὅστις ὁρᾷς βίβλον ὦ ξένε σεμνὴν,
Ἐξόχου ἐν ἀγοραῖς, ἐξόχου ἐν ἀρετῇ:
Μὴ ταχέως κατάκρινον, ἐπὴν σχολάσῃς τε γίνωσκε,
Τὸ ῥεῖμα φρασσάμενος ὡς ἐπιδειγματικόν.
Τὸν μέγαν ἐν στιγμαῖς, καὶ τὸν μέγαν ἐν παραδόξοις,
Εὑρήσεις λαμπρὸν τῆς τε φάος νομικῆς.

ALCIATVS LECTORI S.



AGITVR, niſi fallor, duodecimus annus, lector optime, cũ ciuilis pontificijꝗ iuris profeſſorijs inſignibus primum ornatus, Paradoxa Diſpunctionesꝗ in publicum emiſi: opus à me adhuc candidato & tyrone, ſucciſiuis horis elaboratũ. quoties enim ea quæ à præceptoribus meis acceperam, ſtudendo mecum ipſe perpendiſſem, ſi qua probabilibus argumentis cõfutatione digna uidebantur, ne confeſtim memoria exciderent, quibuſdam quaſi aduerſarijs ſcribere conſueueram: quæ omnia tum in manus accepta, cum paulò accuratius expolijſſem, in codicẽ uerasꝗ tabulas referenda duxi, ſicꝗ cum ſtudioſis communicanda. quod opus nõ tam ut gloriam, cuius illa ætas ſolet eſſe auidiſſima, captarem, à me æditum fuit, quàm ut aliquo modo Doctorum, qui tum ſtudia hæc noſtra profitebantur, iudicium conuellerem, qui bonarum literarum cognitionem non modò Iureconſulto non neceſſariam ubiꝗ inclamabant, ſed contrariam potius, & ſerijs omnibus ſtudijs blanda quadam & illici uoluptate repugnantem: quapropter non ſecus quàm à nauigantibus homericæ illæ Syrenes euitandam, Vlyſſisꝗ exemplum imitandum, qui ſe mâlo nauis alligauit, ſocijsꝗ aures cera illeuit, ne uocum modulatione capti, cœptum curſum non tenerẽt. quæ ab eis ut non prorſus in omnibus falſa, abſꝗ tamen delectu ubiꝗ prædicari æquo animo ferre non poteram: quoniam id fieri hominum more apparebat, ea libenter damnantium, quæ aſſequi ipſi non potuerunt. nec enim ex eis tunc quiſquam in precio habebatur, qui non egregiè (uno aut altero exceptis) omnium aliarum artium rudis eſſet. ſatis itaque mihi abundeꝗ factum eo tempore arbitrabar, ſi ſuum literis humanioribus honorem ſeruaſſem, iungiꝗ eas noſtra tempeſtate ſapientiæ ſtudijs poſſe docuiſſem. quę omnis ſpes expectatioꝗ mea à principio planè me fefellit: nam & iuris Doctores tanquam transfugam me inſectabantur, ſcriptisꝗ ſuis laceſſere non deſinebant: apud humanitatis uerò profeſſores, tanquam alieni hominis, nec mihi locus, nec ratio ulla cõſtabat: quorum alij me tanto æri ſoluendo non eſſe, alij prædijs prædibusꝗ non ſatis idoneum, alij alia cõminiſcebantur: quo factum eſt, ut maximam apud omnes inuidiam loco glorię adeptus mihi uiderer: diſtædebatꝗ eius ſuſcepti incaſſum, uel potius magno cũ malo meo laboris: nec ut opus illud reſpicere amplius uellem, in animũ inducere poteram: donec paulatim inſinuauit ſe ad ſtudioſorũ gratiam liber, omnibusꝗ in prouinciarum gymnaſijs locum ſuum pedetentim obtinuit. cuius rei mihi argumento eſſe cœpit, & quòd à pleriſꝗ doctis undiꝗ ad me datæ ſunt literæ, quæ & eius rei nomine gratias agerent, & ad alia ædenda inuitarent: & quòd pluribus prælis in Italia prouincijsꝗ excuſus, diligenterꝗ à Cratandro BASILEAE conformatus, nullo nõ in loco reperiebat emptorẽ. addidit planè hæc celebritas mihi calcar, & quẽ ferè deſponderam animũ reſtituit: cœpiꝗ rurſus in manus accipere &, ſi qua prioribus in æditionibus errata erant, corrigere: adeò enim à quibuſdam deprauatus fuerat, ut ſuſpicari potuiſſem, conſultò atꝗ dedita opera id factum: niſi cognouiſſem, in cæteris quoꝗ aliorũ operibus eandem eos diligentiam adhibere ſolitos. quapropter non eſt quòd de eis ulterius conquerar: maius mihi negocium eſt cum detractoribus: è quibus aliqui ſtylum tanquam non planè Ciceronianum damnant. quibus reſpondeo, iniquè eos mecum agere, qui cum ipſi in ſinu & ſub puluino Ciceronem ſemper habeãt, eiusꝗ elegantiã, copiam, ſuauitatem non ideo præſtant, hæc à me requirunt, qui cum Bartolo, Baldo, Alexandro, Iaſone ſolùm uerſor, eosꝗ autores in delicijs habeo. illud tantum Ciceroniani mihi habere uideor, quòd ſicut Auguſtinus ſcribit, in eius libris aliquos deprenſos eſſe manifeſtos à doctis ſolœciſmos, quales quandoque etiam diligentiſſimis excidunt, opinor in noſtris pleraꝗ eſſe uitioſa: quæ omnia ego fortis uir ſtomachi, nihilominus æqui boni facio, ut qui non adeò ueterum religioſus obſeruator fuerim, quin etiam aliqua de recentioribus Doctoribus mihi mutuo accipienda ducerẽ: dum tamen non omnino barbara eſſent, ſed exemplo aliquo uel Theodoſiani ſeculi autorũ, defendi poſſent. Alij titulum reprendunt tanquam nimis ſuperbum, qui Paradoxa inſcripſe

rim: quod admirabilia ipsi interpretantur. sed cum παράδοξον apud rhetores argumentum & illud sit, quod in fronte (ut Hermogenes ait) malæ est opinionis: uel quod, cum maximam expectationem fecerit, leue aliquid (ut Quintilianus existimat) inducit: cur potius hanc interpretationem non assumunt? & me ampullosi lemmatis crimine non absoluunt? quamuis & ipsi sciant, me non alia ratione ita inscripsisse, quàm ut ostenderem, quæ hîc disputantur conclusiones, præter communem sententiam esse. sed hi uidentur nobis hanc cõtumeliæ notam à Momi ipsius historia accepisse: quem fama est, cum in Veneris pulchritudinem nihil dicere posset, in deæ crepidas, uti obstreperas, maledicę linguę uirus effudisse. Sunt qui nimiam mihi sermonis breuitatem obijciant, copiamq́ requirant. quibus respondeo, id à nobis consultò affectari: quin & solere me eos ridere, qui aliter scribunt: non quòd flumina illa eloquentiæ exhauriri uelim, sed quod rarius id donum est, quàm ut ego sperauerim mihi posse cõtingere: quapropter nec affectaui quidem, uno excepto Cicerone, in quo non minus laudantur sententiæ, quàm uerba. mihi uidetur cęteros consultius fuisse facturos, si breuitatem affectassent. ubi tam improbatur Seneca, quàm cum copiosus (quod tamen rarò facit) haberi uult? nam nec Quintiliani declamationes, nec Apuleij defensiones, satis eorũ doctrinæ (ut pleriq; tradiderunt) respondent. at enim in operibus suis autores laudare, eorũ integra dicta chartis inscribere, cõgeriemq́ huiusmodi facere, ego hominis ocio suo abutentis esse censeo: sicut & qui omisso in quem intendunt scopo diuagantur, argumentumq́ aliquod declamatoriũ assumunt, non satis scire arbitror, quo res quæq; loco statuenda sit: quapropter & ipse unam itemq́ alteram epistolam hinc summoui, ne huius ἀταξίας causam, amplius dicerẽ. sunt iuris ciuilis sicut alia pleraq; studia adeò diffusè tractata, ut publicè intersit, eam ingentem syluam potius recidere, quàm magnis commentarijs lectorem onerare: quod & Caius ex nostratibus sensit: & qui sub porticu philosophabant̃, pro dogmate habent. Sed & in Paradoxis quædam à nobis concisè dicta, nolui in præsentia latius attingere: quòd à me alijs in operibus fusius tractata fuerũt, quæ & ipsa quandoq; emittentur. nec enim omnia unum in locum congerenda sunt. cesserit hoc feliciter patrum memoria aliquibus: faciant qui nunc in humanis degunt: non tamen ea in parte aliam laudem uidentur dignè posse cõsequi, quàm quæ solet Firmiano, uel Brixiensi, uel syllabographis (ut grãmaticos quoq; attingam) huiusmodiq́ repertoriorũ consarcinatoribus tribui. In Dispunctionibus uerò omnes omnino locos restituere potuissem, quibus uel Pandectæ Florentinæ, uel alij uetusti codices à uulgatis dissident: idq́ factu mihi facillimum fuisset: sed malui ea tantum recensere, quę probabilem in iure aliquam dubitationem faciebant, aut unde errori ansa præstari potuisset: ne uiderer etiam librariorum ipsorum munus mihi prę̈ripere: & quod auari uinitores solent, ne racemationem quidem reliquam tenuioribus facere. in utrisq; certè ita à me actum est, ut Tuccæ Variq́ exemplo subsecanda potius quædã censuerim, quàm locupletanda: tametsi adeò cõdus dispensator hac in re esse nõ potuerim, quin & quædam paulò uberius explicarem, quædam penitus obelo confoderem, aliaq́ substituerem, posterioribus (ut dici solet) melioribus. At hîc uideo posse calumnijs locum esse, & non defuturos, qui me hoc modo errata mea confitentem damnent, & ceu talpam, qui indicio suo perierit, irrideant. sed hi uelim sciant, id à me & magna ratione, & maximis exemplis factum: cur enim dum famæ meæ consulo, in publica studiorum causa præuaricer? docuerim ea aliquando, multos annos profitendo probauerim, nõ tamen mutati iudicij mei defraudare uolui studiosos. fecit id Hippocrates, medica arte clarissimus, qui, ne posteri errarent, quædam malè à se tradita primus correxit: fecit M. Cicero, cui cum rhetorici libri, quos iuuenis ędiderat, non satis placerent, de Oratore ad M. Brutum scripsit, & à se iam tradita pleraq; prædamnauit. sic & Fab. Quintil. cum prius duos de rhetorica libros scripsisset, hiq; dein satis sibi non probarentur, duodecim illos celeberrimos composuit: quibus & priores emendauit, & maximam famam est consecutus. meritò igitur, quod alijs etiam laudi datum hactenus fuit, fraudi nobis esse non debet. detur hæc uenia scriptoribus, hocq́ præmio ad publicanda studia sua alliciantur: in quibus erranti sit concessa emendatio, & noua (quod dicitur) lima. rectè quidem

quidem suasit Horatius, ut in annum nonũ premantur, quæ diutius durare uelimus: sed quotus quisq; ille est, qui eiusmodi præceptum possit obseruare? sunt qui ex tempo pore, quàm à cura, præstantiores habeantur: sunt qui adeò ingenio suo indulgeant, ut compescere nimiam licentiam non possint: sunt qui & à se composita semel approbẽt, corrigendi tædium non ferant. dicebat Pub. Ouidius, decentiorem esse faciem, cui aliquis inesset neuus. omnibus certè tanti temporis expectatione à fucis imminet periculum, qui alienis laboribus insidiantes, quę surripuerunt, pro suis uenditant. Thales Milesius cum astrorũ scientiam Mandraytum Prienensem docuisset, magnum præmium offerenti discipulo dixisse tradit: næ egregia repensa mihi merces erit, si quæ à nobis didicisti, tuo nomini non adsciueris, sed eius me inuenti potius, quàm alium autorẽ prædicaueris. bellissima certè merces, & tali uiro digna, sed quæ rarissimis bona fide præstetur. nobis certè non ea fuit felicitas, ut (præterquam à paucissimis) eam consequi potuerimus. atqui potius in contrarium uertit: nam si quicquam à me laude dignum excogitatum est, id silentio transmissum: si quid ambiguum, id in malam partem acceptum à quibusdam fuit, & in autoris notam deriuatum. fuerũt & ex his qui ea me dixisse confingerent, quæ ne cogitaui quidem unquam. Exijt nuper libellus, quo falsi reus deferor, quòd Pyllei, & Gulielmi intellectum (sic enim ille loquitur) surripuerim: cum accusator ipse nullum habeat, & cõmuni careat sensu, qui subijciat, in Paradoxis me docuisse, mixtum imperium cum iurisdictione idem esse: cum nemo, nisi planè delyrus, non uideat, contrarium semper & ubiq; à me tradi. sed forte tanta morositate obscuratus mihi est stylus, ut intelligere quid senserim non potuerit. atqui cum id uitio mihi dari uererer, eius rei periculum hoc modo facere uolui. Erat studiorum comes amiculus quidam meus, uir iuris quidem sciens, atque in hac professione admodum acutus, sed aliarum omnium doctrinarum penitus alienus: huic capita quædam ex Paradoxis tradidi, eaq; potissimum, quæ obscuriora arbitrabar, moxq; congressus, deprendi omnia ab eo optimè percepta: & dum adsit legum cognitio, facilè dictata nostra à quouis posse intelligi: ut appareat, qui hæc obijciunt, & legum imperitia, & animi uitio huiusmodi comminisci. illis igitur nihil est quod aliud precer, quàm ut meliorẽ dij dent mentem: ut tandem deprendere possint, quàm iniustè ingrateq; nobiscum agant, qui commodo pro nostris opibus conuiuio accepti, & ut ille apud Plautum inquit, nucibus, fabulis, ficubus, quia acipenserẽ non apposuerim, omnia mali consulant, & Lapithis deteriores non solùm in conuiuas, sed in ipsum uocatorem arma conuertant. reijcit huiusmodi homines à carminis sui lectione Sedulius: sicut inuidos & uitilitigatores à libro de re militari Cato, à naturali historia Plinius. nequeo temperare, quin quod compertum mihi sit, hìc referam. Nuper in πυλβοτάγων Vniuersitatem reuersus est à transalpinis professionis nostræ Doctor quidam nouellus: is ut ea peregrinatione nõ solùm nostratium uitia (quod aliqui faciunt) sed uirtutes quoq; addidicisse uideretur, cuiusdam legis, ad præscriptorum uerborum, ut opinor, tractatum pertinentis, interpretationem pro suggestu aggressus est. in ea cum pleraq; dixisset, quæ dubiæ mentis hominẽ arguebant, in eum deinde sermonẽ incidit, ut diceret, aliter à se legum nodos intelligi quàm ab ALCIATO, qui nihil aliud apud nos, inquit, facit, quàm quòd floretat iura. uoluit uir facundus hoc quoq; uerbo ciuitatem Romanam augere. aderant docti quidam, qui hisce auditis, seu hominis arrogantiam perosi, seu risus captandi causa, cum sententiam rogarentur ita decreuerunt: quæ ALCIATVS floretat, iste oletat. sed quid ego in id hominum genus calami aciem ulterius distringam? qui uel nostra hæc non legunt, uel lecta non intelligunt: quid iuuat (ut rectè inquit Naso) ad surdas si cantet Phemius aures? Ad alios transeundum, qui eruditionis fama, doctrinæq; nomine in magno sunt precio: è quibus tamen aliquos cernere est à nostris traditionibus dissidentes: sed hos tantum abest, ut reprendere, aut læsi candoris insimulare uelim, ut gratias ultro agendas potius arbitrer: cum enim à me humaniter, & adiecta causa dissentiant, non est quòd de eis iustè conqueri possim. Solebant ueteres priusquam aliquid æderent, amicis suis annotanda opera tradere, eorúmque explorato iudicio, & perpensis emendationibus, tum demum plurimis recitare. mihi ea sors non potuit con-

tingere, seu quòd μιξοβάρβαρον, ut ita loquar, neminem in consilio habere tum licuit, qui iuris studia calleret, & à musis alienus nõ esset: siue quòd nostris temporibus apud multos ea ferè synceritas interierit, faciliúsque inter earundem doctrinarum professores reperias, qui carpant & inuideant, quàm qui candidè erroris admoneant: quotus enim quisque est, qui nostra tempestate tantum amicitiæ tribuat, ut alieno in opere, in autoris gratiam uelit ingeniosus esse, & aliquas horas studijs suis subtrahere, quas castigandis amici erratis concedat: idque præsertim in serio inamœnoque opere, qualia sunt iuris ciuilis pleraque. meritò igitur plurimũ me his debere fateor: si tamen non tam de uictorię laude fuerunt soliciti, quàm de præstando consilio. uerùm utcunque sit, quòd publicæ utilitati inseruientes ea conscripserint, apud me in honore erunt: non enim iudiciũ meum lapis est (ut uocãt) lydius, ut qui à me dissentiat, nihil sentiat. fieri potest, ut quibus in locis ego allucinatus sum, in his certius ipsi perspexerint. nemo mortalium omnibus horis sapit. dissentiunt inuicem in republica quandoque summi uiri, illabefacto priuatę necessitudinis uinculo. dissentiebant ueterum sectarum principes philosophi, salua tamen mutua (ut uerisimile est) gratia. Et hęc quidem quod ad alios attinet satis & super. Ego, candide lector, si maius ocium consequi potuissem, pauloque minus ordinario docendi munere distraherer, & duplici fœnore locupletatum opus emisissem, & ea, in quibus pyrrhonico more, ceu ambiguis, lectori amplius deliberandũ censui, quoquo modo declarassem: quę tamen spero fore, ut quamprimum alijs à me lucubrationibus dilucidentur. quod enim ad has pertinet, satis fuerit nouissimam hanc adhibuisse limã, ne toties reformatus liber, Protheum nobis quendam, aut Acheloum uideatur repræsentare: non enim hac lege à me æditur, ut alibi sententiam mihi mutare, si meliora nactus fuero, non liceat. στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν, inquit apud Homerum Iris. tu Vale: & fausta interim ALCIATI tui laboribus precare. Biturigibus XII. Cal. Septemb. M. D. XXIX.

AMPLISS.

AMPLISS. ET INTEGERRIMO VIRO, ANTONIO À PRATO, FRANCIAE MAGNO CANCELLARIO, ANDREAS ALCIATVS IVRISCONS. S. D. P.



PTIMA ratione à maioribus institutum est, amplissime Cancellarie, ut cuiuscunque argumenti opera æderentur, ea principis alicuius uiri nomine dicata exirent in publicum: tum quòd ea sit literarum dignitas, ut neminem non longè honestiorem faciant: tum quòd qui diuulgantur libri, ob maximam uitilitigatorum (Catonis uerbo utar) insectationem, caninamq; facundiam, patrono defensoreq; plerunque indigeant. Quod cum & ipse animo meo diu uersarem, nullum in locum mihi uisus sum quantulascunq; nostras lucubrationes posse tutius reponere, quàm si sinui tuo cõmendarentur. De iure enim ciuili dissertaturo, quæ nobilissima cæterarum professio est, consultissimum, generosissimumq; iudicem titulis prætendi æquum fuit. Sed & cum Paradoxa, id est præter cæterorum opinionem, scripturum me in ipso limine prodiderim, multum mihi inuidiæ uel titulus ipse cõcitaturus uidebatur: quapropter non alio, quàm nominis tui clypeo eam retundendam existimaui, ut te nobis ἀλεξίκακον ferè Herculem inuocare non dubitauerim. Et licet nequaq; me lateat, quantæ sint in republica occupationes tuæ, quamq; pro regiæ maiestatis negocijs indefesso animo excubes: ea tamen ingenij tui est acrimonia, ut nihil sit humeris tuis maius, nihil, quamuis cæteris non ferendum, quod tibi factu facilimum non sit. Quapropter obrepente interdum tibi ocij memoria, ubi grauiores res à te interim segregaueris, in amœniora studia soles diuertere: & quicquid temporis tibi de sacris autoribus superest, id omne libenter legibus, legumq; interpretibus impendis. Quæ animi tui clarissima instituta, mirum est quantum me impulerint, ut à uirtutis tuæ contemplatione oculos deflectere nunquam possim: & tametsi ad tanti decoris, ceu ad solis radios inspicienti, illi quandoque caligent, non desisto tamen, quin egregia facta, uel per transennam inspecta, usq; & usque admirer. Est enim hæc tua Cancellarij magni dignitas huiusmodi, ut ingens semper aliquid pariat, paratumq; inde semper quippiam sit, unde maxima gloria, uirtutisq; admiratio erga autorem indies magis repullulet. Celebrent Archontas suos Athenienses, laudibus euehant Ephoros Lacedæmonij, sint apud alios in precio Dicastæ: Tu unus in amplissima prouinciarum Gallia, omnia horum munia magno animo suscepisti, incomparabili uirtute illis te quoque maiorem ostendisti. Apud Romanos ita diuisa fuit Galliarum (quod Marcellinus scribit) iurisdictio, ut propter prouinciæ magnitudinem, populorumq; frequentiam, quatuor proconsules acciperet; qui tamen tantæ administrationi uix pares erant. At tu solus undique ingruentia negocia sic explicas, tanta celeritate perficis, ut etiam aliquas horas possis subtrahere, quibus bonis literis indulgeas. Meritò igitur tibi Paradoxa hęc nostra dicare institueram, quòd tantus uir iuris ciuilis, Pontificijq; scientia eruditissimus, totius operis optimus iudex, & censor esse poteras. Non ab re equidem fuit, ut qui supra omnes Galliæ magistratus ob uirtutis unicum planè specimen ascendisti, legum interpretamenta susciperes: & ueluti Aristarchus, uel asterisco insignires, uel obelo confoderes. Illud me tantum deterrebat, quòd tyronem me, & de gymnasijs uix eductum, uererer ne talia moliri, nimis temerarium existimaretur. Non iniuriáque ingenij tui summum examen formidabam, qui fortasse probaturus non esses, ut tam citò contra receptas sententias, & præiudicij præscriptione tutissimas, scribere auderem, atque tibi primario in Gallia uiro dicatas ædere. Verùm & pari audacia timorem hunc transmisi, quòd præsertim ad maiora quoque tenderem. Etenim si feliciter hoc mihi, qualecunque est opus, cederet, animo euoluebam, quinquaginta ipsos Digestorum libros, summa breuitate, ut nihil tamen dignũ lectu omitteretur, Latino, & quantum in me esset, eleganti sermone interpretari, glossemataq; seu scholia Accursij, more Iurisconsultorum marginibus inspergere. Quod

negocium, quoniam summo in ea re iudicio opus esse me nequaquam latet, aggredi adhuc ausus non sum, uoluiq; prius in leuioribus his operibus uires meas experiri. Quare interim hæc, clarissime pater, læta fronte, qualem studiosis omnibus præstare soles, accipe: quæ nos tibi candidissimo certè animo nuncupauimus: non quòd nomini tuo his tibicinibus opus esset, sed ut sub tanti uiri patrocinio à mala lingua innoxius liber per docta hominum ora uolitaret. Cæterùm ne(quod ille ait)in commoda publica peccem, si longo sermone morer tua tempora Prate, non duxi prolixiore epistola mihi agendum: tu illud in summa habe, quicquid ipse ingenio, uiribus, calamo possim, id omne tuo nomini addictum, obnoxiumq; esse: solumq; hoc uicissim à nobis rogari, ut in clientium tuorum ordinem me conijcias. Quod scio de te humanissimo uiro impetratu facilimum fuerit. Bene uale, amplissime domine.

ANDREAE ALCIATI PARADOXORVM IVRIS CIVILIS LIBER PRIMVS.

PROOEMIVM.



VM ALIQVID OPERIS QVISquam aggressurus est, uel Horatio admonente docemur, debere eũ prius uires suas diligenter examinare, ne fortasse in medio (quod aiunt) stadio deficiat, & assumpto oneri impar succumbat. Id cum mihi ipsi ut usu ueniret, fore dubitarem, decreuerã omnino ab hac, quã parturire animus cœperat, prouincia me abstinere, uel perpetuò, uel sanè dum meliusculæ uires accederent. Nam in studijs perquàm arduis tyronem huiuscemodi negocia aggredi, præmodum audax temerariũq; inceptum uidebatur: sed tamen ut facilè homines nobis ipsis ignoscimus, malui ego quoq; exemplo Diogenis, dolium sursum deorsum uoluere, quàm inter oscitantes nihil memoria dignum agens, uti feriata acies ferrugine obtegi. Prospiciebam enim, etiamsi in multis deficeremus, non omnino tamen inutilem posteris nostrã hanc curiositatẽ fore: quoniã tametsi à nobis non satis doctè quædam æderentur, exemplo saltẽ adacti alij longè felicius idem fortasse auderẽt, mihiq; is honos dein deberet, quòd in iure ciuili latinè scribi posse, post mille & eo amplius annos primus docuissem, quodq; alios exemplo traxissem meo. Fuere nostra & patrum nostrorum memoria, qui idem in alijs studijs affectauerint, ut in philosophia, in dialecticis, in medicina, astrorumq; cognitione, quamplurimi: sed in legum scientia, tanquã impossibile id esset, nemo, opinor, ante nos attentauit. Et quoniam auguror futuros, qui & maiorem eloquentiam fortasse desiderabunt, ij uelim pauxillum expendant, num materia ipsa suadelam hanc, styliq; blanditias admittat. Quòd si in philosophicis Lucretius, in cœlestibus Manilius (dij boni quales autores) ornatum hunc suis impossibilem scriptis esse duxerunt, quis id à me semidocto homine, etiam durissimus censor requirat? Deniq; si in toto opere aliquid erit quod ad stomachum non faciat, is uelim sciat, eum qui primus nauigare, colere, ædificare cœperit, nõ omnia eius artis sciuisse, quæ ex usu demum reperta sunt: mihi satis sit, hoc profuisse iuris ciuilis studiosis, quòd difficillimas quasq; quæstiones latino sermone explicari potuisse cognoscent: tum multa præter aliorum sententiam inducta, quæ quàm uera sint, ipsi censeãt. Tot enim opinionibus referta sunt huius disciplinæ uolumina, ut superuacaneum existimem & ineptum, quicquam pro certo adserere. Erramus omnes, & Anabatarum more clausis oculis plerunq; decertamus. Etsi illud meritò profiteri possim, quicquid à me dictum, disputatũ est, existimare optimo iure defendi posse: quòd in primis ea mihi cura fuit, ut non

nisi quod à cauillo abesset, affirmarem: cum duro enim hoste digladiantem, fortissimis telis instructū esse oportuit: siquidem ea est multitudinis autoritas, ut iam hac in scientia non uniuscuiusq; singularis uirtus, sed scriptorum numerus obseruetur. Cum itaq; præter eorum opinionem omnia hæc asserta sint, sola in lectoris humanitate confidentia mihi fuerit: quòd si eos professores quotidie laudibus extollimus, qui ueterum incuriam, cum facultas adest, detegunt, noua ipsi excogitant: cur æquali iure mecum agi non debeat, certè non uideo. Lege feliciter. C

QVAE SINT STIPVLATIONES PRAETORIÆ, quæ iudiciales, quæ communes, & quemadmodum à Doctoribus locus hic malè percipiatur. CAPVT I.

In. l. quinta. ff. de uerb. ob.



Tipulationum treis species, prætorias, iudiciales, & communes, aliter nostri legum Doctores declarare uidentur, quàm & ueteres Iurisconsulti acceperint, & ueritas ipsa admittat. Prætorias eas esse opinantur, quæ ex prætoris edicto semel introductæ sunt: qua ratione & ius prætorium dicimus. Iudiciales, quæ à lege aliqua ciuili descendunt. Communes, quæ partim ex lege ciuili, partim ex prætoria oriuntur. Hanc sententiam, quòd omnes approbarent, & ipse tandiu sum sequutus, quandiu non animaduerti à ueritate longè abesse. Quocirca in primis id animaduertendum est, Pomponium Iurisconsultum [a], ex cuius responsis hæc diuisio colligitur, si eius uerba subtiliter perspiciantur, in hisce stipulationibus non originem, à quo introductæ sunt, sed exercitium, coram quo uidelicet proponantur, perpendisse: & quòd ita res se habeat, efficacibus quoq; argumentis conuinci potest. Nam cautio de dolo proculdubio iudicialis est, [b] & tamen ab edicto prætoris descendit; nō solum generaliter, quod ostendit in Digestis titulus De dolo, sed etiam eo casu quo interponitur de persequendo qui in fuga est seruo: quem casum pro exemplo huius stipulationis in institutionibus Tribonianus adducit [c]. Demonstrat hoc Vlpianus [d] in tractatu, quòd metus causa, ubi ex uerbis edicti istud fieri autor est. In cōmunibus quoq; stipulationibus eos errare fortissimum argumentum est, quòd in confesso est, cautionem duplæ communē esse: cuius causam Bartolus, cæteriq; dixerunt: quoniā si super seruo, prætoria: si de cęteris preciosis rebus, iudicialis esset. Sed quænā hæc ratio est quæso? duæ species simul iunctæ tertiam efficiunt, quando singulæ ex se censeri non possunt, aliter minimè [e]. Cur ergo in nostra quæstione id nō est? & nouum genus non inducant, sed alteri semper cautio adhæreat. Quinetiam (ut ad iudiciales transeam) si hæ à lege initiū trahunt, cur sicut à prætore prætoriæ, ita ab lege legitimæ non uocantur, uel à iure ciuili ciuiles? Ipse igitur, ut à Iurisconsultorū [f], qui de his loquūtur, uerbis nō discedam, prætorias stipulationes eas arbitror, quæ solius prætoris iurisdictioni relinquunt: quarum alius iudicis notio non est: quo in numero olim erant stipulationes, quæ dationē tutelarum respiciunt: idem & in cautione damni infecti, quā suæ iurisdictioni reseruare prætores iuribus [g] quoq; testatū manet: quapropter intellige prætorias ab exercitio prætoriæ iurisdictionis uenire, mixtiq; imperij esse. Iudiciales uerò eas reor, quæ nō corā prætore, sed coram alijs iudicibus expeditionē nanciscebantur: ueluti sub duumuiris, magistratibusq; municipalibus, itemq; sub delegatis, & similibus: quo in numero cautio de dolo est: quæ licet ex prætoris edicto sit inuenta, sub alijs tamen iudicibus interponebatur. At communes stipulationes esse existimo, quæ tam apud prætorem quàm coram alijs iudicibus cognoscebantur: quòd illis nil reseruatum esset, sed promiscuè disceptaretur, ut alterius per prouocationem iurisdictio cessaret: quod ex iureconsulti uerbis [h] apertissimè probatur, dum stipulationem, rem pupilli saluam fore cōmunem esse tradit: quod tam prætor quàm iudex, ut id fieret, iuberent: dum item duplæ stipulationem communem affirmat, quia & à iudice, & ab ædilitio ædicto uenit: quia uidelicet & per iudicem, & per ædilis edictum interponitur, pellexit fortasse in errorē recentiores, quòd in prætoriarum stipulationū speciebus originem, à quo introductæ essent, considerari nouerant [i]: sed in illis à nostra quæstione ius omnino diuersum est: nam D

a *d. l. quinta.*
b *In. l. j. §. ait prætor. in fi. de do.*
c *Instit. de diui. stip §. j.*
d *In l. fi. cum except. §. quod si homo. ff. quod met. cau.*
e *§. pe. auth. de non eligen. sec. nub. ang. soci. & mod. in. l. ij. in pri. ff. de uerbo. obl.*
f *d. l. v. & insti. de diui. stip.*
g *L. j. l. iiij. §. duas. ff. de dam. infec.*
h *In d. l. quinta.*
i *L. j. ff. de præto. stipu.*

nam quæ hîc cõmunis ſtipulatio eſt, rem ratam haberi in eo prætoriarũ tractatu prætoriæ ſpecies traditur. Cæterum hæc à nobis hîc breuiter relata difuſius in eius legis interpretatione tractata, quamprimum in publicũ ædentur, ut poſſint inde ſtudioſi percipere, quemadmodũ quę noſtræ huic traditioni aduerſantur argumenta ſubmoueãt.

Vtrum certa quantitas adiecta ſtipulationi cenſeatur mera pœna, an taxatio eius quod intereſt: & Doctorum in hac quæſtione incuria. Cap. II.



TRactabatur in Ticinenſi gymnaſio huiuſcemodi quæſtio: ſi quis aliquid dare facere ue promiſerit, & ſi factum datum'ue non eſſet, centũ, hæc ſtipulatio pœnalis ne eſſet: quoniam pœnæ nomine dari ſpecialiter nõ exprimebatur. Et non eſſe pœnalem crediſiſſe Ioannem Andreæ[a], Ludouicumq; Pontanum[b] quidam aſſerebant: quorum ſententia etſi per eos non ſat probaretur, efficax tamen argumentum illud uideri. Quòd ſi ita ſtipulatio concepta foret cum liberto, ſi X. operas non dederis, dabis uiginti nummos? & libertus operas non det, modò totam obligationem comprobet ultra XX. æſtimationem non redigendam[c]: at ſi huiuſmodi ſtipulatio pœnalis eſſet, præter pœnam id quod ulterius intereſſet, peti uideretur poſſe. Sed uidendum eſt, ne non aliter ſit: quoniã promiſſio hæc cauſam lucri reſpicit: quo caſu ultra pœnam quid interſit, non[d] attenditur: tametſi & alio modo induci hoc reſponſum poſſit, nihilo magis tamẽ efficaci argumento. Rectius itaq; Aretinus, qui quamuis nihil expreſſum ſit, pœnalem tamen eſſe opinatus eſt: cuius ſententia communiter probari merita eſt: reſpondentesq; contrarijs rationibus recentiores tam apertè, ut ſi eas referam, minimè operæpreciũ ſim facturus. Aretinum Socinus Senenſis ſequitur[e], ſed inter utrunq; caſum hanc eſſe differentiã tradit: quòd ſi in ſtipulatione expreſſum ſit pœnæ nomine dari, & promiſſor contrà fecerit, quamuis nihil creditoris interſit, committitur tamen ſtipulatio: ſi uerò nihil ſit
B expreſſum, quatenus intereſt ſolum ex ſtipulatu ius exigẽdi eſſe. Quæ diſtinctio uera omnino non uidetur: quoniam hoc modo pœnam, quæ etiam ſi non interſit, committatur, ſtipulari aliquem poſſe iura uolunt[f]: niſi dederis, tot aureos dare ſpondes? & tamen exprimi hîc pœnæ nomine quicquã dari, uix dicendum eſt. Iacobus Puteus, & Iaſon[g] referre plurimum putauerunt inter ſtipulationes facti, & dationis, ut in hís quę factum reſpiciunt, ſtipulatio acceſſoria, ſiue expreſſum ſit pœnæ nomine, ſiue id minus, pœnalis tamen ſit: ſed quæ niſi ad id quod intereſt (quoniam natura factorũ[h] hoc ſuadeat) non committatur: in dationibus uerò quod interſit, non perſpiciatur. Sed hoc à rationibus legitimis abhorret: præſertim cum in ſtipulationibus, quæ in emptione & uenditione pœnales interponuntur ultra quàm interſit, quicquid in pœna eſt petatur[i], qui tamen contractus factũ reſpiciunt, nec quicquam urgent, duæ quæ pro eorum opinione rationes adducuntur: quarum prima hæc, ſi pœna non id quod intereſt reſpiceret, tam res quàm pœna à contrà faciente poſſet peti[k], quod in ſtipulationibus facti uerũ non eſſe nemo dubitat: quibus ego reſponderim, in dationibus quoq; idem eſſe[l], ſed pœnam & rem ſolum peti poſſe: cum non principali ſtipulatione deficiente, qui noſter eſt caſus, ſed in eius pœnam qui iudicem contemnit, ea apponitur: quod & Benedictus Plumbinus, & Ioannes Fabri[m] ſcriptum reliquerunt. Quin & illud, in obligatione dandi pœnam id quod intereſt, reſpicere non poſſe[n], à ueritate alienũ eſt: quia factum contrahentis prouiſionem legis aufert: ſenſitq; hoc Accurſius, dum hac in pœna computari acceptum refert[o]: quod falſum eſſet, ſi huiuſmodi ſtipulatione ſolus contemptus reſpiceretur. Vt igitur quid nobis ſententiæ ſit exponamus, non uidentur iure Doctores noſtri hac in re dubitaſſe: quoniam cum articulus hîc clarus ſit, haud opus fuit nodum in ſcirpo quærere. Scire itaq; debemus, duplex eſſe pœnarum conuentionalium genus, quæ damni, uel lucri ceſſantis æſtimationẽ præſtant, & quæ pro contemptu, contumaciá ue infliguntur. Has propriè pœnas uocant, illas non æquè: licet etiam frequenter in iure pœna pro eo quod intereſt, ponatur[p]. Igitur ſi quando in prædictis caſibus ſtipulationes dicũtur pœnales lege aliqua, parum illud nos mouebit: quoniam æquiuoca eſt uox hæc, & utram ſignificationem habeat du=

a ȷ.c.bona.dep.
b in l. ſtip. §. alteri. de uer. obl.
c L. ſi ita ſtipulatio ff. de op. li.
d l. prædia. de actio emp. Bar. in d. l. prædia. & in l. ita ſtip. in xiiij. colum.
e In. §. cato. & in l. continuus. de uer. oblig.
f §. alteri. instit. de inut. ſti.
g in d. §. cato. in viij. op. bar.
h L. ſti. non diuid. uerſicu. celſus.
i L. prædia. ff. de actio. emp.
k L. ſi quis rẽ. ubi glo. ff. de arbi.
l d. l. prædia.
m Benedictus Plũbi. in. l. ſi quis à ſocio. in. iij. col ff. pro ſocio. Io. Fab. in d. par. alteri.
n L. qui ſeruum §. fi. de uerborum obliga.
o l. v. §. fi. eo. ti. glo. in d. l. ſi quis rem. Bar. in l. ſi ſic. ff. de uer. obliga.
p l. nouiſ. ff. iu. ſol. l. ſtipu. non diui. §. pe. ff. de uerb. oblig.

bitari poterit [q]: quare ipse in Aretini sententiam, quæ pluribus probatur, concesserim, stipulationem præscriptam pœnalem esse: nihilq; referre, quamuis minus expressum sit, pœnæ nomine dari fieri. Sed cũ quæritur, huiuscemodi stipulatio insolidum ne, an quatenus interest, cõmittatur? puto distinguendum, an directò promissor contrà faciat, an uerò per obliquum, & (ut dicitur) quasi obiter. Quam opinionẽ sine controuersia ciuilis scientiæ interpretum princeps Bart. probauit [r]: secutiq; sunt eum frequentiore calculo cæteri: tametsi maxima certè incuria non animaduerterint, ex eius distinctione præsentis quoque quæstionis fines terminari. C

q l. 1. §. si plures. ff. de eo per quẽ fac. erit.
r in l. ij. §. item si in facto. ff. de uerb. obliga.

Quod interuallum stipulationẽ uitiet, & nouo sensu intellecta lex, Continuus, in prin. de uerb. obli, & l. si ex duobus. ff. de duobus reis. Cap. III.



INter cætera, quæ in stipulationibus requiruntur, illud potissimum est, ut interroganti promissor quamprimum respondeat, alioquin ex interuallo stipulatio concepta non ualet: cæterum quomodo interuallum hoc accipiendum sit, nõ satis inter ipsos Iurisconsultorũ interpretes constat. Bart. [a] quem alij crebriori sententia probant, si eodem die respondeatur, longã intercapedinem non esse tradit: huicq; cõsequens est, ut si ego te summo mane compellem, an decẽ spondeas: tu uerò uesperi spondere te dicas, si interim ad extranea negocia nõ diuerterimus, stipulatio ualeat. Opinati & idem sunt Raphaël Comensis, Iason, tum cæteri. Quam sententiã nequaquã ueram esse ipse disputauerim, quòd unico cõtextu absolui stipulationẽ debere, sicut & testamentũ, iura uelint [b]: qui terminus nõ integro die, sed & hora clauditur. Hinc si pro se paterfamiliâs testatus sit, & alia rursus hora pupillarem sui sequelam condat, huiusmodi testamentum uno contextu factum negatur [c]: nam & illud ex interuallo factum lex [d] dicit, quod interposito tempore est factum: ab aurora autem ad uesperas quis interpositum tempus neget? hæc igitur stipulatio ex interuallo facta dicetur. His accedit, si inter duorum reorũ responsa fideius- D sor sit interrogatus, longum id spacium non esse Iulianus [e] ait: & idcirco eorum constitutionem nõ corrumpi, quis sanus de hoc dubitet, si nec XII. horæ longitudinem interualli habent? Quin & Venuleij responsum [f], quod suæ opinionis columen Bartolus, & eius studiosi habent, nostræ sententiæ adstipulatur, si tamen absque cauillo ex frequentiore scriptura eius considerentur uerba. Continuus, inquit, actus stipulantis, & promittentis esse debet: ut tamen aliquod momentum naturæ interuenire possit, & comminus responderi stipulanti oportet: cæterum si post interrogationem aliud acceperit, nihil proderit, quamuis eodem die spopondisset. Ecce quemadmodum iuris ciuilis autores momento rem expediri uolunt, nec posse contrahentes præter primum, aliud momentum accipere (intellige autem hyperbolicôs momentum dici) quanto rectior hæc interpretatio ea, quam & Accursius, & cæteri probant? dum aliud acceperit, quasi aliud negocium fecerit, intelligunt. Quæ nam hæc locutionis formæ? num accipere idem esse quod facere, salua Latini sermonis ratione profitebimur? Nec multum nos mouet, quòd ex ultimis uerbis à contrario sensu argumentum elicitur: nam eodem die, pro quacunq; diei parte, quæ extra illud momentum sit, accipiendum est. Qua ratione & genus pro singulis sui partibus plerunq; ponimus [g]: & in iuris pontificij scholijs pro tempore, id est pro quacunq; temporis parte legitur [h]: eamq; interpretationem Paulus Eleazarus, & Baldus, uti iustam adnotarunt. Quare opinionem Bartoli clarius probari fortasse aliqui existimabunt: quòd in titulo de duobus reis [i] scriptum sit, si interrogati eadem die sint duo, responderitq; euestigiò alter, in sequentem diem qui respondere alter distulerat, cum actor iam ad alia negocia diuertisset, nõ obligari. Cui argumento obuiam hoc pacto iri posse arbitror, Iurisconsultum non dubitasse de stipulatione, quam dubioprocul irritam nosset: sed de reorum constitutione potius. Nam cum duo rei etiam ex interuallo, si hoc agatur, constitui possint [k], nihilocq; minus constitutio ualeat: quamuis ciuili & naturali unus, naturali tantum obligatione alius teneatur: uisum fuit Iurisconsulto nõ improbè dubitare, utrum in prædicto casu idem dicendũ esset. Qui enim postera die responderat, naturaliter tenebatur [l], sed tamen

a in l. 1. §. ff. de uerb. oblig.
b Barto. in d. §. 1. & tex in l. hæredes. §. fin. ff. de testa. & gl. ubique.
c l. si quis eum. §. fin. ff. de uulg. & pu.
d l. quotiens. ff. so. ma.
e l. duos. §. si ff. de duo. reis.
f l. continuus. ff. de uer. obliga.
g l. si quis cum totum ff de exc. rei iu. l. si unus. §. itẽ pactus ff. de pact.
h glo. in c. generali. §. illos de elect. li. vj. Pau. in Clemen. fin. de uita & hon. cleri. Bal in rub. extra. de consti. in iij. col.
i l. si ex duobus in prin. ff. de duob. reis.
k l. iij. de duobus reis.
l d. l. si ex duobus §. fi. Bar. in l. eod. fin. tit.

A sed tamen non ualere constitutionem existimauit: quoniã ex interuallo tunc possunt duo rei constitui, cum id actum est: sed cum actor ad alia negocia interim secesserit, nõ putauit Iureconsultus eam responsionem respectu primæ stipulationis factam: & idcirco tacitè actum, ut duo rei essent. Quo certè sensu, nihil cõmunis recentioribus sententia iuuabitur: alioquin eam probantibus, tot aduersantia argumenta oboriuntur, ut facilius quiuis Gordij nodum explicet: nam & Aretinus omnium subtilissimus, dum ea iura non percipit, ter sententiam mutare, & nunc hàc, nunc illac sibi contrarius trahi, non est ueritus. Illud quoq; non prætereundum est, nostrates Iurisperitos [m] in eo, quod retulimus, Venuleij responso, nõ aliter ferè momentum naturæ interpretari, quàm occupationem naturaliter necessariam: ueluti in ægrotis, dum catapotia medicamentum'ue huiusmodi assumunt, dum excrementorum causa secedunt: & si qua similia. Quam interpretationem nec uocis ipsius Latina significatio admittit, & nemo sanus absurdam esse non fatebitur: cum temporis momentum significari etiã mediocriter eruditi cognoscant. Horatius: Quid enim? concurritur horæ momento.

m Bal. in rubr. de consti. Alex. in d. §. q præsens.

Testatorẽ legatario stipulari non posse: & Bartoli sensum ad l. ult. C. de fideicõmissis, licet ab omnibus approbatum, iure non defendi. Cap. IIII.



Olet cõmuni sententia dici: Litem serit lis: Noxa item noxam parit. Nam qui falsum aliquod proloquium admittat, necessariũ est eum millies hallucinari. Vsu id euenisse Bar. mihi uidere sum uisus: quod qualecunq; sit, proponam. Imperatoria quædam est cõstitutio eius tituli, qui de fideicõmissis inscribitur, ultima: quam, ut præter alios aliquid subtiliter excogitasse Bartolus [a] uideretur, nouo sensu ita intellexit: ut in testamẽto possit testator ab hærede stipulari fidei commissum, legatum'ue Titio dari: quo casu poterit Titius ex stipulatu post testatoris mortem cum hærede agere, ut legatum, fidei'ue cõmissum illud pręstetur: eritq; eius commoditas maior, quàm si more solito sibi relictũ esset. Quoniam satis fuerit hanc stipulationẽ duobus testibus probari, cum alioquin in testamento septem requirãtur. Addixerũtq; huic sententiæ recentiores omnes [b]. Hinc, uti arbitror, alio loco [c] Bartolus idem simpliciter dubitauit, si quis testatorem interroget: uis hæreditatem tuam Sempronio relinquere? & ille respondeat, quid ni? ualere hanc promissionem, hæredemq; Semproniũ fore. Nec ab hac opinione quisquam, cuius ædita sit sententia, dissentit. Sed uideamus probabilis'ne sit: & puto defendi non posse: nam pactum de hæreditate, & quacunq; eius portiuncula iure improbatur, præterquam si inter milites conuentum sit [d]. Cuius rei ratio est, quòd liberam testandi facultatem uideatur auferre. Nec quicquam obest, quòd potuit testator reuocare, si uelit: quoniam hoc admisso, expectaret lex per testatorem reuocari, cum tamen continuò irritum esse mandet. Quinetiam ratio Bartoli, eiusq; sectatorum uidetur perquam leuis. Testator, inquit, stipulans legatario fidei'ue commissario, eorum personam refert [e]: perinde ac si ipsi stipularentur. Apud quem quæso hoc legerũt? Atqui à legatarijs testatores referri, ut non dubitem, ita econuersò idem esse quis non neget? Impeditq; etiam eorũ ratione admissa, noua quædam alia ratio. Nam si testator legatarium repræsentat, certè & hæredem: uni igitur & eidem homini, creditoris, debitorisq; qualitas per fictionẽ applicaretur: quod tamen fieri non posse, legibus [f] cautum est. Accedit his, quòd regula iuris est, alteri stipulari neminem permitti: nec quicquam est, quod contraria nos sectari suadeat: legatarij præsertim respectu (in uniuersali enim hærede facilius hoc concesserim [g]) cur ergo à regula interim discedimus? quòd etiamsi stipulari legatario testatorem posse in expedito foret, intelligendus certè is esset, quem legatarium esse non ueniret in dubium [h]: non autem eum, de quo dubitaretur, an stipulatio ualeret (quod in nostro est casu) & consequenter esset'ne legatarius. Ad hæc, sententiæ Bartoli repugnant constitutionis [i] ipsius uerba: quæ fidei commissum illud, legatum'ue ex testamento, uel codicillis deberi uolunt: at secundum ea quæ ipse tradit, ex contractu deberetur, qui ab ultima uoluntate longè differt [k]. Nos certè & illud nõ parũ iuuerit, quòd in donatario causa mortis nullum sibi uendicare locum eam constitutionem, cõmuni

a in l. fi. C. de fidei. & in l. nemo pri. de lega. pri.

B

b in d. l. nemo potest. et in l. ij. C. de bono. poss. secundum tab.

c Bar. in l. pri. §. si quis ita. ff. de uerb. obliga.

d l. iij. C. de pact.

e l. in tempus. ff. de usucap.

f l. uranius. ff. de fideiusso. Bar. in l. frater à fratre. de cõdi. indeb.

g glo. in l. pactũ. ff. de probat.

h doctr. Bar. in l. 1. §. et parui. ff. q. ui. aut clam. Abb. in c. ex parte. cl. ij. de offi. dele.

i in d. l. fi.

k l. uerba gesserunt. ff. de uerbo. sig.

quoq; opinione existimatur [l], quanto igitur minus in pacto? quod ab ultimis uoluntatibus magis distat. His addendum, quod idem Bartolus [m] scriptum posteris reliquit. Si testator pluribus institutis hæredibus, dari centum uni ex illis stipuletur, talem stipulationem, non nisi pro his partibus, quibus hæres erit, ualere: quoniam aliarum ratione sit extraneus, cui per stipulationẽ ab altero non potuit acquiri: nam si integrã rem hæredi dari, nemo stipulari potest: multominus certè legatorio, fidei cõmiassrió ue potest. C

l Bal. & Corn. in d. l. fi.
m in l. continuus. §. fi. ff. de uerbor. oblig.

Cur libertas directè seruo alieno data, non trahatur ad fideicõmissum: tum sublata crux, quæ Iurisperitis fixa, ut Asconius aiebat, tandiu steterat. Cap. V.



VLgatissima est Iurisperitorum sententia [a], substitutionem uerbis directis, non tamen merè ciuilibus conceptã, quæ uti directa à principio uires habere non potuit, in fideicõmissi uim trahi. Idq; nõ in uulgari tantum substitutione, sed in compendiosa quoq;, quam Paganus aliquis impuberi filio adiunxerit, uerum esse quidam [b] existimarunt: nam ita post pubertatem intelligitur, ut ex ea saltem indirectè hæreditas deuolui possit. Aliud etiam est non minus frequens axioma: quod primus ex iure ciuili collegit Bartolus [c], & iuniores semper admiserunt, quod huiusmodi est: Cum de particulari dispositione tractatur in his, quæ unius uoluntate perficiunt: qui actus, ut agitur, ualere non potest: ita tamen substinendus est, ut quem iure possit effectum capiat: exemplum (ut dixi) in directa substitutione addunt, quæ in fideicommissariam transit. Cumq; hæc crebriori interpretum testimonio approbata sint, contorquent tamen sese, quòd Raphaëlis Comensis [d] uelitationibus respondere nesciant: credidit is (ut plerunq; ceruicosus est, & aliorum minimè imitator) superiora pronunciata falsa esse, hoc potissimũ argumento: quoniam si seruo alieno libertas directa testamento detur: non solum ita uti adscripta sit, constet non ualere: sed neq; ut fideicommissariam substineri [e]: quòd si nec fauorabilis omniũ libertas sic relicta, defenditur, multominus certè superiores casus iuris firmitate niti dicendum esse: uelle hoc in titulo, qui de legatis primo sit, Africanũ Iurisconsultum, studiosi omnes norũt, quã argumentationẽ dum duobus modis Alexander [f], tribus Aretinus, totidem Iason euitare conantur, quòd alter alterius dicta cõfutet, inextricabilem facere nodum uideri possunt: & ut concedamus Iasonis unam responsionẽ (nam aliæ omnes ab eo exploduntur) aliquo saltẽ cauillo posse defendi, certè negari non poterit, aduersus cõmunem [g] aliorum sententiã eum illud existimare, dum in fideicõmissum transire huiusmodi libertatẽ directè seruo alieno datã opinatur. quo factũ est, utrũ affirmes necesse sit, in altero malè sensisse Bartolũ, eiusq; studiosos omnes censeas. Quamobrẽ egregiæ artis fuerit, utranq; sententiã uel idcirco tueri, ut tot proculdubio summi uiri utriusq; assertores defendantur. Sanè si mihi quid sententiæ sit interroges, nõ aliud dixerim, quàm quod Bartolus [h] nõ satis animaduerso posteris loco sensit: diuersa enim ratio inter libertatẽ & hæreditates differentiã cõstituit: siquidẽ libertas directò data nõ uariatur, quoniã diuersam speciẽ assumeret: directa enim uni seruo proficit, fideicommissaria propter ius patronatus etiam hæredi. Nec me mouerit, quòd idem in substitutione dici possit: quę si ad fideicõmissorum ius deuoluitur, etiã hæredi, qui ab intestato succedit, prodest: nã de eis quæ hæredi testator relinquit, cũ sua sint, liberã disponendi facultatem habet: at ius patronatus in bonis testatoris nec uerè est, nec etiam solius facultatis ratione esse potest: & idcirco in hæredes extraneos nequit transmitti [i]: autor huius differentiæ est Bartolus, de legatis, primo, in legis primæ interpretatione. Cõcludendum igitur, libertatem directò datã prædicta ratione in fideicõmissariam nõ uerti, quod quoniã perquam durũ erat, moderati eo pacto sunt Iurisconsulti, æquitate suadente, ut seruo saltem proprio directè inutiliter data, in causam fideicõmissi cõsisteret [k]: idemq; in eo, qui pignori datus foret, statui debere illis est uisum: ut iure nihil ab illo differret, qui suppositione omni solutus esset. Quo quidem sensu maximæ recentiorũ altercationes cessabunt: alioquin uel linceis oculis caliginẽ obiecturæ: nam & me audiente, magni nominis professor Ruuinus indissolutã quæstionẽ reliquit: quòd sibi etsi summa cura uestiganti, non tamen satis dubitationem hanc perspectam esse diceret. D

a in l. uerb. ff. de uulga. et pupil.
b ut per Alex. post alios in l. centurio. ff. de uulga.
c Bart. in l. 1. §. si quis ita. ff. de uerb. ob.
d in d. l. uerbis.
e l. si seruus legatus. §. si seruus alienus. ff. de lega. 1.
f in. d. l. uerbis.
g glo. Bar. Bal. Ang. Rapha. Pau. de ca. in d. §. si seruus. et in l. cogi. §. si pater. ad Tre. ubi & Alex. cum simi.
h in. l. 1. de. le. 1.
i d. §. si pater.
k l. generaliter. §. si quis seruo. ff. de fideicom. lib.

Quòd

A Quòd ut uolumus non ualet, quemadmodum ualeat ut possumus: & quatuor iura, quæ pugnare simul uidentur, nuper declarata secus quàm alij faciant. Cap. VI.



Omplures sunt iuris ciuilis regulæ: quas certa ratione finibus suis terminare, meo quidem iudicio non sat possibile est: tentauerunt tamen hoc, qui indiscussum nihil reliquere, iuniores interpretes: sed uti censeo, non multum feliciter. Pro exemplo sit, per ora hominum celeberrima illa regula. Quæ res uti agitur non ualet, quem de iure potest effectum saltem sortitur. Distinxit hîc subsecutíque in tenuissimas partes Bartolus [a], ut Homolottorum, quod dicitur, bouẽ possis credere: nihilóque minus oboriuntur eius dictis pugnantia argumenta: ut quo magis uestiges, eo minus scire te fatearis: quòd uidelicet tot casus breui canone explicare, etiã peritissimis haud facile est. Demonstrauit hoc non Bartolus solum, sed qui post eum longa serie apud legum interpretes fuere in precio, dum nesci re se perfectam huiusce propositionis doctrinam fateri minimè erubescunt: quo fit, ut cum excusationi mihi sit aliorum exemplo locus, facilè adducar, paulò securius quid ipsi mihi sententiæ sit enarrare. Quoniã igitur complures regulas in hac confundunt nostri Doctores, uidendum primò est, quemadmodum intelligere hanc debeamus: et non puto generaliter accipiendum, utrum actus nullus aliquem effectum pariat: quoniam hæc quæstio in præsentia ad nos nil attinet, qui non de quocunque effectu loquimur, sed de eo tantum, qui actui tentato confinis est, & ut dicere solemus, præcedenti subordinatur: sicuti codicilli testamento, pactum stipulationi, fideicommissaria substitutio directæ, actus, seruitutes, uiæ, & id genus alia. Separandæ sunt igitur, quas alij simul inuoluunt, quædam regulæ: quarum prima est, actum nullum nullius effectus esse [b]. Secunda est: si dispositioni impossibile aliquid per conditionem addatur, omnia uitiari: si per modum, dispositionẽ remanere, modum reijci [c]. Tertia, actum qui B propria significatione intellectis uerbis non ualeret [d], ex improprietate sermonis defendi. Quarta, quoties actus inualidus esset, nisi aliqua non uerisimili præsumptione substineretur, nõ tamen eam capiendam [e]. Quatuor hæc enunciata, quòd sat dilucidè per posteriores Iurisperitos exponuntur, minimè opus fuerit nunc attingere. Verùm his exceptis quæ ad rem præsentem faciant, in medium proferre non pigebit: quamobrem arbitror ita existimandum, ut qui actus quemadmodum agitur non ualet, eam obtineat uim quam potest, dummodo contrahentium consensus talis præsumatur, quod in dubijs [f] credere humanius est, ita tamen ut is actus obtineat, quem substantia indicat, non nomen [g]: quoniam quæ ex ea oritur præsumptio, nominum præsumptionibus fortior est [h]. Cum itaq; in dubijs, ut diximus, præsumendus sit consensus, ut actus aliquo modo ualeat, consequens est: ut quotiẽs non præsumitur, omnino quod agitur irritum sit: creditur autem abesse consensus: nunc ex impotentia contrahentium: quoniam uerisimile non est, uelle aliquem sibi impossibilia tentare: nunc ex magna diuersitate actus qui agitur, & eius in quem transire posset, ut in libertate directa, fideicommissariæ respectu [i]: quandoq; ex facto contrario, puta ex institutione, qua scripta non creditur quisquam uelle codicillos facere [k]: aliquando ne agens uideatur uelle quicquam maius expresso [l]: aliquando alia causa, ut cum per transactionem aliquis renunciat fundo, transactio irrita non transit in donationem, quia credibile non est, actorem uoluisse reo, qui cum litigat [m], quicquam donare: ueluti nec eum, qui se per stipulationem, alium úe contractum obligat [n], uerisimile est id sponte facere: quin si sciuisset inutilem stipulationem, taciturum lex credit, quæ tamen præsumptio fauore liberationis [o] quandoque cessat, sicuti in acceptilatione inutili: quæ licet uerum pactum in se non habeat, parit tamen exceptionem ex tacita pactione: quæ etiam absq; consensu, & obligatione uera naturali inducitur, oriturq; exceptio: non quidem ex acceptilatione uigore pacti, sed ex æquitate propter acceptilationẽ [p]. Vt hoc modo putẽ dissolui posse quatuor inuicem aduersantia iura: quę, dum concordiæ student Bartolus, & cæteri, ita peruertunt, ut eadem uerba alibi formã respicere [q], alibi effectũ materiamq; fateant, aliquandoq; expressum consensum subintelligendo mera somnia fingentes se torqueãt.

a in l. 1. §. si quis ita. ff. de uerbor. oblig.
b tangit Bar. in l. contin. §. cum quis. ff. de uerbor. oblig.
c De quo per scr. in l. impoßibilis ff. de uerb. obl.
d l. sed & si po. § item si iuraue-ro. ff. de iur. iu.
e Aret. in le. à Titio. in ult. col. ff. de uerb. oblig.
f l. quoties. ff. de reb. dub.
g l. insulam. de præscr. uerb.
h l. in uendi. de contrah. emp.
i l. si seruus. §. si seruus alie. ff. de leg. 1.
k l. nõ codicil. C. de testa.
l l. tutores. §. 1. ff. de admi. tut.
m l. suus hæres. C de rep. he.
n l. 1. §. cũ qui. ff. de consti. pecu. in l. 1. §. si qs ita de uerb. oblig.
o l. an inutilis. de accep.
p l. si unus. §. si accep. de pactis. ita declarat bartolus, & alij in l. ubi pactũ. C. de transf. licet doctores nõ aduertant.
q in l. an inutilis. & §. si accepti. et. §. si quis ita.

Sed ad rem: cum superioribus idem iuris est, quotiens contractus forma non serua- C
tur [r]: nam, quod diligenter custodiendum omnes sciunt, qui id non curant, elusorium actum facere uidentur uelle, non aliter quàm si aliquis aduersus legem expressè faceret: quo casu idem quoque iuris esset.

r l. mulier. C. si quis alij. gl. in c. p. & g. de off. deleg.

Simpliciter fieri quid dicatur, & nouæ quædam rationes adductæ contra communem sententiam in quæstione illa ueteri, municipalis statuti requirentis, ut simpliciter interrogationibus respondeatur. Cap. VII.



FRequens quæstio est, si municipali lege, ut interrogationibus iudicialibus simpliciter respondeatur, sub pœna cautum sit: & aliquis interrogatus an centum receperit, neget recepisse: & si id constiterit, dicat se in negocijs eius expendisse: utrum hoc modo respondens dicatur non simpliciter facere: Paulus Castrensis, Nouocomensisque Raphaël [a] simpliciter eum respondisse crediderunt: cæteri omnes contrà. Videamus num minus recepta sententia uerior sit: & mouentur eius assertores: quoniam legis illius ratio est, ut responsiones sint claræ [b]: in proposito autem casu nihilominus certa est responsio, quàm si simpliciter negasset: quoniam reliqua uti superuacanea iuris interpretatione rejciuntur: nec abundans (quod dicitur) cautela nocere solet: quinimo nullius effectus regulariter est. At ut hanc ipse opinionem probem, nouis quibusdam rationibus agor. Nam simpliciter illud fieri dicitur, quod sine fraude doloque malo fit [c]: quamobrem magis uerisimile est, talem dolum lege prohiberi, quàm eam duplicium uerborum formam, præsertim cum hoc sensu de iure Romano nihil municipalis lex diminuat, quæ aliter intellecta illud corrigeret [d]: quæ quidem præsumptio capienda non est, huiusmodi decretis ita potius astringendis, ut communi legi non repugnent. Verùm omnino ualidius me impellit, quod si Pontificis Maximi rescripto [e] edicatur, ut purè & simpliciter Iudices cognoscant pronuncientque, fraudulentas solum exceptiones, uel quæ immodicũ D
iuris rigorem respiciunt, excludere tenebuntur: tantum abest ut huiusmodi eulogio iudicialis ordo soluatur, aut alioquin permissus, conditionibus locus tollatur: quòd si geminata uerba in rescripto hanc uim non habent, quanto minus simplicia, in lege municipali: quod argumentum iure ciuili fortissimum est: nam & Baldus, & Nicolaus Abbas, Ioannesque Forocorneliensis: ac cæteri utriusque professionis interpretes id aduerbij, simpliciter, eam posse uim habere negant, ut correctioni alicuius legis sufficiat: quod alioquin in nostra quęstione esset. Nec obstant huic sententiæ quędam pro communi argumentationes adductæ: quoniam nequaquam diffitebor, quod sine conditione fiat, id posse simpliciter factum dici [f], quando ita res de qua agitur, fert. Sed illud quæstionis nostræ est, quid iuris sit in dubio, cum subiecta materia nihil explicat: nam quod ab uocabuli etymo argumentabantur, quòd sine plica sit, aut relatu uix dignum est, utpote barbarum, aut nostram adiuuat opinionẽ: quoniam sine plica idem esse quod absque dolo, intelliget qui in Canonicis Decretis Archidiaconum [g] legerit.

a in l. p. §. si quis simpliciter. ff. de uerb. oblig.
b ita Bal. in c. j. in prin. de sum. tri. & fide catho. Bar. in l. de ætate. §. qui tacuit. ff. de interacti.
c gloss. in c. pen. xxxix. dist. & xvj. q. j. si cap.
d l. si quidem C. de except.
e c. dilec. de iudi.
f l. unius ubi bal. C. de sententijs.
g glo. in Clem. sæpe. de uer. sig. xvj. q. p. si cupis. & viij. dist. consuetudo.

Quòd communis intellectus ad. §. si tamen hominem. in l. ij. de uerborum oblig. sine cauillo defendi non possit, nouum datum uerbis Iurisconsulti longè aptiorem. Cap. VIII.



VErba Pauli Iurisconsulti [a] hæc, annotatione digna in titulo de uerborum obligationibus leguntur: Si hominem stipulatus cum uno ex hæredibus promissoris egero, pars duntaxat cæterorũ obligationi supererit, ut exolui possit. Huius responsi interpretes, non satis esse quòd stipulator agat cum uno ex hæredibus promissoris existimant, sed illud ulterius requiri, quòd succumbat: quę interpretatio ab ipso uerborũ contextu aliena est. Quamobrem ut absque cauillo Iurisconsulti Pauli uerba defendam, censeo ipse, hominis in genere stipulatorem, qui sibi obligatos omnes promissoris hæredes habeat, si ab eorum aliquo hominem petat, per solam litis contestationem ita sibi obesse, ut cohæredes cæteri non insolidum amplius, sed pro reliqua tantum parte obligentur. In quam sententiam tra

a l. ij. §. j. ubi no. ff. de uer. obl.

hor:

A hoc: quoniam stipulator, qui illum cum quo litigat, insolidum non teneri, considerata exactione [b], noscit, uidetur à reo portionem eo modo petere, quo etiam ab inuito exigi possit: at reus non aliter compellitur ad solutionem, nisi ut liberetur: cum alioquin con dictio indebiti illi competeret: cum ergo actor ita petat, ut soluentem liberari uelit, cen seturfauori suo renunciasse. Et ad argumenta, quibus probabiliter contraria sententia potuisset defendi, non admodum difficulter responsio suppetit, quale est illud, plures reos debendi, & si creditor ab uno petat, non tamen liberari, ut pro portione eius mi nus teneantur [c]. Nam argumentum hoc non esse efficax, ostenditur ex differentia obligationum: quoniam rei debendi omnino insolidum obligantur: at hæredes promissoris diuidua obligatione petitioneq; tenentur, non insolidum: nil igitur mirum, si ua lidior obligatio difficilius tollitur. Quare omnino fortius sententiā meam urget, quòd si hic cohæres solueret, non liberaretur: atqui in pendenti solutio esset, donec in eodem homine alij cohæredes partes suas penderent. Si ergo solutio ipsa præiudicium creditori non parit, quanto minus petitio [d]? nisi & hîc dicamus in petitione hoc introductū: quoniā ea efficax aliter esse non potest, quàm si intendat actor soluentem liberari, interimq; fauorem suum, quod superius dixi, remittat. Quæ ratio in ipsa solutione cessat: nam quę Iurisconsultorum responsa [e] soluentem non liberari in prædicto casu attestantur, ea in eo qui non iure actionis coactus, sed sponte soluit, locum habent: cum nisi spe liberationis ducti debitores ad solutionem cogi nō possint: cautius itaq; stipulator fecerit, si protestetur, nihil ob petitionem de iure suo se remittere: quòd si testationem non curat, non cum uno, sed cum omnibus eum agere oportere existimauerim: etsi in his, cum cæterorum sententiæ repugnent, uix hiscere audeam: præsertim cum alibi à me locus hic difusius sit explicatus.

b *De quo in l. in execu. §. pro parte. eo. tit.*

c *l. reos. C. de fideiuss.*

d *d. l. ij. & l. si nō fortè. §. si x. de condi. ind.*

e *d. §. decem.*

B Intellectum communem in l. à quo fundus. de dam. infe. uerbis Iurisconsulti repugnare, quare aliter quàm cæteri credant intelligendam: confutataq; ex eo textu communis quædam alia opinio, & possessionis præsumptionem libertati præualere. Cap. IX.



Requentissimum Scęuolę responsum in titulo de damno infecto, tam peruerse ab omnibus, quorum in hanc diem ædita sit sententia, intelligitur, ut operæprecium me existimauerim facturum, si Iurisconsulti uerba prius ap ponerem. A quo fundus petitur, si ab illo ædificatum habes, ago tibi ius non esse ædificatum habere: si non defenderis, ad me possessio transferenda est, non quidem ut protinus destruatur opus: iniquum enim est demolitionem protinus fieri: sed ut id fiat, nisi intra certum tempus egeris, ius tibi esse ædificatum habere. Igitur Accursius Bartolusq; Latini sermonis non sat periti, ita responsum id declara uerunt, ut non aliud significare Iurisconsultus uoluerit, quàm quando confessoria agi tur, si pro constituenda seruitute aliquid fieri debuisset, aduersus contumacem ex primo decreto in possessionem loci, in quo seruitus constituenda fuerat, iri: ex secundo, certum terminū statui, intra quem si agere supersederit, amplius non audiendum, cōponuntq; hac ratione uerba legis, à quo fundus petitur, si ab illo, hoc est à me ædificatum habes, ago tibi ius non esse, & cætera. Qui sensus quantum absurdus, quàm inepta sit constructio, etiam pueris notum arbitror, ut minimè quisquam dubitare possit, quin sententia hæc omnino sit falsa: quamobrem quamprimum aperienda est ueritas, formandusq; hoc modo casus. Possidebas tu iniustè domum meam, interimq; dum possideres, uicino, qui te dominum existimabat, ius seruitutis concessisti: ut uidelicet posset ædificare, quod & fecit: nunc ipse uendico domum meam: quæritur nunquid pendente lite possim eodem tempore agere contra uicinum, tanquam non potueris illi concedere ut ædificaret? Iurisconsultus respondit, posse: & si uicinus non defenderit, possessionem ad me transferendam: & ea quæ sequuntur. Hoc igitur sensu cum ne uocula quidem impropriè accipiatur, quid est cur dubitemus à ueterum interpretum opinionibus discedere? nec ratio præiudicij [a] quicquam obstat: quæ cum aduersus diuersos agitur, locum non habet. Illud quoq; lectorē admonendum duxerim,

a *ut per Bar. in l. fund. ff. de exce.*

ex hoc textu, communi intellectu admisso, confutari Bartoli [b], cæterorumq; sententiã: dum propter libertatis præsumptionẽ existimant etiã ei, qui in quasi possessione seruitutis sit, probandi onus incumbere: eum uerò qui liberam rem dicat, etsi nõ possideat, probationibus non affici. Nam dum in responsi fine contumax, qui liberas ædes dicebat, agere intra certum tempus iubetur: ergo & probare: quoniam qui accusare [c] uolunt, probationes habere debent. Sed & hanc Bartoli sententiam aliquando efficacioribus rationibus confutaui.

b in l. si prius. ff. de ope. no. nun.

c l. qui accusare C. de edẽ. in ea l. in x. opp.

Legem, ita stipulatus, non rectè à Doctoribus interpretari solitam: & ratio, cur incerta stipulatio non ualeat: & quando ea est ex certis, cur à legato iure differat: confutataq; communis sententia etiam in uersiculo, quòd si ab initio. Cap. X.



Vm aliquando celebratam multorũ commentarijs Papiniani legem, ita stipulatus, de uerborũ obligationibus, perlegere mihi cõtigisset, quamplurima animaduerti in ea tractari, quæ nõ admodum diligenter excussa meris nodis ius ciuile inuoluunt. Igitur ea in primis annotatione digna uisa sunt, quæ ad eius primum responsum attinent. Si, inquit Iurisconsultus, in stipulatione certo loco sisti, dies per errorem omissus sit, cũ ageretur ut certo die sisteres, imperfecta stipulatio erit: idemq; est in stipulatione ponderis, numeri, uel mensuræ incerta. Videamus primò quidnam in causa sit, ut incertitudo stipulationẽ uitiet. Et Bartolus [a] nostræ huius disciplinæ signifer, & primipilus, id esse scribit: quoniam ob incertitudinem stipulantes non uidentur consentire, quamobrem contractui forma deest. Sed hæc ratio nõ sanè mihi probabilis uidetur: quia cũ in proposito casu interrogatio & responsio congruãt, nihil adduci potest quod repugnet consensui: præsertim cum alibi idem scriptor fateatur, tunc demũ deficere consensum, cum errorconuincitur: utputa si dies, de qua in procemio actum est, stipulationi non inferatur. Quam obrem alio loco Bartolus [b] cum Doctorum sequiore turba rationem eam esse tradunt, quòd tam minimum posset solui, ut nihil omnino accipientis interesset. Sed & hoc ex eo potissimũ confunditur: quoniam si ob huiusmodi causam stipulatio reijceretur, pœnalis ualeret, legatum hominis generale non ualeret: quæ quidem à ueritate absunt. Quare me autore uerius est, ratione deficientis probationis stipulationẽ incertã uitiari: & hoc est quod dicitur, incertam stipulationẽ facti, non iuris quæstionem continere [c]. Quæ uerba nil ulterius quàm probationem eius quod actum sit, ostendunt. Iuris igitur interpretatione potest dici aliqua, sed quia probari non potest quid partes egerint, imperfecta erit, & etiam si magis placet, nulla. Itaq; in nostra quæstione, si partes de certa die apponenda agunt, in stipulatione certo loco sisti, constetq; appositam, sed nõ qualem, stipulatio non ualet: quoniã poterit promissor dicere semper, agi ante diẽ. Nam quamuis in stipulationibus, in quibus dies non sit, præsenti die agatur [d]: stipulator tamen si in præsentiarum egerit, negabit reus idem dicendum hoc casu, in quo de certa die actum sit probatumq;, fuisse diẽ expressam, tametsi qualis esset in specie probari non potuerit: quamobrem contra uoluntatem partium ageretur, si statim hoc licer et. Quod etiam, si post aliquod tempus actor intendet, cum in genere tantum constet diem appositam, semper in fauorem rei, lex interpretabitur ante diem agi [e]: nec ad hæredes obligationem transire posse dicendum est, quæ personalis sit [f]. Qua de causa si stipulatio hoc modo concipiatur, promittis quacunq; die sistere? ualet stipulatio, cum prædicta ratio cesset, & tunc agetur cũ declaratũ fuerit reum promittendi sisti nõ posse. quem intellectum Christophorus Castellioneus uersiculo, quòd si ab initio, conuenire posse arbitratus est: licet Alexander leuissimis ratiunculis in contrariam sententiam iuerit. Enarrato igitur quem uerissimũ putauimus intellectũ, cõmunes aliorũ positiones confutandæ sunt: & in primis declaratio, quæ frequentiuscule approbatur multis salebris penè obruta, uix subsistit. Intelligunt Doctores nostri, uerba Iurisconsulti accipienda esse, quando in tractatu, qui præcesserat contractũ, conuenerãt partes, ut stipulatio contraheretur die in ea certius explicanda. Quam sententiã Comensis damnat: quoniam

a in prima & secunda opp.

b & in l. insulã. & hic in viij. oppo.

c in l. triticum. l. idẽ de sta. hom.

d l. semper in sti. pul. de reg. iur.

e l. si ita sti. fuero. x. aut xv. in fin. de uerb. oblig.

f l. & hæredi. §. fina. de pac.

niã aut tractatus ex interuallo præcesserat, & præsumitur ab eo discessum [g]: aut in continenti, & tunc tametsi non recordarentur de his quæ in tractatu dixerant, tamen stipulatio esse efficax debet, cum eius substantiam dies omissa non respiciat. Alexander Comensi refragatur: quia errorẽ in institutione præsumi uidemus: quæ si à testatore simpliciter proferatur, cum protestatus fuerit se conditionẽ impositurum, non ualet [h]. Sed hac ratione nemo me mouerit, cũ institutio testamenti substantiã respiciat, dies formã stipulationis minimè. Nam etiamsi concedamus stipulationẽ eam nõ ualere, potius id ratione simul pugnantiũ qualitatũ, quàm erroris, quod in textu ipso exprimitur, dicendum esset: siquidem tractatus qui in continenti fit, cũ sequenti contractu iuris fictione unus & idem est: tractatus igitur diẽ adderet, cõtractus repelleret [i], quæ cõtraria sunt. Ad hæc non mediocris est cauillatio, si in his angustijs Iurisconsulti indeterminata uerba restringamus, & contra iuris præsumptiones in actu incontinenti facto obliuionem inducamus [k]; & hæc quidem omnia aduersus regulam, qua admonemur, omissionẽ eorum quæ substantiam non respiciunt, nihil obesse [l]. Sed quanto peius sese extricat Aret. dum fatetur, si clarum sit ex obliuione omissum, aut ex certa scientia diem, ualere stipulationem: sed in dubijs secus esse: quasi dubitatio actum aliquem ad nihilum reducat, qui quocunque modo ea resoluatur, ualeat [m]: præsertim cum talis opinio nulla iuris autoritate defendatur, & plerunque dicamus in dubio pro ualore contractus iudicandum. Quin & cõmunis sententia in interpretatione uersiculi, quòd si ab initio non fat probabilis est, dum fingitur stipulationẽ ita conceptam, promittis sistere quacunque die uolueris: & si non steteris, pœnæ nomine tot: existimant enim, quamuis prima stipulatio tanquam in uoluntatem promissoris collata, iure roboranda non uideatur [n], tamen ne incassum adiecta pœnalis sit uoluntati promissoris relictum uideri, quando sistat, non idipsum utrum sistat: sed probandum ab illis fuerat primam conuentionẽ inutilem, uires ab accessoria sumere: nam contraria his autores tradere alibi manifestum
3 est: cum pactionem nudam pœnali stipulationi non inesse opinantur [o]: si enim hæc pactum nudum alioquin iure gentiũ efficax non fouet, quanto minus omni iure nullam stipulationem? tenenda itaque nostra positio plurimis rationibus firma. ex quibus & hoc non omittendum, quod Bartolus & alij scribunt, in stipulationibus quando clarum est, de una specie incerta ex certis quibusdam actum, non ualere stipulationem, sed legatum ualere [p]. rationem dicunt esse: quoniam hæres testatoris uoluntatẽ declarabit, quam etiam scire præsumitur. Quod profectò faterer, nisi testator & absentem, & quem nunquã uiderit cognoueritque, hæredem instituere posset [q]: quonam pacto dicemus huiusmodi uirum quicquã plus quàm alios scire de testantis uoluntate? Quare ex supradictis fatendum, in contractibus fauore promissoris legem dissensum interpretari, tanquam de uno stipulator, de alio reus debendi cogitauerit [r]: quod in testamentis dici non potest, cum ab unius uoluntate sumant robur [s].

g l. si plures. §. locator hor. ff. lo.
h l. quotiẽs. §. tantundẽ. ubi Bar. ff. de hær. inst.
i Bart. in l. 7. in pe. col. C. de li. conte. moder. in c. solicitudinem. de app.
k l. non ad ff. de cond. & dem.
l l. pacta. ff. de contrah. empt. ubi no.
m l. Iulia. uerũ. ff. de condi. indeb.
n l. centesimis. §. fi. de uerb. obl.
o in l. petens. C. de pac.
p in. l. legato generaliter. de lega. 1.
q §. unum. & §. fi. insti. de hære. instit.
r l. stipu. ista. §. in stipul. & l. inter stipul. §. 7
s l. cũ nostrorũ. C. de fideicõm.

Pœnam generaliter committi, cum res in principali stipulatione deducta, cum primum dari potuit, data non est: nec in ultimis uoluntatibus, in libertate, in penu quicquam speciale esse, tum nouo sensu percepta. l. ita stip. de uerb. oblig. Cap. XI.



Vccedit in eadem lege diffusior tractatus, quando stipulatio pœnalis cõmittatur: & Sabinus Iurisconsultus, postquam promissum in principali stipulatione dari fieri potuisset, & datum factum non esset, indistinctè cõmitti credidit: & id ex contrahentium sententia, & exemplo penus legatæ. Papinianus sententiam Sabini uidetur sequi, cum à conuentione, nõ ab conditione stipulatio incipit: tunc enim id expectatur tempus, quo amplius dari fieri non possit. Et hoc modo quotquot sunt, aut fuerunt Doctores, uerba Iurisconsulti intelligunt. At ipse longè aliter existimaui, & omnino Sabini opinionem ueram esse Papinianoque probari, aliâs disputando defendi. Pro hac itaque sententia primo illud adducendum: rationem distinctionis, quam Accursius [a] & alij tradunt, non satis firmã esse: quamuis enim in stipulatione, si stichum non dederis, dabis x. stichus in obligatione non sit; sicuti est in illa, promittis stichum, & si nõ dederis, x. spondes? saltem ta

a in glos. 1.

b in l. non solum. §. morte. in pe. col. de op. no. n.

c l. si peculium. in fi. ff. de stat. lib.

d l. uel negare quem. test. ap.

e l. fina. ff. communia pr.ed.

f Bar. in d. l. fin.

g l. quæ de legato ff. de. leg. j.

h l. unum. §. j. de lega. ij. Roma. in l. si plures. de dam. infec.

i l. fi. ff. qui sine man. Alex. consi. cxviij. in iij. col. in iij. uo.

k l. i. §. itē si ita. ff. ad l. fal. cum simi.

l l. obl. fere. §. fi. de act. & obl.

m l. triticum. supra eo.

n No. in l. j. C. si aduer. trans.

men, ut Bartolus [b] aliquando dicit, in consequentiam admittendum est, in obligatione esse: ob minimam igitur differentiam non debet probabiliter diuersum ius induci. Sed fortius certè nos impellit: quòd si quis ita libertatem accipiat, stichus si hæres eum non manumiserit, liber esto, nisi hæres cum primū potest manumittat, fit liber [c]: & tamen dispositio hæc à conditione incipit. Nec huic argumento responsiones per doctores scriptæ quicquam obsunt, & in primis crebrior Bartoli opinio, speciale id esse in ultimis uoluntatibus fatentis. Sed qua ratione istud introductū est? Cyrillus, Homodeus, & Iacobus Puteus id factum existimant, quoniā nostra interest testamenta citius exitū habere, q̄ contractus [d]: itē quia ultimæ uoluntates nō suspenduntur sicut cæteri actus [e]. Quæ rationes nostrum casum minime attingunt: tum quia antequam dies cedat (quibus terminis nos loquimur) testamentorum dispositiones magis in pendenti stare permittuntur, quàm contractus [f]: tum etiam quia tam citò adimplenda est contractuum dispositio, quàm testamentorum [g], si ita de contrahentium uoluntate esse præsumatur: quæ quidem præsumptio Sabini argumentum est. Iason aliter opinatur, & rationem esse scribit: quoniam in contractibus uerba dubia interpretantur contra stipulatorem: in testamentis uerò latissimè accipienda sunt, eius fauore cui aliquid relinquitur. Sed & hîc fallitur Iason, cum uerba generaliter pro hærede interpretentur in legatarij damnum [h], ueluti in contractibus pro debitore contra stipulantē. Cum ergo ratione hæc dicta careant, quid est quòd in Bartoli sententiā accedamus? Aretinus speciale id esse non in ultimis uoluntatibus, sed in libertate tradit: eo potissimum argumento, quòd in serui uenditione, cū libertate sub modo facta, modum intra duos menses implendum lex statuit, & id fauore libertatis [i]. Verùm quid cōmune habet modus, in quo nil decisum erat cum conditione? quid item contractus onerosus cum lucratiuo? præsertim cum in præsenti articulo stichum statim liberum esse lex ex uoluntate testatoris disponat, non ex fauore aliquo. Et fortissimum est argumentum ab ea ad contrahentes, ut Sabinus aiebat. Probatur & nostra opinio tertia ratione: nam seu ita legem, hæres penum dato: si non dederis, x. dato: seu ita, si penum non dederis, x. dato: statim cum dari potuit penus, & data non est, committitur pœna [k], transfunditurq́ prior obligatio in pœnalem. Nec hoc in ultimis tantum uoluntatibus procedere ex Bartolo quisquā credat: cū ratione id carere suprà demonstrauerimus: & in hac transfusione idem esse in contractibus, Paulus attestetur [l]: alij in penu speciale esse prodiderunt, propter rei naturam: nam cum penus alimenta respiciat, in eis longa dilatio non fuit danda: com muniterq́ sic dici solet. Sed hanc rationē haud sanè faciliter ipse admiserim: cum si istud propter alimentorum fauorem induceretur, consultius fuisset, in eis, non in penore exemplum referre. Videmus enim quædam in alimentis, quæ non in penu, contineri, ut uestes: & è contrario plerunq́ idem. quinetiā ut hæc uera sint, necessariū est Iurisconsultum intelligere, ut de magna penoris quantitate loquatur, cum ex perpauca ali nemo possit. Nec consentiemdum est, ideo alimenta legatum respicere, quòd in uescendo consistat: alioqui dicendum esset, incertam tritici stipulationem ualere, tanquam ad alimenta pertineret: quod iuris autoritate reprobatur [m]: adde quòd & in penu potius contrarium statuendum fuerat. Nam cum frumentum uitietur, & uinum aceat, muceatq́, expectandum fuisset tempus, quo amplius præstari non potuissent, cum id trienium non excedat [n]. Fateamur itaq́, quod de libertate penuq́ dictum est, ex communi regula descendere: quam probari suprascripta lege, ita stipulatus, iamiam demonstrabo. nam & cum fideiussor ita acceptus est, si reus XL. quæ ei credidi, non soluerit, fide tua esse iubes? statim deberi Iulianus scripsit, tametsi à conditione stipulatio incipiat. nec Bartoli & cæterorum responsio, dum præcessisse conuentionem saltem in reo tradunt, probabilis est: cōuentio enim à reo facta, in personam fideiussoris hoc casu quicquam operari non debet: cum ideo operetur, quia ex illa statim dies cedit: at hic ex cōuentione non cedit, sed ex cōditionis euentu, quæ in pœnali stipulatione deducta est. Aduertendum igitur est, Sabinum indistinctè existimasse, quoquo modo incipiat stipulatio, pœnalem committi, si principale cum cōmodè potuit datum factum non sit: eiusq́ sententiam colligi ex contrahentium uoluntate. Sicut in penu idem est, propter defuncti uoluntatem, & rei ipsius legatæ naturam: de cuius legati natura est, ut à testatoris sen-

A toris ſententia pendeat, ſicut etiam contractus à partibus legem capiunt: & hoc ſenſu hæc dicta accipienda ſunt: alioqui ſi quicquam ſpeciale inducerent, quid aliud feciſſet Sabinus, optimus (ut credere par eſt) Iuriſconſultus, quàm aduerſus ſeipſum argumentari, & ſuo ſe gladio iugulare? quod profectò qui crediderit, temerarius eſt. Neq; uero quiſquã obijciat, non Sabini, ſed Papiniani ea uerba eſſe: quoniã ea uocula, idq;, cõtinuationem reſpicit [o], non aduerſatiuã: quod faciundum fuerat, ſi hæc reſponſio recipiatur. Poſtquam igitur argumentũ retulit Papinianus, diſtinguit, an ſtipulatio incipiat à conditione, uel à pactione: deinde quoniam ex ea diſtinctione argumentum Sabini non elidebatur, eius opinionẽ tanquam indubitatò probat: eo caſu quo actum ſit, ut ſi alterũ non detur, utrunq; debeatur: & hoc declarandum, ut poſt Oldradum alij tradiderunt. Sed quoniam adhuc argumentũ urget, Papinianus à præcedenti diſtinctione recedit, & illi aduerſante clauſula: ſed etiamſi (inquit) cautũ ſit, ut ſola pecunia non ſoluto homine debeatur: idem defendendum erit, quoniam uoluntas fuiſſe probatur: hoc eſt probari à Iuriſconſultis, & ex argumento Sabini uoluntatem contrahentiũ ita eſſe, ut homo ſtatim ſoluatur, aut pecunia petatur. Nec nouum uideri debet, ſi ab opinione, quam ſemel probauerit, recedit incontinenti Iuriſconſultus. Nam & id alijs locis factum plerunq; uidimus [p], quos enumerare nunc non uacat, nec operæprecium eſt. Et hæc noſtra declaratio non probabilis ſolum eſt, ſed etiam neceſſaria: cum aliter finis legis rectè interpretari non poſſit, & cum ueteres interpretationes firmiſſimis argumentis Aretinus reprobet, & iuniores ſecuti ſint, acquieſcam interim hac in parte eorũ laboribus. Videndum eſt, num ſat rectè ipſe Aretinus, & eo prior Iacobus Puteus, atq; id genus alij declarent: & eorum ſententia eſt, uerſiculum hunc ultimum in ea ſtipulatione loqui, quæ à pactione procedat. Quam ſententiã Accurſij gloſſema tidion [q] quoddam attingit, licet non probet, & meritò: contextis enim ibi uerbis repugnat, in quibus per ablatiuum abſolutum loquendo, conditio denotatur: non enim aliud eſt,
B pecuniam non ſoluto homine [r] promittere, quàm ſi ita interroges: ſi hominem non ſolueris, promittis pecuniã? ſed & cum aduerſatiuè uerba in illo uerſiculo proferantur, ſicut in præcedenti, agere cum à conditione cœptum eſt, poteſt: ita & in ſequenti dicendum opinor: quoniam aduerſatiuæ uocis, ſed & ſi, natura hoc requirit [s]: præterea ſi à conuentione inciperet ſtipulatio, ſola pœna in obligatione non eſſet, quod Iuriſconſultus ipſe affirmat.

o no. in l. ea tamẽ d. le. iij.
p in l. fi. ff. de condi. ſine cauſa. l. duob. de lib. ca.
q in uerbo defendendum.
r l. acceptis. ff. de cõdi. & demõ. Iaſ. in rubr. ff. ſolu. ma.
s Bal. in l. omnes populi. ff. de iuſti. & iu. Alex. in l. filius à patre, x. col. de libe. & poſth.

Pœnalem ſtipulationem præcedentem non nouare, & quo tempore ex ea agi poſſit. Cap. XII.

TRactatur & in eadem iuris ciuilis lege profuſiſſimus articulus: quibusnã caſibus pœnalis ſtipulatio pręcedentẽ nouet, & quibus non nouet. Qua quidẽ in quęſtione etiã treſdecim uarias Doctorũ opiniones enarrare poſſem: ſed quoniam id inutile ſemper duxi, quid ipſe ſentiã breuiſſimè effari operępreciũ fore arbitratus ſum. Tenendum itaq;, priorẽ ſtipulationẽ per pœnam nunq; nouari, & hoc efficaci ratione: nam cum pœnalis ſtipulatio fauore ſtipulatoris apponatur, ne quod ſua intereſt, quæ in principali ſtipulatione tractata ſunt, minus eſſe facta, probare (quod difficillimum eſt) illi neceſſe ſit [a]: quo nam pacto dicemus fieri nouationẽ? In ſtipulatione tamen facti quia fauore debitoris lex ſolũ id quod intereſt uult præſtari [b], quod quidem per adiectionẽ certæ pecuniæ ad liquidum perduci cenſetur, fit nouatio [c]: quia hoc caſu de ſolo ſtipulatoris fauore actum uideri non poteſt. idem cum quis penum legat, & ſi hæres penum non dederit, centum: uidetur enim teſtator hæredi quoq; uoluiſſe conſulere [d]. quòd ſi dixerit pœnæ nomine centũ, expreſſa pœnæ mentio arguit, ſolum legatarij fauorem in teſtatoris animaduerſione fuiſſe, meritò tunc nouationi locus non erit: quod & Baldus probat [e]. Sed dubitauerit quiſpiam, quo potiſſimum tempore fiat hæc transfuſio, ita ut agi ad pœnam poſſit. Ipſe crediderim poſt interpellationem ex modica intercapedine ad pœnam actionem competere: ſed promiſſorem uſque ad litis conteſtationem [f], quod in principali debebat, facultatem ſoluendi habere, purgabitq; illuc uſq; moram, tametſi Bartolus tranſ-

a l. fi. de præto. ſtip.
b l. ſtip. nõ diuid. uerſ. celſus.
c l obli. §. fi. de act.
d l. ſi penũ. quando dies. lega. ced.
e Bal. l. j. C. de his qui pen. no.
f l. inſulam de uerb. oblig.

fusionem fieri neget, donec lis contestetur: sed intelligendum de ea puto, quæ ineluibilem moræ notam patitur: & hæc satis. c

In stipulatione per te neque per hæredem tuum fieri, si plurium hæredum unus contrà faciat, insolidum contra omnes pœnam committi: & assignata ratio, cur in stipulationibus dandi testator uni hæredum quærere non possit, in factis contrà. Cap. XIII.



Est & perquam difficilis quæstio: si quisquam promiserit neque per se, neque per hæredem suũ fieri, quo minus ire agere liceat: si unus ex pluribus hæredibus contrà quàm cautũ sit fecerit, obligentur ne pro hæreditaria portione omnes, an insolidum: & Bartolus, cæteriq; omnes, ex celebratissimo illo [a] Catonis responso pro hæreditarijs portionibus teneri tradunt. Verùm contrariam sententiã probabiliorem esse, quandoq; in scholasticorum corona defendi: inter cætera hoc quoque argumento: dum in VI. quæstione Bartolus, communiterq; alij eam regulam probant, in obligatione quæ ad hæredes non transit, si stipulator hæredis mentionem faciat, illis solidum acquiri: quamobrem si mihi & hæredibus meis usum stipuler, singuli insolidũ hæredes usum habent, non quidem transmissum, sed incipiente in eis nouo iure. Item si sub pœna stipulati utrinq; simus, neq; nos, neq; hæredes nostros offendi: & unus ex tuis hæredibus, ex meis unum offenderit, insolidum stipulatio committetur [b]; cum aliquem non offendere personam respiciat, nec ad hæredes transmittatur. Neq; dixerit quisquam, prædictam stipulationem per te non fieri, ad hæredes transire [c]: quia licet hoc affirmandum sit, cum pro iam constituta seruitute conseruanda agitur: tamen alijs casibus minimè, quos illa stipulationis uerba comprendunt: & ne rationibus tantum recentiorum sententiam hanc comprobemus, ex huiusmodi stipulatione insolidum omnes hæredes teneri, Paulus iuris autor scripsit [d]: quapropter familiæ herciscundæ iudicio præstandam cautionẽ, ne factum unius damnosum cæteris sit. At huic argumento respondet Aretinus [e], insolidũ hæredes teneri omnes simul, non singulos: quod sanè perquam durum est, & cauillo nõ caret: ut Socinus [f] nequaquam id probans soli rationi, quam Iurisconsultus adfert, adhæserit. Sed & ipse non intellecto textu, sat infeliciter. Nam etiamsi finem attenderimus, unius facto omnes tenentur: quoniam licet unus tantum prohibeat, stipulator tamen in totum prohibitus est [g]: ergo insolidum omnes obligari debent. Ipse igitur ut nodos hosce extricem, plurimum referre existimo, an simpliciter per me non fieri quo minus tibi ire agere liceat, stipulemur, an uerò adiecto successoris nomine per me nec hæredem meum fieri &c. nam priore casu proportione hæreditaria [h] pœnam committi fatendum est, posteriore non æquè: rationemq; illam esse, quòd XII. tabularum lex obligationes diuidat, quæ à testatore in hæredem transmittantur, non quæ ab hæredibus ipsis incipiant: nam hæredes ipsi in obligatione hoc casu principales sunt: & in cõfesso est, in principalium personis eam legem cessare [i]: quoniam plus delinquit qui in principali contrà facit, quàm si illi quæ transfundatur obuiã quis eat [k]. Quoties igitur aliquis hæredis nomen exprimit, illi stipulari intelligitur, mortuoq; testatore, quæ eius erat, obligatio extinguitur, & noua in hæredibus incipit: quod nec Bartolus [l] ipse, puto, negauerit. Hoc itaq; casu nihil lege XII. tabularum nouatum est. Nec mirum fuerit, mitius in obligatione transmissa agi, quàm in noua agatur, nec quicquam obstabit, si fatebimur huiusmodi obligationem hæreditariam esse: quoniam licet aliquo modo uerum id sit, lex tamen XII. tabularum eam hæreditariã solum diuidit, quæ transfunditur [m], non quæ noua incipit, cum strictè loquendo uix sit ut eam hęreditariã concedamus. Et hoc proloquiũ si (ut certè est) uti uerum defendatur, Bartoli quoq; sententia, ut hæredem hæres offendens casu, quem suprà retulimus, insolidum omnes obliget, sub stinebitur: quamuis non parum multi in ea septima quæstione aduersi eant. Tum & efficax ratio, cur in stipulationibus dandi testator uni hæredum acquirere non possit, in factis contrà reddi poterit. Nam cum obligationes dandi ad hæredes transeant, tametsi testator uni stipuletur, legis dispositione etiam ad alios transferũtur: sed in factis cum ea ad b

a §. liiij. ff. de uerb. oblig.
b in vij. quæst.
c in l. ij. uers. contra. de uer. obl.
d in l. hæredes. §. in illa famil. hercis.
e in d. l. ij. §. item si in facto.
f in. ff. cato.
g l. in executione §. quòd si stip.
h §. cato.
i l. tutor. §. Lucius de usu.
k Iason in vj. no.
l Bar. in l. stip. ista. §. si qs ita.
m Imol. in l. continuum. §. fin.

A ea ad hæredes non spectent, si uni eorum quisquam stipuletur, non transmittitur obligatio, sed uti nouum ius in eo cui stipulatum est, incipit: & idcirco alijs non communicatur. Sensitq; ita esse Petrus Aureliæ Gallicus [n] interpres: quamuis Bartolus fortissima, ut sibi uisum est, ratione in contrariam abeat: nam demus (inquit) hoc, necessariò etiam concedemus, posse aliquem extraneo stipulari: cum hic hæres pro parte tantum hæres, in cætero extraneus totam obligationẽ acquirat, eo etiam respectu quo est extraneus. Verum Bartoli rationem alij probent, nequaq; ipse eam probauerim: cum potuerit hæc stipulatio in portione ipsius hæredis computari, quo facto in ea non erit extraneus: poterit & uti legatum, præceptio ue censeri: nam si hac ratione nihilominus quisq; legatario, fidei ue cõmissario stipulari in totũ permittitur [o], quantominus hęredi?

n in l. continuus. §. fi.

o l. fina. C. de fideicomm.

In promissione facti, quamuis litis ordinationẽ respiciat, si in una contrà fiat, insolidum pœnam committi, nec obstare exceptionem. Cap. XIIII.



A Ffinis præcedenti tractatui est alia hæc dubitatio: si Stichum, Erotem, Damam sistere promisero: & si non fecero, pœnæ nomine centum, duobus statis, num insolidum pœna committatur. Et committi proculdubio est [a]. Sed si pro rata portione pœna offeratur agenti obstat exceptio. Bartolus [b] id fatetur in omnibus factis procedere, quæ litis principium, non terminos respiciunt, quod uix est ut concedam: cum in stipulatione rati lex id non sinat [c], quæ tamen potest præparatoria esse [d]: alioquin maximè coarctaretẽ legis dispositio: quin & in prædicta stipulatione de sistendo, pœnam, etiam cum effectu committi iure probatur [e]. Nec Bar. sine cauillo respondet, cum eadem uerba in una lege iudicium respicere, in alia uerò minimè [f], tradit. Sed & fortasse imperitius Baldus iunior, & Iason, dum alibi sub conditione promissum, alibi sub pœna testantur, quasi pœna sub conditione addi non soleat. Quamobrem Petri Aurelianensis sententiam ipse defendendam cre-
B do. Is arbitratus est, si unum factum indiuiduum in obligatione sit, si pars non præstetur, omnino pœnam cõmitti, nec exceptionẽ obstare, si duo uel tria sint, secus est: cum licet conceptione uerborum stipulatio una sit [g], uerè tamen plures sunt: & hoc uerum, nisi stipulatio copulatiuè concipiatur: quia eius natura cuilibet insolidum actus tribui solitum est [h]: & hac breuissima interpretatione ingens chartarum aceruus allucinantium hoc sensu Iurisperitorum ex albo tollendus est.

a l. si seruus. ff. si quis caut.

b Bar. in. §. cato. in x. opp.

c §. cato.

d l. 1. C. de proc.

e l. si is qui ce. §. cum ita. ff. de reb. dub.

f in l. si seruus. in. §. cum ita.

g l. scire debemus

h Soci. in d. §. cũ ita. in secundo nota.

Cur stipulatio annua sit una: legatum annuum tot contineat legata, quot præstationes sunt. Cap. XV.



S I in annos singulos centum dari stipuler, una est hæc stipulatio: si eandem quantitatem quotannis legauero, tot legata sunt, quot præstationes: primumq; simplex erit: quæ sequentur, conditionalia [a]. Huius differentiæ ratio quæ sit, iuris interpretes nostri uarijs modis differunt: & quidam cum legata propter legatarij beneficia fiant [b], & ab mente testatoris accipiant uires, necessariò conditionalia esse tradiderunt: cum is defuncti animus fuisse præsumatur, ut legatarius donec uiuat, legato fruatur: conditio itaq; si uiuat, omni anno suberit, suspendetq; interim dationem: at in stipulationibus aliter, cum in eis uerba [c], non legatarij merita attendantur. Sed hæc ratio parum quenquam mouere debuit: cum etiam si stipulatus sim X. quotannis si uixero, una tamen sit stipulatio. Nec solent conditiones ex una plures stipulationes facere: neq; ratio ipsa affectionis præsentẽ casum satis respicit. Ergo alij introductum existimant: quoniam in stipulatione stipulator ipse sibi prouidet: in legato non legatarius, sed testator agit: factum igitur proprium plus alieno iuuat. Verùm nec hoc satis probabile est, tum quia nec hinc necessariò sequitur, ut diuersitas hæc debuerit iure approbari: tum etiã quia in interpretationibus dubijs magis legatario quàm stipulatori solet consuli [d]. Quare aliter ego respondendum censeo: in stipulatione enim quammaximè operantur uerba, in legatis uoluntas & præstatio: quocirca cum in proposito casu stipulationis uerba ità concepta sint, ut unum dictum unam ue formã comprendant, una est stipulatio: in legatis uero nõ uerba, sed præstationes quæ plurimæ sunt, & uoluntas, quæ multas dationes ordinauit, considerant.

a l. si stichum. §. fi. ff. de uer. ob.

b l. nec adiecit. pro socio.

c l. quicquid. de uerb. oblig.

d l. semper. de regu. iu.

e l. in conditionibus. ff. de condi. & demo.

Legitimatio quemadmodum fauorabilis odiosá ue sit, & uulgata quædam quæstio aduersus neotericos defensa: & noua alia præterquam quisque opinaretur enucleata. Cap. XVI. C



QVi potestatem legitimandi spurios, uel incestos, à principe habeat, quæritur an eum possit legitimum facere, qui utraque nota famosus sit. Et quoniam quęstio hæc plenissimis chartis per recentiores explicatur, ea censeo in medium afferri debere, quæ ueritatem quambreuissimè ostendant, & alios tamen prætererint. Igitur in primis hoc attingendum, an legitimatio hæc (ita enim nostrates loquuntur) fauorabilis sit, an tanquã odio non careat restringenda. Et Nicolaus Tudiscus, quem Pontanus & Alexander probant[a], potestatẽ quidem ipsam fauorabilem esse, exercitium odiosum tradunt. Idemq; & Socino & Decio uidetur. Sed hæc nos quamlongissimè à uero abesse opinamur: tum quia ex effectu[b] uidetur iudicandum, an res fauorabilis uel odiosa sit: sicut dos est fauorabilis propter filios, uenter parturiens respectu infantis[c]: tum etiam quòd cum potestas propter exercitiũ concessa sit, exercitij naturã habere debet[d]: nam & hæc facultas solo Cæsari in supremæ maiestatis signum congruit: ergo si cuiquã demandetur, odiosam esse fatebimur[e], sicut delegata à principe iurisdictio, & potestatis, & exercitij ratione restringitur[f]. Reijcienda igitur explodendaq; est huiusmodi opinio: adhærendumq; ipsarum constitutionum uerbis, legitimationemq; ratione patris odiosam esse credendum est[g]: quoniã quoddam quasi alliciũ stupri adulterijq; est: in filijs uerò fauorabilis dicitur[h], cum misericordia digni sint, qui alieno laborant uitio. quamobrem secundum ea quæ proponuntur crediderim filium huiusmodi utrinq; turpem legitimum fieri posse: quam sententiã Bartolus, communiterq; ciuilis legis periti sequuntur: tametsi rationes minimè efficaces allegent. Igitur si quisquam plures filios spurios, & plures incestos habeat, poterit Palatinus Comes dubio procul omnes ex duplomate legitimos facere, quanto magis igitur unũ duobus contactũ neuis[i]? quamuis ergo respectu patris cõcessio odiosa sit, tamen cum in proposito casu is minus deliquerit, hoc admittendum est: respectu D uerò filij quamuis minor sit ratio (etsi enim quoscunque simplici culpa læsos restituere poterit: non ideo eum restituere debet, qui dupliciter deturpetur) tamen cum legitimatio fauorabilis sit, his casibus extendetur[k]. Nec absurdum est, eandem dispositionem diuersis modis fauorabilem & odiosam esse[l]: siquidem fatemur omnes, legem qua libertus patrono honorem exhibet, ratione patroni fauorabilem, & ideo etiam ad hæredem eius extraneum produci, ratione liberti odiosam, ut eius exteri hæredes non comprendantur: & hæc quidem uera esse ipse crediderim. Cæterum cum frequentiore calculo probetur, legitimationes generaliter fauorabiles esse[m]: dispensationes uerò quoniam omnino ad legitima natalia non restituãt, odiosas: de facto interrogatus, cum Palatinus legitimandi concessa sibi potestate quendam dispensasset, respondi, dispensationem non ualere: quoniam concesso fauore legitimandi, non sequitur, potuisse eum dispensare, quod odiosum est, & difficilius præstari solet[n]: uidebanturq; ea uerba quæ dispensationem inducebant, reijci debere, remanereq; talem merè legitimatum, & id ex regula, quamcunque dispositionem sub modo impossibili factam ualere, modum abijci[o]. Huiuscemodi enim concepta uerba proponebantur: Legitimo te ita, ut in eis tantum succedas bonis, quæ tuus uolet pater. Sed hoc, licet summo iure defendatur, perquam durum est, & difusiore indigeret tractatu.

Quid in causa sit, ut usufructus diuisionem admittat, usus uerò sit indiuiduus: improbatæ aliorum rationes, & noua assignatur. Cap. XVII.



CVr utifrui pro parte possumus, uti non possumus[a]? an quòd usus ex usuarij necessitate penditur, & ideo incertus est: sed in usufructu secus? quod quamuis repugnante Bartolo[b] minimè concesserim, cum alimenta personæ necessitatẽ respiciant, & tamen diuisionem admittant[c], nec maior est incertitudo hoc casu, quòd usuarius & familiam & hospitem alat, cum etiam alimenta & Titio, & eius familiæ legari possint[d]. Quid enim si usus fundi legatus sit, ut

a in l. ij. de uerb. ob. in c. at si clerici. de iud.
b l. j. sol. mat.
c l. j. §. & generaliter. de uẽt. in poss. mit.
d arg. l. si argẽto ff. de aur. et ar. Bar. l. constitutionibus. ff. ad municip.
e c. quod ad trã. de offic. leg.
f Bal. in c. gratũ. de offi. dele.
g l. fi. C. de natu. lib.
h & l. j. distin. undecunque.
i c. per uenerabilẽ. ubi Abb. qui filij sint legit.
k c. fin. de simo.
l glo. & scrib. in l. ij. C. de in ius uoc.
m Bar. & alij in d. l. ij. de ue. ob. Decius in d. c. at si clerici.
n in consi fran. de curt. cõsi. xviij. in iij. colum.
o Bart. & Aret. in l. impoßibilis. de uer. obl.
a l. usus pars. §. de usu.
b l. stipulationes non diuiduntur
c l. iij. §. fi. l. pecu. ff. de ali. le. Bar. in l. quintus. de aur. & arg. leg.
d l. cum alimenta. eodem tit.

A sit, ut solus paterfamiliâs utatur? nec incertitudo sat firmum argumentum pro Bartolo est, cum & facta omnia incerta sint, quædam tamen diuisionem admittant [e]. An ergo quod alibi traditur, usum indiuiduum? quia cum realibus seruitutibus indiuiduis maxima similitudine censetur [f], sed certè maiorem cum usufructu communionẽ habet, qui tamen separationes recipit: etsi nec iure quisquam probauerit, indiuiduã dici rem, quia indiuiduę in quibusdam simillima sit [g]. An igitur uerius, quod communi sententia Baldus, Ioannes Imolensis, Pontanus, & alij tradunt, usum necessitatem personæ respicere? quamobrem portiunculam non id pro rata operari, quod totum: cum ex solius partis præstatione nullus uiuat, ideoq; usum non diuidi: quod in usufructu est contrà: uerum hæc ratio ex eodem alimentorum legato conuincitur. Item quid si diuiti usus relictus sit? uiuet enim & ex eo, & ex proprijs bonis. Item si pars usus tam præpolleat, ut usuarium alat, quid iuris? nam etsi modici emolumenti sit, nec familiam, nec hospites admittet [h], solusq; inde uictitabit: an igitur probabiliter noua ratione dicendum est, differentiam ex proprietate uerborum colligi? siquidem plus est frui quàm sit uti: quoniã qui fruitur, plenissimam facultatem habet, nõ qui utitur: hic in itinere, ille in meta est [i]. Itaque illud diuiduum esse non potest, quod ad æstimationẽ, utpote rem diuiduam [k], deduci non possit, quod in usu est: cuius æstimationem si consideraueris, non usum, sed usumfructum feceris: quia pecunia in fructu est.

e l. iiij. de uerb. oblig. §. cato.
f Bartol. in d. l. stipu. non diui.
g l. quod Nerua depositi.
h arg. l. iiij. de usu primo resp.
i l. plenũ. eo. tit. Valla in elegantijs 304.
k l. ij. de uer. obl.

Si sententiæ arbitri paritum non sit, pœnam statim cõmitti, nec expectari quid bonus uir, ad quem proclamatũ est, iudicet: & longissima quæstio aliter quàm cæteri, breuissimè explicata. Cap. XVIII.



CVm tecum litigarem, pacti sumus arbitri iudicio negociũ omne summittere: & utrinque sub certa pœna alter ab altero stipulatus est, boni uiri arbitratu rem amplius non cõmitti: dein cum arbiter aduersus me pronunciasset, petijssemq; arbitrium boni uiri, qui priorem arbitri sententiam probauit: B quæritur an ad pœnam agere possis? & si agas, num contrà excipere, probareq; possim prolatum iudicium iniquum esse? & Bartolus posse existimauit, si primam sententiam arbitrator confirmauit: quia non probauerim, secus si quia non iustè egerim, communiterq; ita iudicari solet. At Angelus cum quibusdam alijs, omni casu exceptionem admittendam existimarunt: alij uerò alijs modis. Tamq; hæc quæstio frequens scripta est, ut uel XV. pagellas opinionum relatione Alexander [a] hinc infarserit. Sed nos ea omnia singulari ratione tolli quandoque existimauimus, peccasseq; in eo Doctores, quòd huiusce quæstionis principalem cardinem falsum esse non perspexerint: ut non mirum sit, si diruto, quod aiunt hypogæo, cœnacula quoq; & pinnas ruere necessarium sit. Siquidem in præsentem diem quotquot fuerunt recentiore disciplina Iurisperiti, in promissione suprascripta pœnali existimauerunt tacitam conditionem esse, si arbiter iustè arbitratus sit: quoniã ea ferè mens est personã arbitri substituentium: ut quia iustè eum iudicaturum sperent, id faciant: non quòd uelint uel immodicè grauari [b]. Igitur expectandam boni sententiam crediderunt, ut hinc cognoscatur, num arbiter ipse iustè iudicauerit. Sed uereor ne probata hæc passim opinio uera non sit, eo uidelicet casu quo pœnam stipulati sumus: cum uulgò soleat dici, metu pœnæ, quoquo modo arbiter ius dixerit, parendum esse [c]. Nam & si quis sub pœna, contrà quàm cautum sit, non facere promittat, & fecerit, quamuis de iure, tamen pœna statim committitur: & quidem certius, quàm si de facto tantum contrafecerit [d], quòd igitur dictũ est, præcedentem stipulationem intelligi, si arbiter iustè pronunciauerit, non procedere fatendum est, cũ huiusmodi stipulationi adiecta est pœna. Nec obstant duo argumenta, quorum prius ex autoritate Scæuolæ uulgatissimum [e], si duo fratres de patris hæreditate transigant, & sub pœna promittant transactioni nõ contrauenire: & dein alter superstes tanquam sibi per fideicommissum debita fratris bona defuncti petat, non committi pœnam, nisi lata contra eum sententia. Sed hoc ideo concedendum est, quia dubium fuerat, an petens fideicõmissum transactioni obuiam iret, quapropter expectanda fuit quæ id declararet sententia: uerùm in proposito casu mox certum est, eum qui

a in §. duo frat.
b l. fi. libertus. de ope. libe.
c l. diem. §. stari. de arbi.
d Bar. in l. continuus. §. cũ qs. de uerb. oblig.
e §. duo frat. cau.

ad arbitrium boni uiri proclamat, contra stipulationem facere, qua id expressim prohibetur: ergo & confestim puniendus. Posterior argumentatio minus quencunque mouerit, cum dicitur, in compromissis nisi pars in dolo uersetur, pœnam non committi [f]: nam in nostra dubitatione dixeris, protinus eum dolosè agere, qui abstinere à boni uiri iudicio, licet iustam causam haberet, promisit, & contrà quàm spoponderit, petit tamen: igitur fraude non caret [g]. Et hæc quidem sine dubio uera esse profiteor, cum pœna contemptum sententiæ arbitri ulciscitur: alioqui si prius coram arbitratore litigauerim, poterimus boni uiri arbitrium etiam requirere, quamuis pœna apposita proponatur: & hoc casu Doctorum uarias altercationes posse sibi locum probabiliter uendicare, non diffiteor: etsi maxima eorum pars hanc differentiam non perspexerit: & hoc ideo, quoniam metu pœnæ arbitratoris sententiæ non statur, arbitri statur [h]. Cæterum quod diximus, si duo fratres in diuisione pœnam promiserint, petenti fideicōmissum non solum obstare transactionis exceptionem, sed etiam cōmitti pœnam, idq́ ex Scæuolæ sententia, Accursius, & crebriore calculo cæteri, ita accipiendum hoc existimauerunt: si actum sit utrunque deberi, alioquin ad pœnam agenti obstaturam doli mali exceptionem: quoniam Vlpiani [i] responso traditum est: Si pacto subiecta sit pœnæ stipulatio, uerius esse, utraque uia uti posse eum qui stipulatus sit, si tamen exceptione pacti utatur, æquum erit accepto eum stipulationē ferre. Sed ego arbitror hoc in responso ideo disiunctim hæc iura competere: quoniam pactum præcedentem obligationem ipso iure non extinguit [k]: at in Scæuolæ responso transactio stipulationis accessione cōfirmata præcedentem omnem obligationem extinguere uidetur: quo fit ut disiunctim accipi hæc iura nequeant: quia cum omnino fideicommissi petitio sublata esset, sequitur id actum, ut pœna debeatur, etiamsi à persecutione actor summotus sit: alioquin pœnæ stipulatio renunciatione abolitum fideicommissum suscitaret, eiusq́ contrariū effectum operaretur, cuius causa solet induci. Dixerit aliquis, quomodo extinctum fideicommissum arbitrabimur, cum malè pronunciatum fuerit? Cui respondendum erit: cum pronunciatum sit quasi de hoc quoque transactum fuisset: talis sententia pro ueritate habetur, nec amplius quærendum est, cum dici soleat: rem actam ne agas. Hincq́ consequens est, ut alius quoque obex summoueatur. tradidit Scæuola ex ea sententia, qua à petitione fideicommissi actor reijcitur committi pœnam, & de sententiæ ueritate inquiri amplius non posse: quoniam præiudicium in accessorio pœnæ iudicio faciat. Sed huic sententiæ aduersari uidetur Pauli responsum [l], quo tradidit, re uendita, & duplæ pœna promissa, si uenditor ab emptore petat, posse emptorem exceptione aduersus agentem uti: quia quem actio euictionis tenet, eum agentem exceptio absque dubio summouet: quòd si ea opposita nihilominus actor obtinuerit, saluum erit emptori duplæ iudicium. ecce quemadmodum sententia in principali iudicio fauore actoris lata, eum non adiuuat, quin conuenire ad pœnam possit. Nec dicat quisquam, sequens iudicium priori non aduersari: quod Alexander Iasonq́ existimauerunt: quomodo enim non aduersatur, cum sententia fauore actoris lata arguat exceptionem ueram non esse? Bartolus actorem à reo distinguit, idq́ nulla distinctionis ratione. Cæterum nos aliter finiendam rem existimamus, atque ita censendum: si sententia exceptioni propositæ directò aduersetur, tunc siue absolutoria, siue condemnatoria sit, in accessorio iudicio præiudicium facere, ut in Scæuolæ responso, in quo expressim traditur pronunciasse iudicem quasi de fideicommisso transactum esset: quapropter in proposito Pauli casu si emptor succubuisset expressa causa, quia ab actore non emisset, præiudicaret sententia etiam duplæ respectu. Sed cum ea causa expressa non fuerit, interpretatio illa assumitur, ut probationum defectu succubuerit [m], unde in pœnali iudicio poterit probare ab actore se emisse, quod in principali factum non fuerit. Non igitur in responso suo ociosè Scæuola adiecit causam, quasi de fideicommisso transactum, appositam fuisse: cum alioquin pœna commissa non fuisset, cum item ex ea agenti obstatura alioquin fuisset doli exceptio [n].

Quæ sit

f l. de reb. ff. de arb.
g l. si procuratorem. §. dolo mandati.
h Bar. Bal. Alb. de rosa. in d. §. stari.
i l. rescriptū. §. pen. de pac.
k l. si unus. §. 1. eodem titu.
l l. sed & si exc. de euic.
m Bar. l. Iul. uerū. de cōd. ind.
n d. l. rescriptum.

A Quæ sit ratio, quòd si interrogatio in cõtractu, qui fit uerbis, præcedat, oritur actio, aliter non: & Bartoli communisq; opinio reprobata. Cap. XIX.



Vr si interrogationẽ in continenti sequat responsio, ex stipulatu actio datur: si econuersò, secus est: & quoniã pactũ est nudum, actionẽ non parit: Bartolus, Raphaël, Paulus, Alexãder, Iason, Socinus [a] in causa id esse tradunt, quia si quis nõ interrogatus promittit, si eũ cui promittit, accepturũ opinaretur, fortasse nõ promitteret: quamobrẽ æquũ non fuit, ex tali promissione petitionẽ dari: sed si prius interrogetur quisquam, utrum daturus sit, respondeatq; se daturum, iam exploratissimum habere potest, fore, ut si annuat, stipulator acceptet: & idcirco efficaciter eum obligari, iustũ duxerunt. Verùm hæc ratio non satis, me quidem iudice, uera est: nam cum tibi aliquid promisero, quod tuam utilitatem respiciat, si adsis, & taceas tamen, te consentire legibus præsumi expressum est [b]: quanto magis ipsi qui promittunt, considerare hoc debent? quid enim si quis ex interuallo respondeat? quid item si diligens quispiam, & cautus quid promiserit? certè absq; consilio quicquam ab eo promissum fuisse dicendum non est: & tamen hoc quoq; casu ex pacto non agitur. Accedit huic, quòd etsi conuentione nuda, quotannis xenium tibi spondeam, primamq; præstationem exoluerim, non tamen ratione sequentium annorum agere poteris: tametsi hoc casu dici nõ possit quicquam incautè factum, aut existimasse xenia te repudiaturũ, cum primo anno, uel sequentibus quoq; quibusdam acceperis [c]: præsertim cum hoc casu quæq; traditio nouum cõsensum inducat [d]: nam & ex geminato pacto generaliter actio oriretur: quod tamen iure concedendum non est [e], nisi animo constituendi secunda pactio expressim concipiatur. Sed & omnino ualidius ex Pontificijs decretis [f] conuincitur hæc ratio: quæ dubio procul iniustè actionẽ ex pacto dari concessissent, si ab eo præsumeretur factum, qui collegam crediderat nõ accepturũ. Quid igitur in præsenti articulo censendum? nisi fortasse cum de iure gentium siue interrogatio præcederet, siue non, pactio naturalem obligationem pareret: ius ciuile quod aliam uerbis efficacissimam introduci uolebat, eam approbauit, in qua interrogatio responsionem præcederet: & hoc prædictæ rationis impulsu: quæ licet, ut ostendimus, necessariò non concludat: ita tamen fieri debuisse, aliquo modo suadet. Quapropter quamuis ea quandoque cesset, stipulationem tamen contrahi posse, sicut etiam si adsit, quandoq; non ualere, dicendum est [g], ut non parum dubitẽ, an uera Bartolus scripserit, qui stipulationem quantitatis alioquin inualidam, secuto in continenti nouo consensu ualere dixit [h]: quoniã interrogatio in stipulationibus requiritur, ut eum qui respondit id animo se obligandi facere, certiores reddamur: quæ quidem mens ex nouo consensu satis colligitur, quasi ubicunq; suasoria ratio procedat, ibi & procedere dispositionem dicamus, quod omnino falsum est.

B (margin, beside "um siue interrogatio...")

a in rub. de uerb.
b l. qui patitur in ad.
c l. si certis. C. de pac.
d l. labeo. ff. de pac.
e Iason in l. si pacto. C. eod.
f capi. primo. de pact.
g l. j. §. sexum. de post.
h in l. j. uersi. sed cum adijcitur. de uer. oblig.

Dispositiones legis à dispositionibus hominum quemadmodum dignoscantur. Cap. XX.



Ominum actus à legum dispositionibus multum differunt, cum ex generali regula, quod legislator mitiores interpretationes accipiat [a], tum pluribus casibus specialiter per uarios iuris professores, uarijs relatos locis: è quibus unum exempli causa proponam. Si aliquis deposita apud se ab amico re pluribus institutis hæredibus decesserit, quorum alicuius dolo malo res interuertatur, solum qui dolo fecerit hæredem insolidum teneri iure cõstat [b]. Huiusce casus rationem esse, Paulus Castrensis, & Aretinus, recentioresq; quidam dixerunt [c], quod huiusmodi hæres dispositioni legis contrafacit: quòd doli mali clausula non ex contrahentiũ conuentione in deposito deducatur, sed absoluto cõtractu: quãuis ab illis nihil sit cautum, eam lex inducat, contractuiq; inesse uelit. Nam si hæres iste ex paciscentium facto teneretur, non se solum, sed ex suo delicto etiam cohæredes obligaret: quod omnium consensu in contractu stricti iuris expeditũ est. Sed illud declaratione eget, quemadmodũ dispositiones hominũ à dispositionibus legũ secernamus, & quæ de contractuum natura ueniunt, ut in uini mutuo, quod æquè bonũ reddatur,

a l. celsus. de arbitris.
b l. in depositi. ff. dep.
c in l. iiij. §. cato. in quinta oppo. Bar. ff. de uer. oblig.

ex dispositione legis uenire perfictionem Aretinus[d] credidit: quòd uidelicet fingatur id à mutuante actum: hoc ipse nequaquã probauerim, cum nõ ex fictione, sed ex præsumptionibus illud sit introductum: alioqui contra hanc fictionem probatio non admitteretur, quod dictu absurdum est: nec admodum ad rem facit, quòd præsumptio legis dispositio appelletur: quoniam id solum in firmissima illa præsumptione, quam iuris, & de iure uulgò uocant[e], uerum est: cæteræ legis interpretatione hominũ dispositiones sunt. Ostendit hoc, dum conditiones tacitas explicat Bartolus[f]: quarum ex lege quasdam descendere testatus est: quasdam ex natura rei: ex præsumpta agentium uoluntate alias, ut apertissimè ostendat duas sequẽtes à prima differre. Scripsit idem[g], legis obligationes eas esse, quæ præter paciscentium uoluntatem obligant: quæ uerò ex uoluntate præsumpta à lege introducuntur, non legis, sed hominis actus esse. Neque his contraria sunt, quæ ex eodem alij in medium afferunt: dum diem, qui actioni, tutelæ, & percipiendorum fructuum promissioni sit appositus, non hominis, sed legis dispositioni attribuit[h]. Nam cum is dies ex partium uoluntate nil capiat, non potuit illarum dispositioni deputari. Probatu id facillimum est: quoniam, ut idem opinatur, ex aliqua conuentione fieri non potuit, ut ante eam diem, quam lex statuit, tutelæ actio oriatur: nos itaq; in his cõuentionibus loquimur, quas hominum uoluntati liberas, lex reliquit. Illud tamen adnotatione dignum, huic sententiæ uidetur aduersari, quod quidam scribunt, & communiter affirmatur[i]: Si legis municipalis iussu cogantur aliqui compromittere, & mentione huius legis non facta compromissum sit, id non ex lege, sed sponte, & compromittentium uoluntate censeri factum: ut inde non insubtiliter aliquis colligat, quæ dispositio & ad legem, & ad hominẽ referri possit, in dubijs ad hominem referendam. C

d in d. §. cato.

e l. unica. §. accedit. C. de rei ux. act.

f in l. cõditiones quæ extrinsecus. ff. de condi. & demon.

g in l. stipulationes nõ diuidun tur. in viij. quæstio. ff. de uerb. obligat.

h in l. ita stip. in prima qu. de uerb. oblig.

i Alex. in l. si qs maior. in prin. C. de transact.

Quæ dicantur facti, & quæ iuris: & intellecta l. si unus, §. pactus ne peteret, aliter quàm cæteri faciant. Cap. XXI. D



Acta non præsumuntur, non transeunt ad hæredes, non quæruntur domino per seruum, ignorantibus ea, probabilem & auxilio legis dignam causam præstant: multosq; alios effectus pariunt: longè & latè ab his quæ iuris sunt differentes: discerni ea hoc modo quidam putant, ut corporalia facti, quæ in corpus non coguntur, sint iuris. Sed cum crebrior Iurisconsultorum sententia sit, animum, quæue in eo consistunt, facti, non iuris esse[a], sequitur ut ea declaratio falsa sit. Baldus fortasse rectius, qui in Pace cõstantiæ: Ea, inquit, de quibus sine probationibus non cõstat in facto consistũt: qui probationibus nõ egent, articuli iuris dicuntur[b]. Quamobrẽ interrogationibus, quę eos respiciunt, respondendum nõ esse, legibus cautum est. Ex his & illud clarissimè probatur, omnes cõtractus esse facti, stipulationẽq; in primis[c], de qua admodum dubitauere recentiores, sicut & de possessione[d]: quod ut considerato tempore ipso contractus, ueum est: ita postquam hi absoluti sunt, quod ex tali facto oriatur ius, quandoq; iuris esse dicuntur. Nec his obesse potest, quòd in stipulationibus ius contineri: in pactis uersari factum, lex dicit[e]: nam alium intellectum uidentur ea uerba admittere, quàm Doctores nostri pleriq; scriptis prodiderunt: nil enim aliud Iurisconsultum uoluisse ipse crediderim, quàm in stipulationibus uersari ius, id est actionem: in pactis factum, id est exceptionem: nam actionem iuris esse ostendit eius definitio, nemini nõ cognita: exceptionem autem pacti ne petatur, esse facti, Baldus[f] attestat, & idem recentiores tradunt: quod & nos ea ratione sentimus, quoniam à iure naturali prouenit: & lex ea quæ solum iure naturali inducta sunt facti esse interpretatur: quod à nobis latius eo libro declaratum est, quem de quinque pedum præscriptione ædidimus.

a Bar. & scrib. in l. pro hærede. ff. de acqu. hæred.

b l. ornamentorũ. ff. de aur. & arg. lega.

c in l. v. §. j. ff. de uerb. oblig.

d in l. j. ff. de acqui. pos.

e in l. si unus. §. pact. ne peteret. ff. de pact.

f Bal. in rubri. extra de pac. Iason in l. auus. in fin. ff. eod.

LIBRI PRIMI FINIS.

ANDREAE ALCIATI PARADOXORVM IVRIS CIVILIS LIBER SECVNDVS.

PROOEMIVM.



CIO quamplurimos fore, qui nostris hisce inuentionibus nõ solum aduersentur, sed etiam conuicijs insectari totũ opus non erubescant. Verùm cũ palma in medio sit, illi ut lubet agant, probentq; uel Chrysippæis aceruis quicquid uelint: dum eos solum sortiri iudices nobis contingat, qui nõ multiloquio magis, quàm rationibus moueantur: nec tantum quid non parum multi senserint, quantũ quid rectè, quid procul à cauillo dictum sit, curent. Nam secundus hic quem auspicamur liber, dij boni, quantum à frequentissimis illis Iurisperitorum opinionibus recedit, & bonam anni partem frustra uulgò consumi, luce, ut arbitror, clarius demonstrat. Quamobrem non immeritò futuros arbitratus sum, etiam doctiores aliquos, qui me tanquam à suorum turma transfugam, æquo animo uix ferant. Sed hos per cœlites testor, ut nõ tam inuentum, quod certè cõtrouersia aduersarijsq; nõ carebit, quàm causam ipsam cognoscant: & reuulsis de pulmone, quod in adagio est, ueteribus auijs, tanquã si Bartoli, Alexandri, cæterorumq; sententiæ præiudicium nullum facerent, legum ipsarum uerba conspiciant, tuncq; id probent, quod à cauillatione aberit, & quod magis quadrare uideatur. Nam si id factum sit, non dubito, quin si omne punctum non feram, inuentionem tamen, uti laude dignam, bona pars probatura sit.

Mixtum imperium mandata iurisdictione transferri, & quædam iure magistratus concedi, quæ decurionibus non competunt: probataq; Fulgosij sententia, & quidem generalius, quàm ipse prodiderit. Cap. I.



Vrisconsulti Papiniani uerba sunt. [a] Quæcunq; lege, uel S. C. uel constitutione principum specialiter conceduntur, delegata iurisdictione, non transferri, quæ iure magistratus competunt, transferri. Quæ uerba ita interpretãtur legũ Doctores, ut quæ specialiter, hoc est, in signũ magnitudinis dignitatisq; causarũ conceduntur: ea autem sunt meri & mixti imperij causæ, demandari nõ possint: aliæ uerò quæ minimè iurisdictionis sunt, quasi iure magistratus competant, demandentur. Primumq; recentiorũ argumentum, mixti imperij causas non delegari, hoc ex textu deducitur: qui quàm peruersè accipiatur, inferius ostendam. Existimo enim dubio procul, mixtũ imperium iure magistratus competere: quæ sententia non solũ alijs rationibus, sed prædicto quoq; Iurisconsulti responso confirmatur, qui earum causarũ, quæ specialiter competunt, duo exempla referens, solum meri imperij mentionem facit, ut si mixtũ eiusdem naturæ fuisset, certè eam rem, quæ longè dubitabilior erat, non sine nota silentio præterisset. Nam & si Pauli in fine legis uerba cõsiderauerimus, dum imperiũ, quod iurisdictioni cohęret, mandata iurisdictione transferri scribit: quid est quod aliud ibi quàm mixtum imperiũ intelligi dicamus? nónne id magis ea uerba notant, quàm modicã, quæ Accursij interpretatio est, coërtionem? Nam & idem legis autor Paulus [b], mandata, inquit, iurisdictione etiam imperiũ, quod non est merũ, uidetur mandari: quia iurisdictio sine modica coërtione nulla est. Contorquent hæc uerba neoterici, & inuoluunt [c], ut de sola coërtione intelligant, quæ uerbalis est, & ad iurisdictionem minimã spectat, nõ de ea quæ qualemqualem pœnã infert, & mixti sit imperij. Quod quæso quid aliud est, quàm nõ interpretamentũ quidem legi adferre, sed illi penitus aduersa prodere? cum duplex tantum sit imperium, merum & mixtum: si mandata iurisdictione transfertur imperium, quod non est merum, certè mixtum transfertur. Quid hîc iurisdictionem minimam inculcamus? Probatur item quod diximus ex Antonini Imperatoris rescripto [d], qui ad proconsulis Africæ

a l. 1. de offic. cui. cui.

b in l. fi. eo. ti.

c Bar. in l. imperium.

d l. cognitione. eodem tit.

ſuggeſtum: Cum, inquit, propriam iuriſdictionem legatis tuis dederis, cōſequens eſt, ut etiam de ſuſpectis tutoribus poſſis cognoſcere. Nam ſi mandata iuriſdictione mixtū imperium non transferretur: quo nam modo, quæſo, eſſet conſequens, quod imperator ſcribit? præſertim cum ante illud reſcriptum, cognitionem ſuſpecti tutoris ſpecialiter delegari permiſſum, non conſtet. Sed potius tum ex lege, tum ex communi Doctorum regula contrariū prius fuiſſe dicendum eſſet: necꝙ dixerit aliquis, in legato proconſulis illud tantum procedere, cum inde ad alios delegatos Iuriſconſultus ipſe ibidem argumentetur[e]. Sed & certe rationibus repugnat, quod cōmuniter proditur, ut cauſa, quæ intra CCC. aureos conſiſtit, delegari poſſit: miſſio in poſſeſſionem, etiamſi longe leuiorem pecuniæ quantitatem comprendat, non poſſit. Accedit his, quòd & ut bonorum poſſeſſio detur, mandari poſſe, expreſſum eſt[f]: & Bartoli cæterorumꝙ reſponſio, non ſine euidenti calumnia defendi poteſt: dum uerbum, detur, intelligunt, id eſt danda pronuncietur. Nec quod Iaſon mauult, magis probabile eſt, ut in bonorum poſſeſſione tantum, quæ ſummatim cognoſcitur, generalia illa Iuriſconſulti uerba intelligantur. Cum igitur his argumētis noſtra opinio ſat ſubſiſtat, uideamus nunc, quemadmodum alijs iuribus congrua ſit, & principaliter declarandum eſt Papiniani, quod retulimus, reſponſum. Dum ergo is tradit, quæcunꝙ legibus, uel ſenatuſconſulto, uel conſtitutione principum ſpecialiter conceduntur, non delegari, ſpecialiter accipiendum puto, non in ſignū magnitudinis, priuilegijꝙ cauſarum, ut perperam contra uocis naturam paſſim intelligitur: ſed nominatim, & in ſpecie: quæ autem hoc modo concedantur, non difficile fuerit edocere, & in primis merum imperium, quod aliqua lege, puta Iulia, Pompeia, Cornelia: ſenatuſconſulto, ut Syllaniano, Turpiliano competit: non tam hoc, quàm alijs reſponſis delegari prohibetur[g]. In mixto quoꝙ imperio, quædam ſpecialiter tribuuntur: ut alienatio ruſticorum prædiorum, quæ diuorum Seueri & Antonini patris & filij oratione minoribus prohibetur[h], niſi cauſa cognita fiat: quæ cognitio ſpecialiter ipſi prætori datur, quapropter demandari non poteſt[i]. Eſt & ſuper teſtamento relictis alimentis tranſactio uetita[k], præterquam ſi ex cauſa fiat: cuius rei notio nominatim & prætori, & præſidi conceditur. quamobrē delegatio in ea ſibi locū non uendicat, idem & in datione tutoris[l], quæ quibuſdam magiſtratibus ſpeciatim tributa eſt. Idcirco pedanei arbitrio committi nequit. Et hæc quidem introducta ſunt propter ſpecialem quendam fauorem, qui in illis caſibus conſideratur, ut eſt propter utilitatem pupillorum: & ex fauore alimentorum, ſicut merum imperium non demandatur propter periculum, quod in ea cognitione uerſatur. Et hæc uera, cum ſpecialiter à lege, uel à ſenatuſconſulto, conſtitutioneꝙ, ut Papinianus ait, quicquam conceditur. Cæterum ſi ex edicto prætoris proueniant: tametſi ſpecialiter, tamen mandari poſſunt, ut miſſio in poſſeſſionem ex damni infecti cauſa[m], & in bonorum poſſeſſione decretum[n]: quod licet duumuiris, & magiſtratibus municipalibus non competat, delegari poteſt. Nec enim eam declarationem admittendam puto, ut quæ Iureconſultus ait, iure magiſtratus competere, iure magiſtratus municipalis, quod uulgò dicitur, intelligamus, cum nihil hic de municipio dicatur. Sed potius eam interpretationem probauerim, ut quæ conceduntur iure magiſtratus: id eſt, quæ ſtatim ubi quis in magiſtratum delectus eſt: puta quòd prætor, quòd præſes, quòd proconſul factus, ex natura officij habet, delegari poſſunt: ſicut ea quæ ſpecialiter non ex natura officij habet, non poſſunt. Nam præterquam quòd communis declaratio municipales hic ab re inculcat, oſtendere quoque poſſumus quædam municipalibus non tribui: quæ tamen iure magiſtratus competunt, quod in bonorum poſſeſſione de iure ueteri eſt: quæ, ut dixi, quamuis delegari poſſet, ad duumuiros non ſpectabat[o]: ſicut & reſtitutio in integrum, quæ decurionibus non competit: & tamen demandari etiam antiquo iure poterat[p]. Nec, quod quidam putant, ſpeciale id dici poteſt fauore reſtitutionis: nam cur ex eodem fauore municipalibus non eſt conceſſa? nonne etiam magis faueretur, ſi lapſi per maioris induſtriæ, autoritatiſꝙ iudicem reſtituerentur, quàm per pedaneum[q]? Nam & quædam ad municipiorum magiſtratus ſpectant, quæ tamen delegatis abnegantur: utputa ius fuſtiū ictibus noxios ſubijciendi[r]. Et ſi in hanc ſententiā ire uoluerimus,

e l.j.§. primo de ſuſp. tuto.
f d.l.cog.§.j.
g l. nemo. de regu. iur.
h l.j.ff. de reb. eorum.
i l ij. de. offic. eius cui.
k l. cum hi. §. nec demandare. de tranſ.
l l.j. de tut. & cur. l. muto. §. tutoris de tutel. l. nec mandante de tut. & cur.
m l. iiij. §. duas. de dam. infec.
n l. fina. C. qui adm. l. cognitio §. ut bonorum.
o l. ea quæ ad municipi.
p l. fina. C. ubi & apud.
q l. non diſtinguemus. §. Iuli. de arbi.
r Bar. in l. magiſtratib. de iur. om. iudi.

rimus, argumenta quæ Alexander, Riminaldus, alijq; aduersum mouent, facilè elidi poterunt: quale est illud: Mandata iurisdictione consilium non posse exerceri à delegato [s]. Nam consilium intelligi poterit pro assessorum conuocatione qui adesse proconsuli solebant, cũ decreto aliquid expediendum erat, ut in alienatione rei minoris: quod suprà ostendimus specialiter præsidi, uel prætori commissum, hocq; sensu integra lex eiusdem argumenti erit. Quòd si cum Accursio, & cæteris autoritatem manumittendi intelligamus: illud ratione ineuitabilis damni uetitum censendum est, cum libertas semel data, reuocari non possit [t]. Potest & intelligi hoc tum demum procedere, cum generaliter iurisdictio mandatur: quoniam ob prædictam causam non censetur in manumittendo translata cognitio. Quòd si in specie de ea actum sit, transferri iure cõstat. In restitutione enim in integram idem fuisse ueteri iure, legibus [u] traditum est. Est & aliud nobis contrarium enthymema. Nam ex supradictis consequens esset, ut cum coërctio in corpus specialiter defensoribus [x] concedatur, demandari eius cognitio non possit: quod fortasse uerum est, & ita Fulgosio, Socinoq; uidetur [y]. Quòd & si hoc non admittamus, prædicta uel in maioribus tantum magistratibus intelligenda erunt: uel negandum ita specialiter defensoribus competere, ut alijs non competat. Quòd si proponatur, uel principem nominatim causam aliquam concedere, uel iuris interpretem nominatim eam alicui magistratui tribuere [z]: non tamen prohiberi eam demandari, dicendum est, cũ nos in generali lege loquamur: non principis simplici delegatione, uel Iurisconsulti alicuius interpretamẽto: quod quamuis uti lex obseruetur, lex tamen nõ est. Nam & prætor ex Iureconsultorum lectione, bonorũ possessionem decernit: cuius cognitio non idcirco minus delegari potest, neq; huic sententiæ secunda cõstitutio de pedaneis iudicibus [a], aut Vlpiani in titulo de officio proconsulis & legati responsum [b], aduersantur: quoniam ea passim nõ percipi sequentibus iamiam capitibus ostendam. Et hæc uera opinor, mixtum quoq; imperium transferri, cum quisquã iurisdictionem B suam mandat. Sed si cognitio respectu unius causæ, uel articuli tantum mandata sit: is præter eam nihil ulterius habet, & propriè iudex datus dicitur. Quamobrẽ in eo mandato maiora expressis non ueniunt, & huiusmodi datus iudex ius exequendi non habet [c]: & nihil contra contumacem moliri potest [d], quæ inferius integro capite explicaturus sum, ut non immeritò Lernæam hydram tractatum hunc delegationis, uocauerim: quòd & tot exurgat ceruicibus, ut una auulsa, altera non deficiat.

s l. ij. de offi. eius
t l. apud demasind.
u d. l. fin.
x §. audi. in auth. de man. princi.
y in l. j. ff. quis et à quo.
z argu. Rimin.
a l. placet.
b l. nequicquam. §. ubi dirre.
c l. à diuo. de re iudic.
d §. si uero. in auth. de exhi.

Lex Placet, Codice de pedaneis iudicibus, quem sensum accipiat: cõmunisq; intellectus confutatur, & adscribitur alius longè probabilior. Cap. 11.



IMperatorũ Diocletiani, Maximianiq; Augustorum cõstitutio, in titulo de pedaneis iudicibus cõprehenditur: quã æquè difficilem arbitratus est Bartolus, atq; alia in toto Iustiniani codice sit [a]. Placet (inquiunt Augusti) nobis, præsides de his causis, in quibus eò quòd ipsi nõ possent cognoscere, antehac pedaneos iudices dabant, notionis suę examen adhibere, nisi uel ex publica utilitate, uel ex causarũ multitudine impediantur. Quod non ita accipi conuenit, ut etiam in his causis, in quibus solebãt ex officio suo cognoscere dandi iudices, licentia permissa credatur. Quæ uerba cõmuni declaratione ita accipiuntur, ut in causis, quæ trecentos aureos excedunt: quamuis olim licentia dandi iudicem permissa foret, amplius non concedatur, nisi ratione publicæ utilitatis, &c. In causis uerò, in quibus iudex ex officio suo cognoscit, quæ sunt meri & mixti imperij causæ, nihilomagis ius delegandi conceditur. Sed hæc expositio textui ipsi repugnat: nam si in principio de causis loqueretur, quæ ultra trecentos aureos constarent: cur opus fuisset dicere eas delegari solitas, quòd iudices ipsi cognoscere non possent: cum hæ non solum, si non possent, sed etiam si non uellent, poterant delegari? quid item in hoc textu quicquam de causis CCC. aureorum intelligimus? cum distinctio illa ex Iustiniani Cæsaris lege reperta sit [b], qui longissimo post Diocletianum interuallo rempublicam administrauit, quasi ariolos, mathematicosq; illos imperatores credamus, ut legẽ secundum eam diuisionẽ ædiderint: quæ penè ducentos post annos introducenda erat. quo cõmento

a l. placet. C. de ped. iud.
b §. & iudicare in auth. de dif. ciuit.

quid, quæso, est absurdius? nam & cur ex constitutionis uerbis, quæ officiũ iudicis respiciunt, de mero imperio intelligamus? cũ accusationes ab officio iudicis separari frequentiore calculo probetur [c]: tametsi Bartolus ipse incõstans, cothurni more, utrique sententiæ uarijs locis adhæserit. Sed & illud nequaquam admiserim, causas CCC. aureorum per præsides cognosci posse, cum id Iustinianus expressim uetuerit, nisi in appellationis causa, ut in auth. de defens. ciuit. habetur. Et quòd alibi hanc cognitionem pedaneis competere, ex ordinarij iudicis mandato affirmat [d], in urbe tantum Constantinopolitana locum sibi uendicat. Nam ea constitutio de eius loci iudicibus solũ loquitur: quod eius præfatio indicat, nec Bartolum fefellit. Quamobrem Guido Suzarius non immeritò à communi interpretatione discessit, etsi illi (quod omnibus accidere solet) facilius fuerit falsa cognoscere, quàm uera reperire. Ipse igitur aliter eum textum sic exposuerim: ut quoniam solebant iudices merum imperium delegare, tanquam quacunque re occupati, cognoscere nõ possent, uetant Imperatores id licere, nisi ex duabus tantum causis non possint, uel propter utilitatem publicam, uel ex negociorum multitudine. Cæterum, quia qui unum negat, aliud concedere dicitur: uidebatur [e] in causis mixti imperij, quæ quòd specialiter tributæ essent, demandari nõ poterant, indistinctè delegationẽ permissam, quod legislator negat. Illa igitur uerba ex officio suo duplicem emphasim habent, & non solum mixtum imperium significant, sed tale quod demandari non poterat, cum pronomen illud, suum [f], personam respiciat, creberrimeque ei adđatur, quod per alium expediri non potest. Quo certè sensu nihil cõmunis sententia iuuabitur, qua mixtum imperium iure magistratus non competere, traditum est. Potest etiam probabiliter dici, cum iure antiquo propter absentiam, seu grauiores occupationes causarum meri imperij delegatio concederetur, restrictum id ab Imperatoribus fuisse, cum huiusmodi absentia seu occupationes ex causa publica, uel causarũ multitudine procedunt. In his uerò quæ ex suo officio, id est propria solicitudine, solebant iudices cognoscere (sunt autem hæ mixti imperij causæ, quas specialiter magistratibus datas, suprà retulimus) neque in prædictis casibus licet iudicem dare: & differentiæ hæc uidetur esse ratio. Quia in causis meri imperij debet reus quamprimum uel absolui, uel condemnari: & ideo si præses sit absens, uel grauioribus negocijs implicitus, iudicem alium cõstituere debet, ne interim ille forte in carceribus de salute sua solicitus diu expectet, quod in causis illis specialiter per legem concessis, non est considerandum.

c Pe. Bal. Ias. Mod. in l. imperium. Bart. Alex. in l. iudex. de re iud. imò. Ang in l ij ff. uer. Bart. ad reprimendũ in uer. per accus.

d §. audient. de iudicib.

e arg. l. j. ff. de off. cius.

f Bar. in l. iubemus. C. de erog. mil. an. Bal. in consil. cccxiij nobilis in quinto uol.

Communes declarationes in. §. ubi decretum, à cõmuni eruditorum ingenio abesse: quamobrem hìc interpretatus, ut debuit. Cap. III.



Vlpianus in tractatu de proconsulis & legati officio [a], ubi inquit: Decretũ necessarium est, per libellum id expedire proconsul non debet: omnia enim quæcunque causæ cognitionem desiderant, per libellum nõ possunt expediri. Hanc clausulã ita uarijs modis Accursius interpretatur, ut meritò Manlij Seuerini sententiæ locum fecerit, dum eius quod multipliciter intelligitur, ignorari ueritatem testatus est. Siquidem Accursius definitiuam sententiam absente parte ferri non posse, hinc quandoque credidit, quod quidem nil cõmune cum illis uerbis habet: aliquando libelli dationem per actorem non requiri, quod uti falsum mox improbat, quandoque ea quæ causæ cognitionem requirunt, nõ posse delegari, ex illis uerbis existimauit, ut per libellum iudicem delegatũ intelligamus. Qui sensus cõmuniter approbatur, tametsi & Fulgosius & Iason uerba legis impropriè accipi fateantur. Et sanè ridiculum est, libellum pro delegato intelligi, præsertim cum in huiusmodi delegatione nec quisquam libellus requiratur. At alij aliter intelligunt, miserabiliterque se torquent: nec tamen iniuria, cum nodum ipsi in scirpo fecerint. Quare ut ipse quamclarissimè explicem, scire nos oportet, decretũ in hoc à sententia differre, quòd ex ea regulariter aut absolutio sequitur, aut condemnatio: in decreto solum iudices autoritatem suam interponunt, & quod agitur sibi iustum uideri pronunciant. In his igitur causis, in quibus decretum necessarium erat, solebant partes per supplices libellos petere, ut iudex illud interponeret. Sed quoniam quidam decreto non interposito solum

a l. nequicquam. §. ubi dec.

A ſito ſolum libellis ſubſcribebant, dubitatũ fuit: num id ſatis eſſet, eiusq́ efficaciæ ſubſcriptio eſſet, cuius decretum. Negat iuriſconſultus ſubſcriptionẽ eam ſufficere, cuius ratio eſſe potuit, quòd decretum interponi pro forma quodammodo inductũ ſit, requiraturq́ ſolenniter illud interſeri[b]: & hoc quidem in his quæ cauſæ cognitionẽ deſiderant. Nam ſi de plano & ſummatim cognoſci opus ſit, tunc ipſi præſides ſubſcribere libellis poterũt, & illud officiũ aſſeſſoribus ſuis permittere, ſeueriſſima pœna prohibentur: quod ſecunda conſtitutione de aſſeſſoribus nominatim cautũ eſt, ut imperatorum Cari, Carini, Numeriani, lege de prædijs minorũ, non ſolũ noſtra ſentẽtia optimè corroboretur[c], ſed & hac quam inter aſſeſſorum ordines inſertã diximus: tum & illo reſcripto, quo ſubſcriptiones ad libellos datas, autoritatem rei iudicatæ non habere traditur[d]. Et hoc ſenſu nihil omnino ea ſententia probabitur, qua teſtatũ eſt mixtũ imperium demandari nõ poſſe. Nam etiam ſi alijs legibus conſtet, ſubſcriptiones huiuſmodi aſſeſſoribus non permitti, non tamen conſequens eſt, ut tota cauſa delegari nõ poſſit.

b l. minorum. C. de præd. mi.

c d. l. minorum.

d l. iudex. C. com. epiſt.

Cauſam miſſionis in poſſeſſionẽ ex primo decreto mandari poſſe. Cap. IIII.



EX ſupradictis in alia quoq́ quæſtione dubitatur, num cauſa miſſionis in poſſeſſionem ex primo decreto demandari ualeat: & non poſſe frequentiori autoritate approbatum eſt, & id quidem plurimis rationibus, ueluti cum in hac miſſione neceſſaria ſit citatio per edicta[a]: quæ tamen delegatis abnegatur[b], quòd ſi præcedens prohibitũ illis eſt: certè & in eo quod ſequitur, idem dicendum eſt. Verùm haud ipſe conceſſerim, in omni miſſione eiuſmodi citationem requiri, ſed in ea tantum, quæ in reali actione fit, quòd plenum præiudicium pariat. nam & negari ueriſimiliter poterit, eam citandi facultatẽ iudicibus, quibus mandata eſt iuriſdictio, non competere: cum prohibentes id conſtitutiones[c], in iudicibus datis uel ab ordinario, uel ex ſacra forma, loquantur. qui quidem dati iudices, diuerſo iure ab illis cenſentur, quod ſequenti capite declaraturus ſum. Nam & iudices
B dati ſententiam ſuã non exequuntur[d], & tamen illi quibus iuriſdictio mandata eſt, exequuntur: cum, ut diximus, mixtum in hos transferri imperium poſſit, ſicut & huiuſmodi iudices nihil aduerſus contumaces poſſe non diffitemur: cum tamen alios mandata iuriſdictione poſſe credam. nam etiam quòd magiſtratus municipales hanc facultatẽ, niſi in ſpeciali caſu damni infecti, non habeant[e], non propterea cenſetur idem delegatis uetitum, cum & in hoc argumento demonſtrauerimus, à uero cõmunem ſcriptorũ ſententiam recedere: nec me etiam mouerit, quòd ſi reus contumaciter latitet, ſi iudex poteſt, in poſſeſſionem illi mittere lege Iuſtiniani[f] iubeatur, tanquam illa potentiæ conditio delegatũ reſpiciat. Nam illud eo caſu dictũ eſt, quo contumax, in quo litigat territorio facultates non habeat: quî enim illi poterit quiſquam in poſſeſſionem mittere[g]? poſſunt & ea uerba in iudice dato, intelligi. Sed quid in hoc amplius dubitem, cum id expreſſo iure conſtet[h]: & legis uerba alij captent, alij manifeſto errore coërceant, cum etiam ex ſecundo decreto miſſionẽ mandari poſſe opiner: ita tamen ſi à iudice mandetur, non ſi ex edicto iam defuncti prætoris, quiſquã ſibi id iuris arroget[i]. quam ſententiam, ut paulò audacius ſequar, illud quoq́ hortatur, quòd ſi quæ huic pronunciato obſtabant rationes, ex ſuperioribus omnes ſublatæ, & quidem ſine cauillo uidentur.

a l. ij. C. ubi in rem.

b auth. qui ſemel. C. quo & quando.

c §. ſi uero. etiam in auth. de exhib. reis.

d l. à diuo. de re. iud.

e l. iiij. §. ſi tam. de dam. infec.

f l. properan. §. ſin autem res. C. de iud.

g l. extra. ff. de iur. om. iu.

h d. l. ut cognitio. §. ut poſſeſſio.

i d. l. iiij.

Iudices dati, & ex ſacra forma delegati, & arbitri iuris, aliaq́ nomina, quantum ſimul diſcrepent, quàm maximosq́ errores ex huius rei imperitia, noſtri Doctores admiſerint. Cap. V.



COmplura ſunt iudicum nomina, diuerſæ quidem dignitatis notæ, quæ tamen à recentioribus ita implicantur, ut facilius quilibet Gordij nodum explicare poſſit: & cum huius erroris ſectatores, non exiſtimatione ſolũ defendantur, ſed & numero, uix tutò quiſquã, & ſine temeritatis argumento, quòd eis aduerſetur, dixerit. Sed quoniam perfricanda non impudenter, ut arbitror, à principio mihi facies fuit, & hoc quoque aſſerere non pigebit. Septem itaq́ ius dicentium uocabula nobis explananda ſunt: inter quos primas ſibi hi iudices tenent, quibus mandata eſt iuriſdictio, qui & ad plures cauſas delegati utplurimum di

cuntur [a], his multò plura competunt, quàm iudicibus aliis pedaneis competant. Nam C quamuis iurisdictionem suam omnem mandare non possint, iudices tamen dandi facultatem habent [b]. Siquidem, ut Vlpianus ait, is cui mandata est iurisdictio, iudicẽ dare potest, ut sunt legati proconsulum. nec speciale id in legato esse, quod quidam opinati sunt, probauerim, cum dici soleat, ab exemplo regulã non restringi: tum etiã quod & frequentissimè Iurisconsulti ipsi illos æquiparant: quod argumentũ omnino ineptũ esset, si speciale quicquam in illis fore proponeretur. Iudices autẽ dati, dicuntur etiam pedanei, quibus litis cognitio tantum, uel pronunciatio, uel etiã utrunq; in una causa concessum est: & hi eam tantum iurisdictionem habent, sine qua mandatum cõmodè explicari nequit. Nam & qui eum dat, nihil hoc casu ab se abdicare creditur [c]: quamobrem quandoq; dati iudices solum munere iudiciario fungi [d], quandoq; nihil habere præter iudicandi facultatem [e], dicuntur: hinc nulla dandi alium iudicem licentia illis conceditur, & ab eorum sententia is qui dedit prouocatur [f]. Quòd si duo dati sint, qui diuersi iudicauerũt, eorum sententias in pendenti esse, Modestinus [g] respondit: donec qui eos dedit competens iudex alteram earum confirmauerit. nam & in possessionem mittere, nisi specialiter dati ob id sint, non possunt [h], & sententiã suam exequi ipsi prohibentur [i], quod, sicut & alia in eis, quibus mandata est iurisdictio, non procedit: & hanc iudicis dati interpretationem glossematum scriptor, Albertus, tum Raphaël Comensis, Ioannes ab Imola, Ioannes Ananiæ, Angelus, Aretinus, Socinusq; [k] in appellationum materia probauerunt, idemq; Fulgosio, Pippo, & Andreæ Siculo uisum est, ut non parum de nostrorum Doctorũ diligentia plerunq; desiderem, qui tot autoribus enarratã rem, in ordinariis locis nõ attingunt, ut id solum eos uidisse putes, quod quatuor annorum curriculo, in literariis scholis legunt. quis enim dubitet, si ea quandoq; aspicere illis contigisset, uel huius rei mentionem facturos? Ex iudicibus hisce quidam sunt, qui ex sacra iussione, uel forma dati dicuntur [l]: nimirũ quia accedente iussu principis, ab ordinariis dati sunt. Huius rei potissimum is modus erat: nam si unà duo litigaremus, & alter nostrûm mallet summatim uel alio modo cognosci per supplices libellos, imperatorem rogabat, ut per rescriptum iuberet iudicem ab ordinario nobis dari, qui summatim, uel quoquo modo petitum fuerat, cognosceret, iudicaretq;. rescriptum illud sacræ formæ iussionisq; nomen habet [m]. eas implorari à principe ante litis contestationem [n], passim conceditur, post litem contestatã secus est. & nisi à quæstore principis subscriptæ sint, contineantq; & litigantiũ & iudicis nomina, nullum effectum habent [o]. Is ergo iudex, qui ea forma datus est, nil ulterius habet, quàm cæteri iudices pedanei habeant, & ab eius sententia non quidem imperator, sed ordinarius ipse appellatur [p], solum in eo distat, quòd alia forma quàm ordinaria procedere ex rescripto illi contingit. Sunt & iudices ab imperiali fortuna dati [q], qui in eo tantum à cęteris principum delegatis differũt, quòd post eorum mortem iurisdictionem adhuc habent, cum alioquin iurisdictio nomine proprio delegantis concessa, eo mortuo euanescat [r]: quòd si dignitatis uel alia perpetua appellatione tributa sit, permanet: Imperialis enim fortuna nec unquam perit, peritura ue est. Leguntur & executores. quam uocem æquiuocam, etiam Nicolaus Tudiscus [s] ostendit. Sed quod ad præsentem materiã attinet, quatuor enumerari significationes possunt, & in primis ordinarius quilibet iudex executor dici posset [t]: quoniam is propriam sententiam exequendi ius habet, qua ratione & is cui mandata est iurisdictio, executor pariter dici poterit [u]. Sed & apparitores, nunciiq; iudicum executores sunt [x]: quorum duos quilibet iudex habet, desidiamq; eorũ simul & perfidiam mulcta indicta, coërcendi illi ius est. Quarta species eorum iudicum est, qui ex municipali lege in causis exequutionum ius dicunt, quorum in iuris ciuilis corpore, mentionem aliquam fieri non arbitror: licet Raphaël & Iason [y] aliter opinentur, ex quibusdam scilicet constitutionibus, quæ nihil eam opinionem adiuuant. Traduntur & arbitri iuris, qui electi à partibus de aliquo articulo iussu ordinarii cognoscũt. Vt si tecum litigem, petamq;, ut satisdes: quod cum facias, nego fideiussores idoneos esse: ordinarius alicui, quem nos optauerimus, mandat: ut eo in negociolo disceptator sit, is arbiter iuris dicitur [z]: & huiusce sententiam non solum ex appellatione ordinarius rescindere

a *gl. in l. j. §. qui mandatũ de offi. eius. in glo. j.*
b *l. cũ præt. §. is quoq; ff. de iu.*
c *l. à iudice. C. de iud.*
d *l. fin. C. ubi & apud.*
e *d. l. à iudice.*
f *l. j. §. [illegible] ff. quis & à quo.*
g *l. duo. de re. iu.*
h *d. §. si uero etiã*
i *d. l. à diuo Pio.*
k *in d. l. j. par. j. quis & à quo. Fulgo. in l. solent. de iur. om. iud. Pip. in d. §. his quoq; And. Sic. in c. super. §. porrò. de offi. dele.*
l *§. si uer. in aut. de exh. reis.*
m *tex. in § omnẽ. uersi. si uero. in aut. de liti. Raph et Alex. in d. l. à diuo, in princip. Alex. & Rimin. in l. ij. de iur. om. iu.*
n *in auth. in med. litis.*
o *in aut. ut diu. iu.*
p *l. si ff. quis & à quo. l. j. §. [illegible] in ap ff. de ap.*
q *l. fi. C. de iud.*
r *no. l. q. liberis. §. here. ff. de uul. & pupil.*
s *Abb. in d. c. pastoralis. §. quia uero.*
t *l. fi. §. executores. C. ut nemo priuat.*
u *c. si quis contra. de fo. compe.*
x *l. fi. C. de spor. sancimus. C. de iud.*
y *in l. fi. C. de iu.*
z *l. arbit. l. seq. qui satis. cog.*

A ſcindere poteſt, ſed etiam non prouocatus corrigere: nam & ſi uiſum illi fuerit, ſententias ipſe exequitur[a], cũ & ex eis agi poſſit: præſertim ſi in cauſa ſuſpecti iudicis pronunciauerint[b], ſed tunc iudex ipſe, de cuius recuſatione eſt actũ, exequetur. Vulgò etiam arbitri iuris appellantur, qui legis municipalis iuſſu eliguntur, ueluti ſi ſtatutũ ſit, lites inter agnatos ſub compromiſſario iudice terminari, quo caſu ab eorum ſententijs prouocatio eſt, huiuſcemodiꝗ iuriſdictio magis delegatæ quàm ordinariæ accedit[c]. Reperitur & quorundam iudicum mentio, quos chartularios[d] paſſim uocant: cuius nominis ratio ex Hetruſcorum conſuetudine manauit: nam cum eis in regionibus ex municipali decreto iuriſdictionem tabelliones habeant, quotieſcunꝗ alicuius contractus teſtationem ſcribunt, debitori mandant: ut intra tot dies æs illud alienum ſoluat: tanquam enim in confeſſum promiſſio illa ſemper paratam executionem habet. Horum iudicum mentionem in iure Romano eſſe, nõ falſò abnuerim: nam etſi Accurſius, Baldus, & Salycetus hoc ſenſu accipiendas eas leges[e] arbitrentur, quæ de his iudicibus meminere, qui iudicandi ſolam facultatem habent: rectius tamen ibi fuerit eos intelligere, qui inter priuatos iuriſdictionem ſpontaneam habent: qualis eſt procurator Cæſaris[f], mecumꝗ ſentire demum Thomam, Dotium Senenſem[g] offendi in rei iudicatæ commentarijs.

a l.fin. ff.a qui. app. non licet.
b l.apertiſſimi. l. fi. C. de iu.
c in l. fin. C. de iud. ubi Iaſon.
d no. in l. rem non nouã. C. de iud. no. in.
e d.l.fi. C. ubi & apud. in l. j. ff. de iud.
f l. j. C. de peda.
g in l. ait prætor. §. ſi iudex.

Meri imperij ius ipſum ſoli principi competere, eius exercitium etiam cæteris ordinarijs cõmunicari: & cur illud delegari nequeat, noua ratio. Cap. VI.



CVm trecentis ferè ab hinc annis Henricum Germanorum regem, Bononiam uenire contigiſſet, uigebant tum duo, maximi in noſtra hac diſciplina nominis, Lotarius & Azo, diſcrepabantꝗ inter ſe uarijs modis: & in eo præſertim, quòd merum imperium apud ſolum principẽ eſſe Lotarius credebat, Azo etiam cæteris magiſtratibus propriũ eſſe profitebatur.
B Quamobrem depoſito uterꝗ ex ſponſione apud ſequeſtrum equo, regem ipſum adierunt, qui pro Lotario pronunciauit, uictoriꝗ illi ex conuentionis lege Azonis equus ceſſit. Verùm poſteriores ita rem iudicatam damnauere, ut maximo ſilentio quæſtionem omnem texerint, ſolaꝗ Azonis opinio ſic probatur, ut neminẽ unquam extitiſſe credibile uideatur, qui in contrariã ire auſus ſit. Verùm ipſe uereor, num fortaſſe probabilior ſit cauſa, quæ rei iudicatæ autoritate defenditur, quòd uidelicet magiſtratus ſolum meri imperij exercitium habent, at ius ipſum in principe reſideat: quæ ſententia Papiniani[a] uerbis adamuſſim quadrat, qui in uulgatiſſimo illo reſponſo: uidentur, inquit, errare magiſtratus, qui cum publici iudicij exercitationem lege Iulia delatam habeant, iuriſdictionem ſuam mandant. hic enim exercitatio delata (ſi impropria interpretatio abſit) quid aliud ſignificare poteſt, quàm ius ipſum principi, exercitium alijs competere: nam & maiores illi magiſtratus, non alia de cauſa ubiꝗ adminiſtratores dicuntur[b], quàm ratione meri imperij, in quo ſolam adminiſtrationem habent, quæ uox eum comprendit, qui alieno nomine, non proprio, agit: quod & Accurſius in rubrica de adminiſtratione rerum publicarũ, libro Codicis XI. teſtatus eſt: quamobrem & frequentiſſimè executores dicuntur[c], habereꝗ mixti imperij executionẽ, quòd ſi propriè loquamur, merum factum demonſtrat. In iuramenti quoꝗ formula, in qua ratio locutionis ſumma habetur: iurant magiſtratus, occaſione traditæ adminiſtrationis, fidem ſe Cæſari ſeruaturos[d], at traditionem, iuris tranſlationem non reſpicere uulgò ſcitur. Azonem tamen communemꝗ opinionem adiuuat, quòd prætorem pro imperio ſuo agere[e], præſidem, maximũ imperium poſt principem habere[f], præfectum Aegypti imperiũ, quod illi datum eſt, deponere[g] legitur: quæ uerba ius ipſum ſignificare uidentur, niſi dixeris imperiũ, iuriſdictionemꝗ dupliciter accipi: quandoꝗ pro ipſo iure, aliquando pro iuris ipſius uſu tantum & exercitatione[h]: & hoc caſu prædictæ dictiones illæ interpretandæ ſunt. Nam & iuriſdictionem delegatã dicimus, quę tamen alieno iure pendet, & merũ uſum complectitur[i]. Validius igitur cõmuniora iuuerit, quoniã ſi merum imperium nil aliud eſt, quàm poteſtatẽ animaduertendi in facinoroſos homines habere[k], certè hæc poteſtas magiſtratibus tribuitur, quocirca & merum

a in l. j. de off. eius cui.
b C. ut om. iud. in rubri. & nigro.
c l. fin. C. ut ne priuat.
d in aut. de iuſiu. quod præſt.
e l. & ſi prætor. de offi. eius.
f l. iiij. de offi. præſ.
g l. j. de offi. præt. aug.
h l. inter tutores. de admin. tuto. Bart.
i Bar. in l. imperium in fin.
k d. l. imperium.

imperium habere dicendum est. Sed & hîc fortasse dixerit Lotarius: uerbum, habere, C
latissimum esse[l], & respectu principis ius ipsum, in persona uerò magistratuum exercitationem solam cõprendere: sic utroq; modo definitionẽ illam intelligendam. quòd si hanc sententiã sequamur, in eo utilis fuerit hæc quæstio, quòd defuncto principe, magistratuũ iurisdictionẽ, iudicio nondum cœpto, ratione meri imperij cessare fatendum fuerit: licet in eis quæ iure magistratus cõpetunt, aliter dici debeat, cũ & in illo nõ parua disceptatio est[m]: erit & inde consequens noua ratio, cur merum imperium in delegatum non transeat. nam cum magistratus meram eius exercitationẽ habeant, alij demandare non possunt, cũ is cui usus relictus est, alium usuariũ constituere nequeat[n].

l l. stipula. ista habere. de uer. ob.
m Mod. ferr. in l. more. in ij. no. de iur. om.
n l. ij. de usu. cu. Bal.

Quid sit merũ imperium, Vlpiani definitio uera defenditur, & temeritate alij notantur, qui ueriora quàm Iurisconsulti se tradere opinati sunt. Cap. VII.



ANnotatione digna nobis ea quæstio uisa est, qua de meri imperij definitione dubitatur, & Bartolus[a], quem uti legalis reipublicæ principem alij sequuntur, hoc potissimum modo finiuit, ut id iurisdictio sit, quæ iudicis officio nobili expeditur, & utilitatem publicam principaliter respicit: quod tamen non satis uerum quandoque mihi uisum est. nam accusatio ius est ab officio iudicis nobili diuersum, ut Bartolus, Petrus, Baldus, Angelus, Ioannes ab Imola existimarunt[b], quod & Iasoni & recentioribus uisum est, & tamen illud imperium respicit. Nam & in absolutione rei utilitas principaliter agitur, quæ tamen ex mero imperio procedit. quid enim, si publica aliqua ex occasione princeps in possessionem mitteret, uel bonorum possessionem decerneret? num ex hac ratione mero imperio uti diceretur? quod perquam absurdum est. Accedit his, quòd & multa ex mero principis officio proueniunt, quæ tamen huius imperij esse, legibus non constat, ut legum ferendarũ potestas, & tabelliones creandi autoritas, huiusmodiq; duplomatum D
concessiones. nusquam enim, opinor, lectum est, ea quicquam ad illud imperium spectare. quamobrem satis impudenter Bartolus, & id genus scriptores faciunt, qui ipsi nouas finitiones excogitant, tanquam ea quæ Iurisconsulto Vlpiano traditur, ueris rationibus non subsistat. longè igitur melior nostra causa fuerit, cum multò minori nota recentiores accusare possim, quàm ipsi Iureconsultum, tacita saltem reprensione coarguant: in eo præsertim, quod optimo iure defendi potest. Fateamur itaq;, merum imperium nil aliud esse, quàm potestatem gladio animaduertendi in facinorosos homines: & hæc definitio cum re definita conuertitur, quamobrem iure ciuili ualere eam, negandum non est[c]. nec dicat quisquã, ius indicendi mulctam non comprendi, cum ea appellatione animaduersionis ueniat. nam & gladius hîc non simpliciter pro telo accipi debet, sed pro quacunq; pœna, qua ex delicto plectendus sit reus: quamuis & nõ improbabiliter aliquis negauerit, mulctãdi illud ius meri imperij esse: sed existimabũt fortasse alij magis obesse, quòd etiam priuati in militem desertorem, nocturnumq; grassatorem ius animaduertẽdi propria autoritate habẽt[d], & tamen uix dixeris cuilibet merum imperium competere. uerùm scire nos oportet, potestatis, quod in definitione est, uerbum, iurisdictionem spectare[e], quam uocem priuatis conuenire, palàm negatur.

a in d. l. imperiũ.
b Pet. Bal. et Ias. in l. imperium. Imol. Ang. in l. quinta. de uer. obl. Aret. in tract. malefi. dixi supra. c. ij.
c l. j. §. dolum. de dol.
d l. j. C. ut lic. unicui.
e l. potestatis. de uerb sig.

Mixtum imperium quid sit, & nouo atque eodem uero sensu perceptum responsum Iurisconsulti ultimum, in lege, imperium, de iurisdict. om. iudi. Cap. VIII.



MIxtum imperium iurisdictio est, inquit Bartolus[a], quæ officio iudicis nobili tractatur, & ad priuatam utilitatẽ spectat. Longè breuius Vlpianus, qui, mixtum imperium, ait, est quod iurisdictioni cohæret. Quę uerba cum ob breuitatem obscura sint, eo modo ferè accipi debent, ut à cæterorum opinionibus nihil noui inducant: nisi, quod aliàs docui, distinctionẽ eam nobilis & mercenarij officij apud ueteres non obseruatum fuisse, sed prætoris officium dici, quod in mixto imperio uersatur, id est circa coërtionem seu executionẽ, quæ etiam

a in d. l. imperiũ.

A in bon.pos.danda necessaria erat,ut παρέργων lib. III.ostendi.Illud uerò quod executionem non respicit, quia qualicunq; iudici etiam pedaneo & municipali competebat, simpliciter iudicis officiũ à Pomponio appellari. uidenda igitur quæ apud eum à nobis annotata sunt,obscuraq; Vlpiani uerba ex eis declaranda[b]. Sed ea quæ sequuntur,etiam obscuriora sunt: quamobrem operæprecium fuerit, integrum legis responsum referre.Imperium aut merum,aut mixtum est: merum est potestas animaduertendi in facinorosos homines:mixtum est cui etiam iurisdictio inest,quod in danda bonorum possessione consistit. Iurisdictio est etiam iudicis dandi licentia. Et hoc responsum ita exponunt interpretes, ut non de utroque imperio tantum locutus sit Iurisconsultus,sed & de minima iurisdictione. Atq; eo modo ultima uerba,ex communi aliorum sententia Alexander declarat, ut non aliud notent, quàm causas delegare iurisdictionis esse:cui sensui non implicatiua cõiunctio,etiam,solum aduersatur: sed & illud quoque,quòd ius delegandi causas iurisdictionis esse falsum est.Nam & mero iudicis officio id expeditur,quod & inde patet,cum nulla prodita afferat actio,qua quisquam à iudice petat,ut causam demandet. quinimo & inuitis & ignorantibus partibus,mandare iurisdictionem suam ordinarij possunt[c], expressumq; id eo responso crediderim, cum uulgò dicimus, ius dicentis officium latissimum esse[d]: quoniam in possessionem mittere,tutores constituere,bonorũ possessionem decernere, iudices litigantibus dare potest. nam cum cætera mixti imperij exempla hoc arguũt, tum etiam quod officium in dubijs ad nobile referri solet. Aliter itaq; Petrus Cynus,& Baptista Seuerinas eam structuram intellexerunt, ut de natura causarum iurisdictionis esse demonstret, ut demandari possint: quæ interpretatio nusquam minus, quàm Iurisconsulti ipsius uerbis quadrat. quamobrem uerius esse, quod aliâs quoq; disputando substinui,arbitror,Iurisconsultũ uidelicet ea in lege solum de mixto meroq; imperio loqui, mixtumq; illud definire,cui etiam iurisdictio inest,ut in bonorum possessione,& in iudicis dandi licen-
B tia.nam in ea quoq;,sicut in bonorum possessione,iurisdictio est: quocirca mixti imperij existimatur.dictio itaq;,licentia,in eo contextu,sextum casum respicit: licet præpositio, in, adiecta non proponatur, non idcirco tamen ab hac sentẽtia discedendum est: cum plerunq; eas subtrahi, non ueterũ consuetudine solũ doceamur, sed & elocutionis elegantia admoniti simus. Est autẽ figura eclipsis. Tranq. in Dom.natus est regione urbis sexta, pro in regione.Cicero oratione pro domo sua:domo me cõtineo,pro in domo. & quo libentius nostrã hanc interpretationẽ hisce quisquilijs insererẽ, illud in primis suasit, quòd perquã eruditos cõplures uiros inuentũ nostrũ probare cognoueram, ut etiam præceptores nostri sibi eam arrogare interpretationem nõ dubitauerint: ex Græco uti opinor adagio,quo, amicorum omnia cõmunia esse,admonemur.

b in l.v. de uerb. oblig.

c c.pastoralis. de offi.deleg.

d l.j.de iu.om.iu.

Præfectum prætorio legem uniuersalem condendi autoritatem habere: & diuersa ab Iasone sententia, nescio quid in constitutione apertissimi C.de iudicijs enucleatum. Cap. IX.



Mperatoris Alexandri rescriptum hoc legitur, formam à præfecto præt.[a] datam,etsi generalis,minimè legibus uel constitutionibus contrariam: si nihil postea ex autoritate mea innouatum est,æquum est seruari. Quemadmodum id intelligendum sit, tractatũ à maioribus uideo: & Bartolus, alijq; numero plures,facultatem habere præfectum præt.uniuersalem legem cõdendi,ex ea cõstitutione putant. At alibi idem Bartolus,& quidam alij,Othofredo autore, id illi minimè licere, nisi in his quibus præest prouincijs, arbitrati sunt: uerbumq; illud,generale,extra eius territorij fines non accipiunt.In quam sententiam si accedamus, nihil magis præfecto prætorij competet, quàm cæteris magistratibus, qui in sua administratione & ipsi iura statuere, edicereq; possunt. quod omnino uerisimile non est:tametsi alium ipse huiusce legis sensum existimẽ,nempe hunc,ut si præfectus prætorio legem in sua prouincia promulgauerit: & quidem generaliter, exempli causa:quicunque, uel omnis qui tale delictum commiserit, plectatur: si imperatorijs constitutionibus non aduersetur: etiam cæteros, alioquin eius iudicio non subie-

a l.formam C.de offi.praef.praet.

ctos, tamen lege illa teneri: cuius exemplum inter iudiciorum sanctiones hoc reperire est. Generali præfecti prætorio forma expressum fuerat, iudicem delegatum, si suspectus esse cœpisset, recusari posse: dubitatum deinde est, num & idem in delegato principis esset: & idem esse Iustinianus Cæsar respondit: quod non tam ex eius lege locum habet, quàm quòd generalis hæc præfecti forma, etiam ad hos delegatos produci potest: & hanc interpretationem, quamuis reclamante Iasone, textui ipsi[b] magis conuenire, qui eum uiderit, pronunciaturus est, scio.

b in d. l. apertissi.

Officij iudicis petitionem idem cum extraordinaria actione esse, & quod ea ab actione in factum, & ab datiua differat. Cap. X.



QVæstionis est, utrum officij iudicis imploratio ab actione differat: & solet dici[a], actionis appellatione huiusmodi petitionem non contineri, nisi impropria significatione actionem capiamus. Sed ab hac declaratione tam ego dissentio, quàm qui maximè. nam cum actio ius sit persequendi in iudicio quod sibi debetur[b], conueniatque hæc definitio etiam huic extraordinariæ persecutioni, cur non, quod ex tali argumento deducitur, propriè deduci dicamus? quòd si officium iudicis aliquam obligationem non respicere, responderis: non tamen minus debitum peti idcirco fatebimur, cum in ea definitione uerbū, debere, lato significatu capi, Accursius fateatur: & ad huiusmodi debitum competere officium iudicis in confesso sit[c]: alioqui si aduersus nullo modo obligatum, persecutio illa concederetur: nónne officium iudicis, quod præmodum æquitatem amplectitur, iniquissimum esset, cum eum soluere cogeret, qui nulla obligatione teneretur? quamobrem eam obligationem hoc officio efficacem crediderim, quæ non ex communibus iuris regulis, utputa consensu, manat: sed quæ ex æquitate quadam extra ordinem consideratur. Nam & eum, qui ex re iudicata dare facere damnatus sit, uerum debitorem esse, dubio procul manifestum est: & tamen in eum non actione solum experimur[d], sed & iudicis officium imploramus: nimirum, quoniā qui ex re iudicata debet, uerè quidem ex consensu non tenetur[e]: sed solo iure ciuili reus est. Sed & nostram sententiam non parum tuetur, quòd petitio hæc frequentissimè à Iureconsultis persecutio dicitur: quoniā extraordinaria petitio est[f], quam etiā propriè actionis uerbo comprendi, iure testatum manet: hæcque sunt quas in factum actiones appellare soliti sumus[g]. quin & persecutionis uerbo extraordinarias persecutiones contineri, Vlpianus putat[h]: ut si quis impropriè id esse arbitretur, non solum Iureconsulto, tanquam propriæ significationis ignaro, iniuriam fecerit: sed aduersus Bartoli sententiam responsurus est[i], qui uerbum, contineri, de proprio significatu dici solere, existimauit: tametsi & ipse non semper id admittendum opiner[k]. argumento & nostræ sententiæ fuerit, quòd si libertus à me manumissus, ingratitudinis nota reus agatur, in seruitutē reuocari per extraordinariū remediū, quod idem cum officio iudicis est, Imperator Antoninus tradit[l]. Honorius actionem competere testatur[m], ut omnino idem utrunque dixisse credendum sit: quod & Accursio uisum est. nam & in causæ cognitione illud uersari, ut quæratur: num[n] citra in integrum restitutionē alia actio competat, cum Vlpianus[o] scripsit: quid aliud ostendit, præterquam in integrum restitutionem, quæ ex officio iudicis descendit, per actionem expediri? cum dictio alia implicare (ut uulgò dicimus) idem soleat. nec communē opinionem satis probant, quæ in eius tutelam à Doctoribus adducuntur, & illud maximè, quibusdam locis à iuris autoribus dictum, actionem nullam dari, cum tamen ex officio iudicis consultum sit[p]. Verùm ipse arbitror, quamuis actio specialiter accepta ordinarias tantum respiciat: generaliter tamen etiam persecutiones comprendere. quocirca cum Iurisconsultus actiones competere neget, de ordinarijs intelligendum est[q], ut quæ extra ordinē dantur, illæ competant. nec improbanda hæc est responsio, cum & constitutionibus cautum sit, actionē de dolo dari, quando nulla alia competit: & tamen si generalis competat, datur: sicut & in innominato cōtractu, si faciam ut des, nullam actionem dari scriptum est[r]: cum Fulgosius, & alij quidam, nullam dari ordinariam putent, sed extra ordinem generalemque secus. Succurrunt & huius

a in l. j. de iur. om. iudi.
b Insti. de act. in prin.
c gl. & scrib. in l. si seruum. §. fi. ff. de uer. ob.
d Bar. in l. intra. de re. iud.
e No. in l. Iulia. de condi. ind.
f l. pecuniæ. §. persecutionis. de uerbo. sign.
g l. fin. de uar. & extra. cog.
h d. §. persecutionis.
i in l. cui corum. de pos. tu.
k per No. per Iason. in l. emancipata. C. qui admit.
l. j. C. de libertinis.
m no. in l. cum filius. si cer. pe.
n in l. liberti. C. de liber.
o l. in causæ. ij. de min.
p l. quod si minor. § fin. in l. hæreditas. in fin. de peti. hære. l. quintus. de aur. & ar. leg.
q l. ij. C. de dolo.
r l. naturalis. §. quod si faciam. de pres. uerb.

A huius rei quamplurima exempla [s], quæ silentio præterire consultius fuerit. adducitur & quòd stipulationes damni infecti, & legatorum nomine cautiones instar actionũ habere traditum est [t], quæ tamen ex officio iudicis pendent. Sed, uti diximus, si actionẽ specialiter ut in rem uel in personam est, considerauerimus, tunc earum instar persecutiones obtinere crediderim: sed cum generaliter de actione loquimur, non similes, sed eius speciem esse, magis uerum est: etsi uerbum, instar, generis speciem, non similitudinem significare hoc casu quisquã nõ indoctè dixerit [u]. Ergo generaliter affirmandum, persecutionem hanc, actionemq́ idem esse: minimè uerò, sed id tunc certum opinor, cum quicquam petimus, quod nobis aliquo modo debeatur. nam cum ea, quæ meræ facultati iudicis conceduntur, petimus [x]: tunc longè & latè ab actione persecutionem hanc differre, necessariò profitemur. Et ex his consequens est, ut si ex officio iudicis actio aduersus me intentata elidatur, exceptionẽ propriè mihi competere fateamur: quoniam ex sola æquitate uera exceptio datur [y]. quod autẽ inter utrasq́ uoces, multas differentias & Bartolus, & Iason, recentioresq́ alij aggregant, minimum nostræ sententiæ aduersatur: cũ nec ipse reales personalesq́ actiones à persecutionibus distare, inficias eam: sed tamen inde non sequitur, quin actionis appellatione persecutio propriè contineatur. Cæterum cum officij iudicis petitionem extraordinariã actionem esse dixerim: quid ergo ab actione in factum differt? quid ab ea quã datiuã recentiores nuncupãt? & in hoc differentiã esse censeo, quòd datiua actio speciale nomen habet [z], ut in aliquo casu mutui peculij ue, actio in factũ, uel ex interdictis [a], uel ex innominato contractu, similibusq́ negocijs prouenit: persecutiones uerò utplurimũ in mixti imperij causis intenduntur: nam & illas ex nobili mercenarió ue officio distingui non putauerim: cum has uoces nõ à Iureconsultis acceperint, sed ex proprio ære recentiores ipsi effigiauerint, cum & merum officium appellari in iure uiderimus [b], quod mercenariũ isti credunt. sit igitur causa iurisdictionis, quæ pecuniã respicit. Mixti uerò imperij causæ non B actione in rem, nec in personam expediuntur, cum ad huiusmodi debitum non pertineãt: sed cum principale earũ robur ex iudice descendat, persecutionibus terminanẽ.

s *l. ita nobis. C. de adult.*
t *in l. actionis. ff. de act. & obl.*
u *l. ij. ff. de iureiurando.*
x *l. non quicquid. de iud.*
y *l. qui æquitate. de dol. ex.*
z *Bar. in l. certi. cond. in prin. si certum pet.*
a *glo. instit. de interd. §. fin.*
b *l. quinta. de uerborum obl.*

Si contumaci defensio omnis ex lege uetita sit, quemadmodum hoc accipi debeat, multisq́ casibus declarari illud statutum, quos alij minimè tam accuratè perspexerint. Cap. XI.



PRæcedenti articulo consequens est quæstio, num quæ lex municipalis actionem alicui negat, persecutiones etiam, quæ officio iudicis expediuntur, prohibeat: & in fauorabilibus tantum uetari cõmuni sententia enunciatur. Sed si nostra illa opinio probetur, promiscuè indistinctèq́ prohiberi dicendum est. Verum & hîc quæri solet, quid si lex non actionẽ simpliciter auferat, sed quamcunq́ defensionẽ? Finge statutum esse, ut contumax accusatus, nisi sese in carceribus constituat, omni defensione priuet: & tunc extraordinarias quoque has petitiones illi non competere, nemo nõ probauerit [a]: tametsi hæc qualiscunq́ constitutio multas interpretationes admittat, quæ uulgò minimè agnoscuntur, & eam in primis, ut licet ipse propriã causam tueri nequeat, extraneus tamen quilibet ratione publici fauoris officium iudicis implorare poterit, si tamen probaturus est, contumacẽ eum falso crimine deferri: solumq́ in hoc à reo dispar erit, quòd reus, si contumax non esset, nisi crimen probaretur, absoluendus foret: at hoc casu, nisi extraneus innocentiã probet, condemnabitur: & ita in quæstione facti interrogati, Marianus, Socinus, & Thomas Dotius, responderunt [b]. sed & ipse crediderim, posse eum qui contumax sit, rescissionem sententiæ petere ex edicto prætoris, quasi metus causa absuerit, cum carcer iustam timoris excusationẽ afferat [c]: quod ita uerum est, si iudex ipse uir toruus fuerit, & qui etiam absq́ indicio plectere reos soleat [d]. nam etsi manifestum sit, contumacẽ illum per calumniã delatũ esse, nõ alijs tantũ defendere: sed etiã ipsi iudici, nemine petente, absoluendi ius est [e]. Idẽ etsi ex leui delicto accusatus proponaẽ, uel accusatio ipso iure nulla dicaẽ. sed quid si contumax redeat, & absentiæ causas alleget, audiendus ne est? & puto audiri æquũ esse [f]: quod & Alberico Rosato uideẽ. Cæterũ ex prædicta lege

a *Bar. in l. j. §. & parui. quod ui aut clam.*
b *d. Anto. de canaro. in trac. de excu.*
c *l. qui in carcerẽ. de his quæ me. cau.*
d *Aret. in l. accusa. C. e.*
e *Bal. in l. plane. de peti. he. & ibi Alex.*
f *Alb. de Rosa. in stat. in iiij. parte. q. xxxiij. in q. xxxij. eo loco*

c/r contumace/

g Bal. in extrauag. de pac. consti. in uerb. non admittemus.
h Alb. in q. xlj. eo loco.
i de pace constantiæ. & in l. scire. §. cõsequẽs. de exc. tuto.

solum ea defensio prohibita censetur, quæ adiuuare contumacem possit[g]: quoniam in eius damnum procedi posse, dubio procul est. nam & hoc statuto non solum defensio respectu accusationis tollitur, sed & quælibet alia in alijs causis[h]: Vt non absurde tractatum sit, si quisquã de facto aliquid ab huiusmodi contumace petat, possit'ne contumax defendi: & posse tandem obtinuit. quòd si proponatur, iudices accusatum hunc pariter & contumacẽ admisisse, absoluisseq́, sententiam hanc ipso iure inualidam, Baldus existimauit[i]: quod & cæteris perplacet: expresso enim iuris errore uidetur lata.

Vter in iudicando dignior haberi debet, ordinarius, an delegatus principis? Cap. XII.

a in rubr. de offic. or.
b in l. duo. de re iudi.


Ractatum diligentissimè apud Alexandrũ posterioresq́ est, uter in iudicando dignior esset, delegatus principis, an ordinarius iudex: & digniorem esse delegatũ obtinuit[a]: quam sententiã rationibus multifariam probant: quamuis nihil ex legibus adducant, quod quæstionis terminos plurimum respiciat: nos id definiri ex Impp. Valentiniani, Valentis, Gratiani, constitutione de officio uicarij, arbitramur: qua in ciuilibus causis præfecti prætorio uicarium iudicare, in militaribus comites, expressum est. quòd si causa utriq; cõmunis acciderit, priore loco uicarius cognoscere, comes illi adiunctus accedere iubetur. Viden' igitur, uicarium præferri, qui tamen iure ciuili ordinariam iurisdictionem non habet? licet Pontificum decretis aliter sit: & eo diligentius annotanda hæc est constitutio, quo etiã minus ab cæteris perspecta, dubitabilem alioquin aliam quæstionẽ explicat. Fingamus ordinario iudici adiunctum ex causa à principe collegã, qui in diuersam ab ordinario sententiã iuerit. quæsitũ est: cuius potissimũ pronunciatio sit obseruanda: & negociũ omne ad principẽ deferendũ Bartolus[b] censet, qui in dubijs delegati iudicio potius acquiescat, tanq; is dignior sit. uidetur sanè huius legis argumẽto idem esse etiã, si ea res ad principis cognitionẽ non referatur, sed tamen amplius quærendum reor.

In bonorum possessione adipiscenda hodiéque necessarium decretum esse. Cap. XIII.


a l. fin. C. qui admit.
b Bar. in l. non solum. §. morte. in ij. col. de op. no. nun.
c l. fi. §. nos itaq;. C. de cura. fur.


T uerborum inanium captiones excluderet, statuit Constantinus Imperator[a], in adipiscenda bonorum possessione, si qualiscunq; testatio etiã apud duumuiros ostendatur, sufficere. Interpretati id sunt posteriores, ut ex illis uerbis exponatur, in bonorũ possessione necessarium non esse decretũ interponi: sed illud sufficere, si quisquam apud magistratũ municipalem bonorum possessionẽ accipiendi uoluntatem suam declaret. Verumenimuero perquam uereor, ne hæc uera non sint: cum testatio nihil aliud sit, quàm protestatio[b] quædam, quæ loco petitionis libelli uc successit: & cum libellus scripturam requirat, ea solis uerbis efficax est. Prius igitur quàm decretum interponeretur, iure antiquo requirebatur is libellus. Verùm Constantini ea cõstitutio, loco libelli qualemqualem testationẽ sufficere demonstrauit: sed non propterea consequens est, ut & idcirco sublatũ decretum credamus. Cum enim de correctorijs agatur, quod expressim non mutatur, cur prohibetur stare? nam etiam ratio legis, ut inanes captiones excludanť, hoc casu locum non habet. Quis enim sani iudicij non erubescat fateri, decreta prætorũ, quæ mira quadam solennitate ferebantur, uerborum uanas captiones esse: præsertim cum etiam Iustiniani lex attestetur, per Constantinum sublatam bonorum possessionis petitionẽ fuisse[c]: quod ergo de petitione dicitur, quid cum decreto commune habet? Idemq́ Cæsar eam possessionem bonorum illi, quæ furioso decerni solet, æquiparat: ut cum in hac decretũ requiri plus quàm manifestum sit, idem iuris in alijs quoq; esse meritò asserendum uideať: eius uerba hæc sunt. Curatori furiosi licentiã damus, eam bonorũ possessionẽ agnoscere, quæ antea ex decreto dabatur, & ad similitudinẽ bonorũ possessionis habere, cum petitio bono. poss. lege Constantiniana sublata est: & ab ea introducta obseruatio pro antiqua sufficit portione. Neq; uero opineť aliquis, contraria ex eo iuuari, q; bonorũ possessionẽ antea ex decreto dari dicatur, quasi nunc non detur: nam ab legislatore id enarratum uerisimile est: quoniã cum ipse hanc agnoscendi licentiã curatori præstiterit,

stiterit, non ex iure prætorio uidebatur amplius bonorũ illam possessionẽ esse, sed ex iure ciuili [d]: quamobrem ut ambiguitatẽ hanc de medio tolleret, eandem esse dixit, quæ antea ex decreto dabatur: & idcirco prætoriam: & quod subsequitur, petitionem Constantini lege sublatã, ad uerbum illud, habere, pertinet, quod latissimæ significationis est [e]: & id quoq; cõtinet quod sine petitione habeatur. Quòd autem duumuiros eosdẽ & magistratus municipales, nostri Doctores credunt, fortasse & hoc non ita uerũ est. nam ex omni ordine duos esse electos magis puto, qui carceribus præerant [f], fascibus utebanẽ[g], apud quos emãcipari non poterat [h]; licet apud totũ ordinẽ posset. omnino dignissimus, & maximus inter decuriones honor duũuiralis habebaẽ[i]; sed de hoc alibi.

d arg. l. 1. §. sed cum adducitur. cum ibi nota. de uerb. oblig.
e l. stip. ista hab. de uerb.
f l. si quis uxori. §. si fug. de furt.
g l. duumuirũ. C. de decu. lib. x.
h l. 1. C. de eman. lib.
i l. 1. de alb. scri.

Titulum, qui sit Codice de suffragio, aliter intelligendum, quàm ad nostra hæc tempora intellectus: & quemadmodum aduocatis honorarium dari debeat. Cap. XIIII.



Væsitum est, quemadmodum aduocato salarium dandum sit: & in hac quæstione, cum simul aduersari quamplurimæ leges uideantur, sic existimo distinguendum: ut si in professoribus iuris ciuilis [a] loquamur, qui de publico stipendia habent, eos non posse quicquam petere, dicendum sit: oblatum tamen accipere ualeant, & id introductum uidetur, quoniam iuris ciuilis sciẽtia cum res sanctissima sit, precio nummario æstimanda, dehonestandaq; non est. Quòd si de alijs aduocatis quæramus, qui causarum patroni sunt, his extra ordinem officio iudicis consuli constat [b]: ut tamen quod honorarij illis dari iudicaẽ, centum aureos non excedat [c]: alioqui si sibi præstari quicquam paciscantur, pactum turpe est, & ex eo agi non potest, nisi finita lite conceptũ proponatur. quamuis autem petere non possint, oblatum tamen licite recipiunt [d]: & si per eos non fiat, quominus patrocinium non præstetur, restituere non compelluntur [e]. Sed aduersus hanc sententiam nõ parum mouere nos poterit, quod ex quacunq; pactione etiam nuda actionem aduocato dari est proditum [f], probariq; ex titulo, qui de suffragio inscribitur, testatum manet. Sed uideamus quæso, quàm peruersè, quàm indoctè tractatus ille accipiatur: & in primis ab Accursio, cæterisq; scire uelim, apud quem idoneũ autorẽ legerint, suffragium pro patrocinio aduocatorum accipi. nemo certè in literaria palæstra nomen dabit, qui hoc affirmare sit potis. & quamuis suffragio copulari patrociniũ, in Iustiniani Authentico legerim [g], non tamen utranq; uocẽ eiusdem significationis esse quisquam asseret. Quamobrẽ suffragia propriè ex doctissimorũ uirorũ lectione ea esse dixerim: quibus in campo Martio populus Ro. honores magistratusq; candidatis mandabat: quæ quidẽ solebant etiã magno comparari: unde lex Iulia de ambitu lata est, quæ hanc emptionẽ, si clàm contraheretur, fieri prohibebat, palàm nullo iure uetari, nec Accursium latuit [h]. possunt & rectè suffragia appellari, cum ex aulicis purpuratisq; principis, seu à scrinio quisquã, uel quilibet alius principẽ exorat, ut aliquẽ duplomate iuuet, uel summa potestate sontem liberet, uel quicq; aliud etiã iustum concedat. Igitur si ob hanc causam aliquid promisero, puta ut principẽ exores, ut illud mihi beneficiũ tribui facias, ex suffragio tibi obligabor: uidebatur enim huiusmodi pactionẽ illicitã esse: quod utiq; non est: tametsi ex hisce suffragatoribus quidam reperti sint infames, qui uulgo fumũ uendere dicebantur, ut apud Lampridium in Alexandri imperatoris uita, legere est. Neq; uerò etiam illud admiserim, ex pactione nuda hoc casu actionẽ dari, cum uerba legis eũ qui spoponderit, obligent. cur enim sponsionẽ potius efficacem promissionem non interpretamur, quàm aduersus iuris regulas inducamus, ex pacto actionem dari, cum sponsio iure ciuili ualidam promissionẽ plerunq; significet [i]? Sed & de suffragio hæc Tranquillus in Vespasiano: quendã ex charis ministris dispensationẽ cuidam quasi fratri petentem, cum distulisset, ipsum candidatũ ad se uocauit, exactaq; pecunia, quantam is cum suffragatore suo pepigerat, sine mora ordinauit, &c. Nam Accursij expositio, si patrociniũ denotari admittamus, & legẽ in angustum reponit, & ante litem (quo tantũ casu titulum hunc intelligit) posse pactum hoc concipi fatetur [k]: quod omnino falsum est, cum eo casu solum ualere didicerimus, quo sopita lite sit contractum: quamobrem

a l. 1. §. proinde. de uarijs & extra. cog.
b §. illo procul. in l. properan. C. de iu.
c d. l. 1. §. litis. & l. quamuis. C. de postul.
d l. archiatri. C. de profes.
e d. l. 1. §. diuus.
f C. de suffra.
g ut iudi. sine quoq; suff. v. §. sic igitur à nobis.
h in l. unica. ff. de ambi.
i no. in l. lecta. si certum pet.
k d. §. litis causa.

nihil est quòd dubitem nostram opinionem ueram esse, quam & ex Amiani Marcellini autoritate comprobamus: is libro XXII. tradit: cum Aegyptij, genus hominum litigiosum, quotidie Iulianum imperatorem tædio afficerent, dum eius præfectos acceptarum pecuniarum accusant, eum constituisse lege promulgata; nullum interpellari suffragatorem super his, quæ eum rectè constiterit accepisse. C

Nouus intellectus famigerato uersiculo, is uidetur datus in lege singulari, Si quis ius dicenti non obtemperauerit. Cap. XV.



APud Iurisconsultum Vlpianum, in titulo, Si quis ius dicenti non obtemperauerit, hæc sententia legitur: Is uidetur ius dicenti non obtemperasse, qui quod extremum in iurisdictione est, non fecit: ueluti si quis rem mobilem uendicari à se passus non est, sed duci eam uel auferri passus est: cæterum si & sequentia recusauit, non obtemperasse uidetur. In hoc uerborũ sensu tanta est inter interpretes altercatio, ut etiam nouem uarijs modis in disceptationem res deducta sit: ex quibus quoniam maxima pars à recentioribus confutatur, eas solum interpretationes in medium afferam, quę frequentius approbanť, multosq́; assectas habent. Et in primis ita quidam interpretantur, ut extremũ idem significet, quod minimum leuissimumq́;, quasi Vlpianus uelit, non eum tantum, qui in magno negocio contumax est, sed & qui in re leui non paret, mulctari posse: ueluti si tecum rei uendicatione egero, tu citatus uenire contemnis, & contumax es: quapropter amplius uendicare non possum, sed ex primo decreto in possessionem mittendum erit, uel etiam ex secundo fiet abalienatio. Sed hæc expositio multis rationibus, tametsi ab alijs approbetur, expugnari potest: tum quòd extremum non sanè commodè pro minimo leuiq́; accipitur: quod etiamsi demus, in eo decipiemur, quòd eum qui contumax non compareat, leuiter delinquere existimauerimus: cum maius sit eius erratum, qui uocatus non compareat, quàm qui dare facere iussus, non paret [a]. Nam & eum, ob cuius negligentiã primo, uel secundo decreto prætor in possessionẽ miserit, nõ esse mulctandum, Paulo Castrensi, & cæteris placet [b]. quoniam satis ille punitur, qui huiuscemodi decretis à prætore affectus est. Quamobrẽ alia adduci solet Ioannis interpretatio, qui extremum interpretatus est, quicquid principiũ, uel finem causæ respicit: sed hoc ex Latini sermonis usu defendi uix posse opinor. nam quamuis nostri temporis dialectici in syllogismis sic extrema accipiant [c] ex usu ueterum, tamen id frequentius dicitur extremũ, quod fine terminať: quod nõ legibus tantũ, sed & Vergilij autoritate manifestum est: D

Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem.

Nec ex rara peregrinaq́; recentium elocutione, Romana, atq́; eadem elegans Vlpiani dialectos exponenda est. habet & Baldi quædam interpretatio suos assertores, dum uidelicet duo extrema in iurisdictione esse tradit, citationẽ, & executionẽ: qui igitur in eorum altero contumax sit, mulctandus est. Verùm & id eodem argumento cõuincitur: quoniam in iurisdictione extremum esse citationẽ, nequaquam admittendum est. sed & illud, treis hasce declarationes à ueritate abesse, fortissimum argumentum est, quòd Iurisconsulti exemplum de re mobili, sanè quàm inconcinnũ esset: cur non de immobili dixit potius, quo casu rei uendicatio frequentius intenditur? Quamobrem uerius esse, quod quandoq́; nos excogitauimus, duxerim. Sciendum itaq́; illud, finita iurisdictione, ius mulctandi amplius non competere: ueluti si lata sit definitiua sententia [d]. Potuit autem probabiliter dubitari, quid si terminaretur iurisdictio: non quidem facto iudicis, qui pronunciauerit, sed occasione litigantium? exempli causa: uendico à te rem mobilem: tu lite contestata dicis rem apud te non esse, quoniam ab alio ablata sit, quo casu agere prohibeor, quæritur, an quia promisisti rem auferri, mulctari possis: & Vlpianus posse existimat. Sed quid si sequentia recusaueris? ea autem sunt, ut si dolo tuo res ablata sit, quanti maximi in litẽ iurauero [e], si sine dolo, quanti mea interest cõdemneris: & hoc in executionis causa: in principali uerò, ut si dolo tuo res ablata sit, nihilominus agať: alioqui non agať, nisi intersit te prius dedisse [f]. respondet Iurisconsultus, idem esse, & dum dicitur, nõ obtẽperasse uideri, qui quod extremũ in iurisdictione est, non fecit:

a Alb. in c. j. in x. no. de iud.
b in d. l. unica in ult. colum. in §. is uidetur.
c Bar. in l. si is qui pro emp. l. ij. C. de sec. nu.
c Rainaldus. de test.
d l. iudex. ff. de re iud. l. Alex in l. imperium. in vij. colum.
e l. qui restituere. de rei uend.
f l. item si: §. fin. de rei uend.

A non fecit: idcirco quid extremum sit, non exprimitur: quoniam si post citationem, uel litis contestationem, rem auferri permiserim: citatio, uel litis contestatio extremum in iurisdictione erit: idemq; in alio quocunq; iudiciali actu, qui abductionem hanc præcedat. Ille igitur qui rem mobilem à se uendicari passus non est, sed ab alijs duci, auferriq; passus est, nõ obtemperasse uidetur: & hoc exemplum maximè in re mobili procedit. quoniã cum facilè abscondi potuerit, præsumitur dolo ablata: & onus probandi ad reum pertinet, ut si interim contumax sit, sequentia dicatur recusasse: & idcirco mulcta affligatur: uerbum enim, duci, ad mouentia: uerbum, auferri, ad mobilia refertur. Et quãuis hos casus Iurisconsultus, tanq; magis dubios, expresserit, non tamen negat aliter quoq; in causa mulctari posse, ut & hinc quędã Bartoli argumẽtationes explodanť.

Explicata ratio, cur in furto sit unum factum, in iniuria damnó ue plura: & malè sensisse scriptores in l. si familia. de iur. om. iud. Cap. XVI.



SI familia alicuius furtum fecerit, unum factum est: si iniuriam, uel damnũ faciat, plura facta sunt[a]: qua ratione hoc? Bartolus, & sequiores alij, furtum, nomen iuris esse tradunt, delictumq; nomine proprio appellatum, iniuriam facere, album corrumpere, damnũ dare, facti esse: delictaq; hæc cum innominata sint, tot esse facta, quot delinquẽtes sunt. sed illud mihi probari uelim, idcirco quòd uerba factũ respiciant, plura facta dici. furtum enim quid aliud est, quàm rei alienæ contractatio, inuito domino[b]? quæ definitio factũ spectat: & tamen in furto à pluribus commisso, factum unũ est. Si enim eos contractus, tam qui proprium nomen habent, quàm qui innominati uocantur, facti esse dicimus[c]: quamobrem & in delictis idem non opinemur? Nam plura facta non considerari, ex uerbis legis factum denotantibus: sed ex pluribus consilijs, Pauli responso ostenditur[d]. quã obrem quicquid uno consilio à familia fit, unum factum esse: quicquid pluribus, plura crediderim. sed si, quid actum sit, non constet, in furtis unum, in damno, iniuriá ue plu
B ra facta præsumi, magis arbitror. huiusq; differentiæ ea fortasse ratio est, quòd in furto res ipsa perpenditur: quæ unũ tantum furtum spectat: unde & eius respectu duplum quadruplum ue in condemnationẽ deducitur. sed in iniuria non tam conuiciũ ipsum attenditur, quàm eorum personæ, quæ iniuriam faciunt[e]: & quo plures sunt, eo atrocior est contumelia. quapropter si municipum decreto puniatur, qui cum armatis hominibus alicuius domum incesserit, non is pœnam merebitur, qui uno cum socio eò profectus est[f]: cum grauior sit iniuria à pluribus, quàm ab uno facta. Idemq; est in damno dato, tum quòd non sine iniuria dari solet: tum etiam quòd non ratione rei in duplum triplum ue rependitur. Sed quanto pluris res, quæ damnum passa est, eo anno uenum data fuisse probetur[g].

a *in d. l. si famil.*
b *l. j. de furtis.*
c *l. consilio. de cur. fur.*
d *d. l. si familia. in fin.*
e *l. si plures. de iniurijs.*
f *Alex. & Iason in. l. gal. §. si is. in iij. colum. de lib. & po.*
g *Insti. ad leg. aquil. in prim.*

Pactum prorogationis, etiam priusquam cœpta iurisdictio sit, efficax esse, ueterum sententia approbata, recentiores interpretes reiecti. Cap. XVII.



SI conuenerit, ut alius prætor, quàm cuius iurisdictio esset, ius diceret: & priusquam adiretur, mutata uoluntas fuerit, proculdubio neminẽ compelli ei conuentioni stare Africanus iuris autor scripsit: quod responsum sic intellexerunt Bartolus[a] & alij, ut à prorogatione iurisdictionis alter, etiam inuito altero recedere possit. Et quãuis iuris regula admoneamur, nihil sanctius esse, q̃ seruare promissam fidem: hoc tamen casu à promissis recedere licere, receptũ est. & si quæras, qua ratione hoc admissum sit, ex Angeli scriptis respondebiť, in his quæ publici iuris sunt, priuatorũ pactiones nõ considerari: sed cũ licitũ cuilibet sit iurisdictionẽ prorogare, cur in eo pactũ attendiť: si pœniteat, nõ attenditur? Aretinus, Iason, atq; alij aliter respondent: & tandẽ uel inuiti cõcedere coguń, nulla efficaci ratione id introductũ esse. quid igiť quod ratione caret admittimus? Quamobrẽ aliter intelligi posse Africani uerba ex ueterũ[b] cõmentarijs reor: ut ita demũ recedere liceat, si cõmuni consensu uterq; à pactione recesserit. nam cum si cõuenerit, inquit Iurisconsultus, inter utrunq; intelligitur, addatq; mutatã uoluntatẽ proponi, certè & ab utroq; mutatã accipere, pronius est: tum ex cõmuni proloquio eiusdẽ formæ uerba pariter accipi[c], tum etiã q̃ præcedentis

a *l. si conuenerit de iur. om. iud.*
b *Alb. de rosa. ib.*
c *l. iam hoc iure. de uulg.*

d l. dol. ubi Bar. de ser. corrup. clausulæ modus in sequēti repetitus censetur [d]. sed huic declarationi fortissimè resistit, quod accepto ex contrario sensu argumento, concluditur, ubi aditus sit prætor, etiam utroq; retrocedente, licitam remissionem non esse: quod iure defendi non posse, nemo non crediderit: cum renunciare liti passim permissum uideatur [e]. uerùm & hoc argumentum elidi posse quandoq; arbitratus sum, in eamq; iui sententiam, ut postquam lis cœpta sit, inuito iudice, ius renunciandi partibus competere negarem. nam nec actor, si reus neget, quoniam sua intersit causam expediri, renunciare liti potest [f]: quod & hoc casu producendum, cum iudicis contemnatur autoritas, si eius iudicio omisso, alium adeam [g]. minimè tamen diffiteor, si non instantiam tantum, sed & litem remittamus, id licere: quoniam cum alius iudex non adeatur, uix quisquam dixerit prioris autoritatem sperni: nam & nos iuuerit, post litis contestationē, etiam actore reoq; consentientibus, libellum alioquin ineptum emendari, recentiorum Baldiq; autoritate prohiberi [h], quòd uidelicet negocium id iudicium spectet. Potest etiam id argumentum aliter dissolui, quòd uidelicet quamuis lex dicat, priusquam iudex sit aditus mutatam uoluntatem, non tamen consequens est, ubi sit aditus, non licere eam mutari. Nam & Hier. inquit, quod dicitur: antequam conuenirent, non sequitur ut postea conuenerint. Cap. quarto de uerb. sig.

e l. postquam. C. de pac.
f gl. Bal. in l. utique. de re uend.
g l. sed si seruum. §. fi. de arbi. cum l. se.
h l. edita. C. de ed. Bar. in aut. hodie. C. de iura. cal.

Si rubrica generalior sit lege, quemadmodum accipi debeat, & in diuersam sententiam itum, ab eo quod post Pauli Castrensis consultationem communiter existimatum est. Cap. XVIII.


DVbitari solet, si legis municipalis rubrica lege ipsa generalior sit, sequentibus capitibus utrum coërceri debeat [a]: & Paulus Castrensis non debere integra consultatione existimauit, quamobrē cum proponerentur ita concepta rubricæ uerba: stantibus masculis fœmina non succedat: & in lege ipsa, muliebris sexus tantum à matris successione repelleretur, nihilominus à paterna quoq; hæreditate reijciendas fœminas respondit: quoniam rubrica generaliter scripta proponebatur. Videamus uerum'ne sit: & cum ex Iustiniani codicis rubrica [b] generaliter militare negociatores prohibeantur, intelligaturq; tamen ex sequenti constitutione id tantum procedere, cum sacramento militari adiguntur, clarissimum planè argumentū est, quantumuis generales rubricas sequentibus responsis adstringi. nam & ex eiusdem codicis rubrica rusticani generatim ad obsequia deuocari prohibentur [c], quod tamen pluribus casibus coartari certum est. Fortius nos Pontificis epistola inter decretales adiuuat [d]: nam si lege sacerdotum, in collegio facta, generaliter, qui in templis non resident, fructus suos facere uetentur: dicemus ne eos comprendi, qui in Archiepiscopi, uel Pontificis officio permanent? & non comprendi expressum est. si ergo statutum potius intelligitur, ut nihil noui inducat, quàm generaliter contra ius accipiatur, quanto magis in rubrica id esse fatendum est? quin & Bartolus [e], si lex in municipio generalis promulgetur, deinde alia specialis, à prima discessum uideri scripsit.

a ut per Mod. in rub. si cer. pe.
b C. neg. ne mili. lib. xij.
c C. ne rusti. ad ullum. lib. xj.
d c. ad audientiā. de cler. nō resi.
e in l. quæsitum. §. fi. in iij. col. de fundo instru. lega.

Commodatū dicitur etiam translato dominio, dum tamen actum sit eandem speciē restitui: & declarata lex ultima de præscriptis uerbis. Cap. XIX.


SI speciem aliquam tibi dedero, dominiumq; transtulero, ita ut eandem restituere mihi intra aliquod tempus tenearis, quæsitū fuit, quisnam is contractus esset: & Accursius, & cæteri omnes contractus innominati, cum do ut des, genus esse tradunt. Mihi, licet non ab re admirari quisq; possit, commodatum esse uidetur: quoniam mutuum damus, recepturi nō eandem speciem, quam dedimus: alioquin, ut Paulus Iurisconsultus ait [a], erit depositum. quòd si (ut æquū est) fateri cogamur, nónne Iurisconsultus malè prolocutus foret, qui commodato depositoq; solum tribuit, quod contractui innominato adscribendum fuerat? sed & in ultima lege de præscriptis uerbis [b], expressum hoc, dicere non dubitauerim: Si tibi, inquit, scyphos dedi, ut eosdem mihi redderes, cōmodati actio est: si ut pondus argenti redderes, quantum in illis esset, tantum ponderis, petitio est, per actionem præscriptis uerbis. Nam quid rectius dari interpretabimur, quàm dominiū transferri? quòd si

a l. ij. si cer. pet.
b l. fi. de pres. ue.

A quòd si in eo uerborum contextu, impropriè traditionẽ significari dixeris, aduersus autoris sententiam dixeris, qui solam differentiam inter utrunq; casum hanc constituit, ut in primo, quia in specie res data sit, dicatur commodatum; in secundo, cum in genere rem restitui actum sit, innominatus contractus appelletur. nec obesse quicquam potest, quod uulgò dici solet, incõmodato dominium non transferri [c]: quia hoc puto admittendum: sed si actum sit, ut transferat, non ideo minus cõmodatum erit: nam hanc pactionem aduersus eius substantiã esse, ullo unquam iure (nisi fallor) lectum non est.

c l. rei cum. l. seq. commo. l. 1. de precar. in fi.

Paragraphus mutui datio in lege ij. si cert. petatur, aliter declaratus, quàm ab aliis in præsentem diem fuerit. Cap. XX.



Vtui datio consistit in his rebus, quæ pondere, numero, mensurá ue consistunt [a]: quoniam earum datione possumus in creditum ire, quia in genere suo functionem recipiunt, per solutionem magis, quàm per speciem. nam & in cæteris rebus ideo in creditum ire non possumus: quia aliud pro alio, inuito creditore, solui non potest. Dubitaui plerunque, quid his uerbis Paulus Iurisconsultus sibi uelit: & ut rem omnem accipiamus, scire nos oportet, credere eum propriè dici, qui ita rem alienat, ut dominium transferatur [b]: quòd si non sit translatum, ibi nec debitor, nec creditor ex propria strictaq; significatione est: & hoc casu tradita species eadem restitui debet: cum si dominium transferatur, is satisfaciat, qui tantundem in genere soluit. Item ire in creditum uidetur dici ea ratione, qua alibi [b] dicimus in creditum possidere, & alibi in possessionem ire, quæ uerba ad executionem referuntur. Igitur sic argumentari Paulum Iurisconsultum opinor, ut dicat mutuum esse quod in his rebus consistit, quæ pondere, numero, mensura, continentur: quoniam ex earum datione dicimur ire in creditum: nam si debitor non soluat, captis pignoribus fit eorum uenditio, ut ea pecunia emantur creditori res mutuatæ, cum huiusmodi res recipiant functionem in suo genere magis per solutionem, quàm per speciem: hoc est, quia in eis non censetur obligata species, seu ea res quæ data est: sed recipiunt functionem suam per solutionem, quia si tantundem soluas liberaberis. Nam in cæteris rebus ideo non dicimur in creditum ire, quia species ipsa est nostra, puta, si domum, uel librum commodauerim, pignori dederim: & ideo cum species sit in nostro dominio, non potest præter eam aliud nobis solui. unde quamuis in executionem iudicati pignora & auferantur, & uendantur, tamen per receptionem pecuniæ non est liberatus debitor, qui ad restitutionem rei tenetur, ita quòd aliam eiusdem generis dando non liberaretur. Nec hoc intellectu admisso, dixeris, ex ultimo uersiculo per argumentum à contrario sensu colligi, in commodato deposito ue, si interuenissent res, quæ pondere, numero, mensura constarent, inuito creditore posse aliud pro alio solui: quod iure perquam reprobum est: nam respondendum existimauerim, Iurisconsultum loqui, cum res illæ, non ut species, sed uti genus dantur: quod demonstratio hæc indicat, per solutionem magis, quàm per speciem. & hoc modo explicanda arbitror Iurisconsulti uerba: quæ si rectè percipiantur, nihil in ea quæstione extricant, utrum qui dandi obligatione tenetur, possit aliud pro alio soluere: quod Bartolus & cæteri putauerunt. nec etiam iure dicemus Iurisconsultorum rationes aut leues esse, aut nihil ab ipso pronunciato differre: quæ quorundam opinio fuit. Cæterũ quoniam hæc à me alibi difusius tractata sunt, nõ est quòd eadem lectoribus etiamnũ reponam.

a l. ij. §. mutui. si cert. petatur.

b glo. & scrib. inst. de actio. in princ.

b in l. à diuo Pio. §. si pignora. de re iud.

B

Bella utrinq; licita esse: & explicata quæstio Doctorum antehac penè irresolubilis: Fulgosiiq; opinio quædam approbata. Cap. XXI.



Trinq; licitá ne bella essent, etsi me nõ lateat quandoq; disputatum fuisse, nemo tamen fuit, qui non dubitationem hanc, tanquam absurdam auersaretur. siquidem probabilius dicere is uideri poterit, qui utrinq; abominanda profitebitur: sed cum & hoc iure defendi non posse uideretur, in eam communi calculo itum est sententiam [a], ut Romanos iusta bella mouere, eorum hostes illicitè agere crederentur. Verùm nos aliter existimandum censemus, & utraq; parte optimo iure belligerari arbitramur: nec tamen eò usq; contra omnium

a in l. ex hoc iure. de iusti. & iur.

ſententiam diſputamus, ut rixas, turbas, idq́ genus contentiones, hoc numero admit C
tendas putemus: ſed de his tantum bellis loquimur, quæ cum exteris fiunt, & euiden-
tiſſimè iniuſtam cauſam non fouent. nam illa dubitatio, qua hinc atque hinc, uter iu-
ſtiora arma moueat, mens impellitur, facit ut ea utrinque licere profitear. nec iure quiſ
quam dixerit, me pugnantia loqui: quòd ſi iuſta arma quiſquã induat, neceſſe ſit eum
qui contrariæ ſit factionis, iniuſtum eſſe: non ſequitur hoc, nec abſurdum eſt, propter
ancipites ſententias utroſq́ non iniuſtè belligerare. & ut rem exemplis ex ipſis legibus
ſumptis adiuuemus. nonne quilibet in liberali cauſa conuentus de ſtatu ſuo tranſige-
re poteſt, paciſci non poteſt[b]: cur hoc? niſi quoniam ſi euidens ſit & manifeſtum, ali-
quem eſſe liberum, is paciſcendo nequaquam conditionem ſuam mutare poteſt: ſi du
bium ſit, iura permittendum exiſtimauere. uiden' igitur, quædam in dubijs concedi,
quæ ſi alio caſu tribuerentur, neq́ lex, neq́ ratio fineret? Duo corã iudice litigaturi an-
te latam ſententiam iuſtè agunt[c], iuſtè excipiunt: præſertim ſi per calumniã ea nõ fieri
iuratũ ſit: idem & in bellis eſſe quis meritò ambigat? Illud admittimus, ſi conſtet abſq́
ulla penitus ratione aliquam partium reluctari, eam non bella gerere, ſed potius latro-
cinia, exiſtimandum. Hinc Longobardorum lex, quæ eum qui gladio hominem uul
nerauiſſet, ſingulari certamine fortunam experiri iubebat, ſi conſtaret, quis iure fece-
rat, nullum habebat locum[d]. nec illud multum abſimile, eum qui fidei cauſa emphy-
teoticum agrum poſſideat: & tunc demum pro domino arma capere tenetur, cum iu
ſtè contendit, exiſtimaſſe recentiores, ita obligari, ne cum palàm & in confeſſo eſt, do-
minũ iniquè decertare, ferat ei ſuppetias[e]: niſi forte, inquiunt, uelit ſe defendere: nam
quãuis hoc iniuſtè agat, tolerandum eſt. Sed quid ad hæc paulò remotiora digredior?
nónne hoſtes ipſi ab eo dicti ſunt, quòd utraq́ pars æquo iure pugnet? hoſtimentum,
inquit Nonius Marcellus, æquamentũ eſt: unde & hoſtes dicti, qui ex iuſta cauſa pu-
gnam adeunt: hinc & hoſtire dicimus, Plauto in Aſinaria: & hoſtimentũ beneficij pen
ſatio, Feſto autore: quibus concors eſt Lucius Apuleius, nec ignobilis, nec faſtidien- D
dus literator. Cum itaq; ex ipſorum Iuriſperitorum ſententia illud fortiſſimum ſit argu
mentum, quod ex uocabuli etymo deducitur[f]: præſertim quando eius non repugnat
definitio, ueriſimile eſt noſtrum hoc pronunciatum iure defendi. nam qui contraria
tuentur Doctores, cum bella utrinq́ licita eſſe ſimul pugnare exiſtiment, cauſam igno
rant, cur iure Romano ſtatuatur, ut qui capti à ſuis hoſtibus eſſent, ſeruitutis iure attine
rent. Nam cum Romani ſemper iuſta bella moueant, concertatores conſequenter, ut
opinantur, iniuſtè prælia agitant. cur igitur quos capiunt homines, ſeruos ſuos faciũt,
eorumq́ dominiũ nanciſcuntur? nónne ex ſua nequitia lucrũ acquirunt? quod tamen
pluribus ciuilium legum ſanctionibus nõ permitti, plus quàm certum eſt[g]. nónne Ro
mani proprijs ſe telis iugulauerunt? dum hac ſe ex naſſa eximere legum interpretes uo
lunt, uarij uarias aſſignant rationes: quin potius, ut ita dixerim, miſerabiliter ſe torquẽt.
quidam[h] idcirco factum dicunt, ne ſi libertatis iura captiui retinerent, factio quoq́ te-
ſtamenti eis ſalua eſſet: quod ſi datum proponeretur, facile uictoribus fuiſſet, ſe eorum
bonis inſinuare: fatua ratio, quaſi prætoris non extet edictum, quod ui uel metus cau-
ſa factum ſit, id reſcindi debere. at metum apud uictorem ipſo iure præſumi dicendum
eſt: cum & minori plerunq́ cauſa idem lex opinetur: ueluti ſi filia coram patre, etiam
tacente, hæreditati renunciauerit[i], præſumit legiſlator metu factum. alij nouam ſe ad-
ducere rationem dicunt[k], id ſcilicet inſtituiſſe Romanos, ut qui captiui eſſent ſerua-
rentur. nam uictores ſi ob eorum uitam nihil ſe lucrari uidiſſent, facilè in eam adducti
forent immanitatem, ut exiſtimarent trucidandos, utpote ſibi inutilia mancipia. ue-
rùm qui hanc rationem receperit, idem dicat de eo qui à latronibus capitur, neceſſe eſt:
cum non minori ſint in periculo, qui ab huiuſmodi nefarijs uiris capiuntur, quàm hi
quos milites ſua uirtute, & iuſto bello acquirunt. cur ergo negauere iura ciuilia, à latro-
ne captum, ſeruorum iure cenſeri[l]? in hoc igitur eos falſos eſſe non dubitẽ, quòd quæ
ſeruorum etymologia ſit, eandem & rationem eſſe cur ſeruiant, opinati ſunt. Si igitur
contra omnium, quorum ædita ſit ſententia, præter Fulgoſium[m], noſtram hanc pro-
poſitionem ueram duxerimus, cum utrinque bella licita ſint, non eſt nouum, nec abſq́
ratione,

b l. fin. C. de trãſ. l. nec ſi uolens. C. de libe. cau.

c argu. no. per Bar. in auth. offeratur. C. de lit. conteſt.

d Bal. in c. j. de pace temp. in feud.

e Abb. j. c. ſicut ultimo. de iure iuran. Bar. in l. j. ſi cer. pet.

f Bar. in l. ij. §. j. ſi cer. pet.

g l. quod Seruius. quod ui aut clã.

h Io. Fab. par. j. inſt. quib. mod. ius pat. pot.

i l. j. §. quæ onerandæ. ff. quarum rerũ. Pau. de caſt. conſi.

k Iaſ. in. d. l. ex hoc iure. arg. § j. inſti. de iure perſ.

l l. in bello. de capt.

m in d. l. ex hoc iure.

A ratione, si tam Romani, quàm hostes inde lucrentur, & ex alterutra parte capti non iniuria seruiant: nam cum bella sint ex iure gentiũ orta, ęqua lance eo uti Romanos, cum alijs æquum fuit. tametsi enim iure ciuili nobiliores redditi sint Quirites, maioremq́ autoritatem inde comparauerint: quoties tamen de gentium iure agimus, nulla inter eos & alienigenas differentia est: tunc quippe id ius in usu est, quod omnibus commune, nulli proprium existimatur[n]. Libet obiter referre barbari hominis Brenni, qui Senonum regulus fuit, dicterium: is, interrogantibus Romanorum legatis, qua nam ratione Clusium Hetruriæ urbem obsidione premeret: Iure, inquit, naturali hoc facio, quo is, qui minus fortis sit, potentiori cedere iubetur: nam eo etiam pecudes, & bruta animalia uti deprendimus: cum tauros, leones, aquilas, cæteraq́ animantia idcirco dominari uidemus, quoniam alios uiribus præcellant: quod & uos Romani secuti estis, cum Fidenates, Ardeatas, Veios, Volscos non alia subegistis ratione, quàm quòd illis præstantiores uirium uirtute habebamini. quin & Aristides in oratione, quam ad Rhodios misit: Lex, inquit, naturæ est, à potentioribus planè clarior facta, ut maioribus minores pareant: & qui propterea libertatem tolli opinatur, hic à uero longè abest, nec aliud inde sequitur, quàm si homunciones nos, conspiratione facta, dijs Gigantũ more congrederemur, uel æmuli eos nullos esse crederemus. & hæc quidem illi de pristino, uti arbitror, naturali iure dixerunt, quæ tamen legibus nostris consentanea esse, fateri non ausim, cum eo iure, quo nil ulterius quàm mera æquitas spectabatur, illicita fuisse omnia bella, magis uerisimile est, idq́ ex Pauli[o] uerbis, in tractatu de captiuis, probabile admodum uidetur. Sanè hoc caput à me, cum Iustinianus nouus essem, compositum, temporis ordine omnium antiquissimum, hoc loco referendum duxi, earum matronarum imitatione, quę quamuis matresfamiliâs factæ sint, adhuc tamen crepundia sua obseruant, & diligunt, neque sinunt interire.

n §. ius gentium. insti. de iure naturali.

o in. l. postliminium. in princ. in uerb. per iniuriam. de cap.

LIBRI SECVNDI FINIS.

B

ANDREAE ALCIATI PARADOXORVM IVRIS CIVILIS LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.



SVCCEDIT & quædam nostrarum uigiliarum portiuncula, quæ ad aliud digestorum uolumen tota pertinet, & præter quoddam Papiniani responsum, Galli Aquilij celeberrimũ apud omnes consilium interpretatur: cuius uiri nomen uel idcirco celebrandum fuerit, quod is omnium Iurisconsultorum optimus apud ueteres habitus est: quod illius (ut Cicero autor est) prudentiã populus Romanus in cauendo, non in decipiendo perspexit: ut qui iuris ciuilis rationẽ nunquam ab æquitate seiunxerit: quiq́ ita iustus & bonus uir extitisse traditur, ut natura, non disciplina consultus fuisse iudicatus sit. Quæ huic homini tributæ laudes, faciũt ut minima illis accessio sit, quòd Tribunus fuisset plebis: quòd sibi familiarem eum in Topicis idem appellat, & se orante inter iudices sedisse alibi attestatur. Cæterum & eius responsum interpretatus, unà cum affinis materiæ Velleia lege, Seruilius Scæuola est, M. Anton. imperatoris, & philosophi præceptor, & demum à consilio, qui in iure, libros duos & septuaginta multifariæ eruditionis scripsit: quorum racemationibus Iustiniani digesta passim decorãtur: uerum ex eis perquam difficilis existimatus est cõmentariolus, quem ab Gallo Aquilio, uti diximus, auspicatur: quo factum, ut nostræ huius disciplinæ interpretes, Accursius, Bartolus, Alexander, & id genus alij: quamuis multam in eo explicando operam nauauerint, quamplurima tamen perperam eos accepisse demonstraturus sim, si modò præsente animo modestus, facilisq́ lector, qualiacunq́ hæc non aspernabitur.

Papiniani legem, diuortio, solu. ma. falso intellectu ita uulgò accipi, ut iniustissima sit: quamobrem non aliter declarata, quàm uti autorē ipsum intellexisse uerisimile est. Cap. I. C

a l. diuor. solu. m.



Iuortio facto fructus diuidi, Papinianus ait [a], non ex die locationis, sed habita ratione præcedētis temporis. Quare si Calendis Octobris uindemiæ tempore fundus in dotem datus sit, eumq; uir ex Calendis Nouembris primis locauerit, mensis Ianuarij suprema die facto diuortio, sic fieri debere diuisionem, idem autor est: ut cum quatuor mensibus matrimonium stetisse proponatur, uindemiæ fructus, & quarta portio mercedis instantis anni confundi debeant, ut ex ea pecunia tertia portio uiro relinquatur. Quę ex uerbis Iurisconsulti delibata clausula [b], ita ab omnibus quorum uulgata sit sententia, interpretibus percipitur, ut expresso errore lapsum Papinianum fateri necesse sit. Cum enim plus quàm constet, maritum pro rata temporis, quod ante diuortium intercessit, dotalis fundi fructus habere debere, quæsitum fuit, quid iuris esset secundum ea, quæ prædicto casu referuntur: & recentior omnis Iurisperitorum sententia hæc est, ut rem gestam sic euenisse, fingendum sit. Facto Calendis Octobris matrimonio, fructibus plenum fundum in dotem uxor mihi tradidit: quibus collectis, sicq; coacta eo mense uindemia, quæ XII. aureis æstimata est, fundum illum ex Calendis Nouembris, in easdem sequentis anni Calendas locaui, precio aureorum pariter XII. dubitatur misso in fine Ianuarij repudio, quemadmodum fructus quatuor illorum mensium mihi debeantur: & ex recentiorum omnium sententia ita deberi Papinianus respondit, ut quarta pars mercedis, quam pro toto anno conductor debet, mihi adscribatur: quæ trium aureorū nummûm erit, & cum fructibus uindemiæ confundatur, ut simul coacta quindecim sint: ex quibus tertia mihi portio, hoc est quinq;, præstabuntur. Quam computationē iniquam esse Alexander fatetur, & ex ea quædam absurda sequi Iason non negat. Nam cū reditus fundi is sit, ut non nisi duodecim quolibet anno reddat, cur ex quatuor mensibus quinq; marito dantur? an sanus quisquam rationem Doctorum probauerit, qui propter diligentiam, qua in locando usus sit maritus, plus rata consequi eum tradunt? quæ nam obsecro hæc diligentia est? nonne maiorem re ipsa adhibemus, cum nostro studio fundus colitur? siquidem locatio uel tribus uerbis absolui potest: at colendi cura indies maius negociū facessit. Nam & ab æquitate abhorret, ut in manu mariti constitutum sit, uel plus, uel minus de tradito fundo lucrari: præsertim cum non probetur, ciuiles accessiones hoc casu ab naturalibus differre: imò æquali censura tractari, ex regula traditum sit. Sed quid si uindemiæ fructus non XII. sed VI. tantū ualere proponatur, cur ex quatuor mensibus tres solos aureos maritus lucrifacit: cum tamen utroq; casu, si ratam temporis rationem duxerimus, non quinq; aut tres, sed quatuor habere maritus debeat? Atqui si ex horum interpretum sententia Papiniani uerba acceperimus, illud necessariò admittere cogemur: ut si tantidem uindemiæ fructus uenum dari potuisse fingamus, quanti locatus est fundus, semper plus rata portione maritus habeat: si aliquanto minori precio æstimatam uindemiam afferamus, minus rata maritus consequatur. quod nemo certè nō uidet, quàm absurdum sit: & præsertim in Iurisconsulto Papiniano, quem iuris ciuilis apicem, & doctrinæ legalis thesaurum Aelius Lampridius appellat. Quamobrem ut nemini adhuc satis perceptum, præstantissimi autoris responsum explicem, facilè ipse in eam adducor sententiam, ut sensisse Iurisconsultum opiner, non totius uindemiæ fructus cum quarta portione mercedis instantis anni confundendos: sed dandam marito quartam partem eius mercedis, deinde ita fructus ex uindemia cum ea mercede confundendos, ut tertia portio reditus annui [c], id est mercedis instantis anni penes maritum resideat: ueluti si fundus duodenis locatus sit, ternos maritus acquirat, & demum ex uindemiæ fructibus tantum illi suppleatur, quantum satis sit ad tertiam portionem constituendam: quod ex prædicto casu unum erit: & quamuis uindemia uel senis, uel denis, uel quoquo precio æstimata proponatur, ex ea id solum marito relinqui debeat, quod mercedi additum, tertiam reditus partem faciat. nec huic intellectui uerbum, confundi [d], quod generaliter fructus respicit, aduersatur: D

b uersic. itaque.

c id est, ut utraq; portio pariformiter determinetur.

d §. non solum. in uerbo, idem dicemus. ¶. ead. l.

A aduersatur: cum non simpliciter fructus confundi Papinianus scribat, sed ita confundi, ut tertia portio mercedis instantis anni uiro relinquatur, subsistetq; hoc responsum æquissimo iure, ut quoniã tertia anni parte maritus onera matrimonij substinuit, tertiã quoque annui reditus portionem habeat: & cum, si matrimonium integro anno permansisset, expectaturus erat maritus terminum, quo ab conductore precium solui debuerat. Idem quoq; ratione partis anni faciat, quo matrimonium stetit: non autem ex uindemiæ fructibus omne deducat, cum hi solum unius mensis ratione ad eum pertineant[e]: alioqui si usque ad locationis terminum matrimonium durasset, tredecim mensibus, duorum annorum fructus uir lucraretur. quod quamuis absurdum esse Iason agnoscat[f], tamen ex hoc Papiniani falsa interpretatione declarato responso, concedit. Nam etsi collecta uindemia nubat mulier, maritusq; Calendis Martijs fundum locauerit, soluto sequentibus Calendis matrimonio, quinq; mensium fructus omnes non à muliere, sed à conductore repetet[g]: cum collecti ab uxore fructus, non eius temporis quo nupta stetit, menses respiciãt: sed præcedentẽ, quo nubilis erat, annum: quocirca ex eis nihil marito debebit solui. quòd si messes ex conuentione solum ad colonũ spectent, soluto dein ante uindemiam matrimonio, nihil adhuc ab uxore ex præcedentis anni fructibus uir petet[h], sed æstimatione messium facta (si nummis locatio contracta non proponatur) cum spe futuræ uindemiæ computatio fiet. Nam licet matrimonium ante uindemiam solutum sit: cum tamen uindemia, ut diximus, non unum, quo colligitur, mensem respiciat, sed totum annum, ea quoq; pro rata cõputabitur: fructus enim ad superioris temporis computationem pertinent, non ad id quod eis coactis secutum est: quamobrem quos mulier antequã nuberet, percepit, in hanc rationem non uenirent. Et hoc modo exponenda est Papiniani illa lex, quæ tot falsis interpretationibus intricata est, ut longissima glossemata, uariosq; sensus dum Accursius in eam descripsit, non alia de causa id egisse uideri possit, quàm ut multiloquium, tanquam splenium quoddam, suis gerris obijceret.
B

e l. fructus. eod. titulo.
f in pe. col.
g uers. ecõtrario.
h uersi. item si messes.

Posthumus suus ab alieno quemadmodum discernatur: & Gallum posthumo suo consuluisse, non, quæ omnium sententia est, alieno. Cap. II.

Posthumum, qui tempore testamenti simul & mortis defuncti in potestate ita esse potuit, ut nemo eum præcederet, posthumum suum dici, qui uero, si natus esset solum mortis tempore suus fuisset, alienum auo esse, nemo non affirmat. quapropter omnium penè dixerim scriptis proditum est, & ex Galli sententia introductum, ut is alienus posthumus institui posset: huiusq; differentiæ ratio illa traditur, quòd hic nepos cum tempore testamenti à patre præcedatur, auo suus hæres esse tunc non potest: quamobrem nil mirum, si alienus dicitur. Verumenimuero licet omnibus, quos legere mihi contigerit, probetur hæc opinio, non tamen uera ratione inniti crediderim. Cum enim si tempus, quo auus moritur, spectemus, nepos in utero adhuc existens, si nasceretur in potestatem aui futurus, neminemq; præ se habiturus sit: cur eum posthumũ suum non appellemus? nam quid necesse est testamenti facti tempus respici, cum ex Velleia lege doceamur, satis esse id tempus obseruari, quo nepos nascitur[a]? Nam & Aquilium Gallum de posthumo suo locutum fuisse, Iustiniani quoq; lex declarat: dum alienum posthumum hæredem institutum, iure ciuili ab hæreditate repelli ostendit[b]: cum tamen in nepote, quem institui posse Gallus induxit, id non procedere, nemo ambigat. siquidem ciuilis iuris autor ipse est Gallus, & qui eo autore institui poterat, beneficio legis nouæ non potuit indiguisse: quam tamen alienis posthumis necessariam fuisse, Cæsar ipse testatus est. quin & in institutionibus, titulo de legatis[c], posthumus alienus is definitur, qui natus, hæres testatoris inter suos futurus non est: quales ex emancipato filio conceptus nepos. quæ uerba quid aliud significant, quàm qui inter suos natus hæres testatoris futurus sit, suum posthumum appellari? Neq; uero hîc ego Socini responsionem admiserim, qui facto tastamento, ut posthumus sit suus, illud requiri tradit: ut cum auus testatur, primum ipse locum in potestate teneat, in successione autẽ intestati, solius mortis

a §. nunc de lege. infrà eo.
b insti. de bono. possess. in prin.
c insti. de leg. §. posthumo quoque.

tempus obſeruari: quæ diſtinctio ex prædictis conuincitur, cum in legatis poſthumus ex emancipato filio ſolum alienus dicatur [d]: & tamen legata regulariter ad teſtati cauſam pertinent. nam & licet condito teſtamentō tria tempora ſpectari proditũ ſit, in ſuorũ tamen hæredum ſucceſſione, qui eſt noſter caſus, tempus mortis tantũ conſiderari, & ex legibus teſtatũ eſt, & Accurſius cæteriq; cenſuerũt [e]. Et dubio procul noſtra hæc opinio omnibus applauderet, niſi Iuriſconſulti Pauli reſponſo arceremur [f]: Is, hæredi, inquit, poſthumo fideicõmiſſum dari poteſt: & obtinuit ſententia Galli, alienos quoque poſthumos, legitimos nobis hæredes fieri: quæ tamen uerba ita declarari poſſunt, ut id non ex Galli oratione inductum ſit, quæ in poſthumo ſuo loquitur: ſed à Iureconſulto Paulo ex Galli ſententia per interpretationem: quoniam par ratio utroque in caſu penè eſſet. Illud enim quod ex rationis ſimilitudine deducitur, ex ſententia, non ex uerbis [g] deduci, palàm eſt: quod & uocula quoque demonſtrat, quæ utplurimum ad productiones, extenſiones ue pertinet. C

d §. poſthumo. l. eam. C. de fidei.
e gl. in §. in hæredib. inſti. de hære. qual.
f l. pe. de le. 3.
g §. & quid ſi tantum. gl. Bar in l. iij. de pac.

Cur ex lege XII. tabularum poſthumus alienus inſtitui non poterat, cum ſuus poſſet: & uariæ rationes confutatæ. Cap. III.



TRactatum quoq; à Doctoribus eſt, quanam ratione poſthumus, quẽ alienum uocari uulgò diximus, ante Gallum iure antiquo inſtitui nõ poſſet: & Bartolus, cuius dicta alij non annotauerunt, idcirco uetitũ tradit: quoniam XII. tabularum lege, ad ſucceſſionem præter ſuos nemo admittebatur: is autem poſthumus animaduerſo teſtamenti tempore, ſuus non erat, imò alienus. Sed næ non uidit Bartolus, tametſi ea XII. tabularum lege ab inteſtato ſui hæredes uocarentur: ſi tamen conditum eſſet teſtamentũ, ſupremam defuncti uoluntatem, eo quoq; iure obſeruari debuiſſe. Si enim extraneos, quos libuiſſet, inſtituendi facultas teſtatori præſtita fuit, cur non id multò magis in nepote conceſſum eſt? Quamobrem Ioannes ab Imola in cauſa id eſſe aſſerit, quoniam cum in nepotẽ nondum natũ affectionis amor nullus præſumatur, facilè exiſtimatũ foret, cũ matre poſthumi teſtatorem concubuiſſe: quare ne mala hæc de aliena uxore ſuſpicio conciperetur, uetitam poſthumi inſtitutionẽ. Quę ratio tam mihi abſurda ſemper uiſa eſt, ut penè indignam duxerim quam referrem. quis enim inceſtos hoſce partus præſumat? quis nepotes etiam, ſi nondum natos, auis gratiſſimos ſpe propagandi generis potius non exiſtimet [a], quàm fœdiſſimi facinoris argumento? atqui & hac ratione extraneus & ignotus inſtitui prohiberetur, quaſi materno ſtupro procurata inſtitutio ea foret: quid item, ſi uiuente auo natus infans eſſet [b]? nõnne inſtitui poterit, cum tamen minimũ gratiæ primis uagitibus indipiſci queat? Sunt & qui eũ, qui adhuc in rerum natura non eſſet, inſtitui nequiuiſſe opinentur [c]: hacq; potiſſimum cauſa iure ueteri alienum poſthumum repelli [d]. ſed & hoc perquam dubium eſt, cum nõ magis in rerũ natura ſit poſthumus ſuus, quem potuiſſe ex XII. tabulis inſtitui, uulgò ſcitur [e]: tametſi non ſat firmis argumentis probari ualeat. quoniam qui de ſuorum inſtitutione locutus eſt Vlpianus, Aquilio Gallo poſterior fuit, ut fortaſſe nõ falſò interpretatũ Catonem Saccum opinari aliquis poſſit, qui & hoc Galli inuento adſcribit. Sed uerior omnino eſt Raphaëlis Comenſis ſententia, qua id minimè ex XII. permiſſum traditur: quoniã incertis perſonis olim neq; legari, neq; relinqui quicq; poterat [f]: quamobrẽ poſthumo quoq; alieno (ut Triboniani uerba referam) inutiliter antea legabatur. nam & coniunctiua particula quoq; ex ſupraſcripta regula eum caſum deducere uidetur: nec his ſanè Pauli Caſtrenſis aduerſatur argumentatio, dum incertam perſonã eſſe eam negat, quæ ſequenti tempore demonſtrari poſſit: quoniam ex beneuolentia humanitateq; id receptum à Modeſtino [g] deinde eſt, qui Seueri Alexandri imperatoris in conſilio, longè poſt Gallum floruit. Fortius itaq; illud obeſt, quòd & poſthumus ſuus incerta perſona eſt, nec magis illi delata hæreditas (quod Socinus credidit) dici poteſt, quàm nepoti, ſi filium mortem obijſſe proponatur [h]. quapropter huiuſmodi nepotem inſtituere, uel exhæredem facere, ſicut filios, auus debet. Sed utique ut Socino hæream, adducor, quòd nepotes in filiorum locum ſuos hæredes auis fieri, ex lege XII. tabularum non arbitror, D

a in §. ille caſus.
b §. emancipati. inſtit. de hæred. quæ ab inteſta.
c l. ſi infans. C. de iur. de libe.
d Areti. hic.
e l. placet. de libe. & poſthu.
f §. incertis. & §. poſth. inſtit. de lega.
g l. in tempus. de hære. inſti.
h §. ſui. inſt. de hære. qual.

A tror, sed id potius ex lege Velleia inductum [i]: quod in eius tractatu explicaturus sum.

i l. si quis filium. C. de inoffic. test.

Negatiuam uerbo, posse, antepositam non excludere omnem potentiã, quod in nostra hæc tempora opinati sunt Iurisperiti. Cap. IIII.



Reberrima recentiorum sententia est in lege, quæ aliquid fieri non posse dicat, quamcunque potentiam abnegari: quoniam ea sit negatiuæ particulæ, si huiusmodi uerbo adiungatur, natura, ut præcisam necessitatẽ inducat. Primusque id inter canonicas Pont. sanctiones Ioannes Andreæ prodidit [a], quem dein Bartolus, & post alios alij sequuti sunt. Quapropter si principes absque citatione aliquem condemnauerint, eorum sententiam etiam supremæ potestatis robore latam, nullo iure ualidam esse Nicolaus Tudiscus [b] existimauit: quoniam se Pontifex aduersus inauditam partẽ, causas definiri non posse testatus est: quæ uerba nõ ordinariam tantum potestatẽ, sed & plenissimã præter ius facultatem adimere uidenť. Verùm uideamus id ne iuris autoritate reprobabile sit: & quandoque animaduerti ex quibusdam argumentis facilè conuinci posse. siquidem Hieronymus ad Eustochium [c]: Audacter, inquit, dicam, cum omnia possit deus, suscitare uirginem non potest post ruinam. ualet quidem liberare de pœna, sed non potest coronare corruptã. quis enim ex his uerbis non posse deum arbitrabitur, laureola uitiatam uirginẽ donare, cum & longè maiora possit? Sed & Innocentius Pont. Max. nuptias, quæ ab quarto consanguinitatis gradu coniunctis celebrantur, ut ualeant, se dispensare non posse tradidit [d]: cum tamen etiam ordinaria potestate facultas ea sibi concessa sit. nam & Gordianus imperator absenti reip. causa, non posse obesse tempora, quæ in actione de dolo computantur, rescripsit [e], cum nihilominus mero iure absens excludatur, sitque illi necessaria restitutio. Ex Toletano quoque Concilio: non potest, inquit Gratianus, erga homines esse fidelis, qui deo non seruauit fidem [f]: cum tamen Turcas, Saracenos, & Scy-

B thas suis fidos esse, erga deum infidos, possibile sit. Succurrunt ex iure ciuili quæ adduci possent, alia argumenta: sed communem opinionem satis & super, ea quæ diximus, confutare mihi uisa sunt. alioqui si à ueteribus nõ recedamus, consequens erit, ut cum simpliciter proponatur, aliquem à principe ex rescripto absentem arrogatũ fuisse, præsumatur potius rescriptũ nullum, quàm arrogationẽ ualere. quoniã cum soli principi ius arrogandi reseruatũ sit, & Vlpianus tradat, absentem arrogari non posse [g], sequitur ut de ordinaria saltem potestate non possit: rescriptum autem potius nullum interpretandum est, quàm inducenda sit huiusmodi præsumptio, ut credamus ab legitima potestate principem recessisse [h]: quod certè perquam dubium apud me est, cum & hac ratione idem in adoptato dicendum foret, quod omnibus suffragijs reprobatur.

a glo. in c. j. de regu. iur. lib. vj. Bar. & Ias. in l. Gallus. in prin.
b in c. j. de causa pos.
c xxxij. qu. v. si Paulus. gl. ibi.
d capi. literas. de restit. spoli. & ibi glo.
e in l. iij. C. de dolo.
f ij. q. vij. c. non potest.
g l. neque absens. l. seq. §. fin. de adopt.
h c. si motu iusto. c. non potest. cũ ibi not. de præben. li. vj. Alex. in l. quanquam. de testamen. §. forsitan. j. ea. l.

Testamenta ex priuato fauore filij, ob præteritionẽ, num inualida fiant. Cap. V.



Væsitum est, qua ratione inductum fuit, ut testamentum, quo filius præteriretur, nullum ipso iure esset: & triplici ex causa id esse Ludouicus Pontanus existimauit [a], fauore filij, odio paternæ imprudentiæ: tum ex solennitatis defectu: alij ex eo tantum non ualere opinati sunt, quoniam solennis ea uerborũ, quibus filius instituatur, forma desit. Sed & hoc animaduersione indiget, num ea forma propter publicã utilitatem, an ex priuato fauore requiratur: & solum filij præteriti utilitatem considerari, & idcirco posse eum suo huiusmodi fauori renunciare, Bartolus frequenter arbitratus est [b]: at Iason contrariam ubique sententiam tuetur [c]. quoniam ubicunque aliquid ex solennitate necessarium est, in eo uoluntas priuatorum nihil operatur, cum forma, ut dici solet, remitti nequeat. Sed & hoc facilè explodi potest, cum, quamuis ex publico usu introducta, solennitas non possit omitti: si tamen priuatorum gratia inducta proponatur, possit [d]: tradiditque hoc Bartolus, Alexander, cæteri, ita ut communi omnium opinione firma hæc conclusio sit. nam & iuramentum in testibus, si litigantes uelint, remittitur: non alia ratione, quàm quòd priuato fauore requiri existimatum est [e]. Quæstionis igitur huius cardo in hoc tantum uertitur, an solius filij causa testamentum præteritio uitiet: & animaduertisse me

a in l. fi. C. de contra tab. bon. p.
b in l. non dubiũ. C. de tes. in l. j. de le. iij.
c Ias. in l. inter. de lib. & post.
d in d. l. non dubiũ. Alex. in cõsil. xcvj. in iiij. uolu. uisis.
e c. tuis. de test.

id aliquando memini in eo Iustiniani authentico, cui titulus est, ut cum de appellatione cognoscitur [f]. cum enim testamentum paternum ex filij præteritione corrumpi docuisset, cum & exhæredationẽ non nisi quatuordecim causis confirmari statuisset, subiunguntur hæc in cõstitutione uerba. Sola enim nostræ serenitatis intentio est, à parentibus & liberis iniuriam præteritionis, & exhæredationis auferre: cum & paulò superius imperator dixisset, ea se statuisse, ut parentes & liberos à testatorum iniuria liberaret. quæ uerborum formula id mihi expressim ostendere uidetur, ut solus liberorum fauor in causa sit, quominus eis præteritis uel exhæredatis testamentum ualeat. quoniã id maximè procuratũ est, ut iniuria ab eis arceatur. si igitur casum aliquem fingamus, in quo cesset iniuria, ualere testamentũ huiusmodi dicendum est. quamobrem si proponatur, filium proprio consensu à patre præteritum, uel quamuis initio reluctantem, condito tamen testamento assensisse, iuris firmitate talem uoluntatem niti, respondendum fuerit [g]: tametsi Iurisconsultorum interpretes nostri, hac in re uarij uaria opinati sint: quòd uidelicet extrinsecus quãplurima adducentes, quęstionis ipsius fundamentum non considerauerint: neque hæc tantũ ex his definiri dubitatio potest, sed & quã sequenti Capite relaturus sum. C

f §. hæc autem disposuimus.
g Iason in d. l. inter cætera. & in d. l. fi.

In Galli consilio non requiri ullam filij institutionem, neq; necessariò accipiendum, cohæredem filio datum esse. Cap. VI.



Iuersis opinionibus inter iuniores interpretes certatũ est, num si ex Galli Aquilij consilio nepos hoc modo institutus sit, si filius meus me uiuo morietur, tunc qui ex eo natus erit, hæres esto, censeatur filius ipse hęres institutus: & crebriori sententia testatum est, filium præteritũ censeri, quamobrem testamentũ illud inualidum esse: cum enim filius sub conditione referatur, quis eum institutũ credat [a]? Cæterũ Bartolus saltem ab intestato ex illis uerbis tacitè uocari existimauit: cuius sententiã, parum abest, quin in uniuersum ipse probem. D quamuis enim in testamento filij institutio necessaria sit, ut si etiam uiuo patre moriaẽ, semel inualida dispositio amplius non conualescat [b]: id tamen solummodo admittendum putauerim, cũ alioquin iniuria filio fieret: quod suprà à nobis disputatũ est. quocirca cum filium eo casu præteritum uideamus, quo uiuente testatore moriatur, nõ potest iure dici factam illi iniuriã. Si igitur fingamus euenisse conditionẽ, nepos protinus succedet, tanq; sub paternę mortis conditione institutus. etenim neminẽ, uti abitror, latet, nepotem sub conditione institui plerunq; [c] posse. si uerò, in humanis filium agere, & patri superstitẽ esse, proponamus, tunc huiusmodi conditionalis institutio nulla erit: quoniã in testamento adscripta conditio non euenit, sed filius ex tacita uoluntate intestato succedet, & filio nepos, eruntq; hoc casu tanquam si duo hæredum gradus facti essent [d], quod Vlpiano uidetur, censebiturq; filius si patri superuiuat tacitè institutus, quod Scęuola [e] requirit, & hac interpretatione, quòd in consilio Galli dicitur nepotem institutum, rectius & significantius accipietur, quàm si ex communi sententia substitutum exponamus: nec institutio filij aliqua subaudiri debebit, quod cæteri admiserunt, etiam quod minimè uero simile esset, ut uerba Galli, quæ, uti Bartolus existimauit [f], formam respiciunt, eius clausulæ additamento suppleantur, cum dici soleat: formæ nihil addi, uel diminui posse, cum etiam, si quicquam huic sententię aduersetur, & Alexandri, & Iasonis commentarijs, facilè refelli possit. quin & si nostram hanc opinionem approbaueris, aliud quod contra omnem Galli legem argumentum adducebatur, nihil oberit. siquidem Baldus [g] & Angelus, si filius institutus dicatur, testamentum non ualere hoc casu, tanquam in causam caduci incideret existimarunt: cum ex lege Papia, si primo gradu hæres institutus uiuente testatore obierit, hæreditas non ad substitutum, sed fisco [h] deferebatur. Quamobrem ubique intelligendum crediderunt, datum fuisse filio cohæredem: quod non ex uerbis legis solum confutatur, sed & ex eo, quod fortasse falsum est, in pręmortui filij locũ, iure accrescendi extraneũ cohęredem fisco præferri. qua de causa aliter Iasoni uisum est [i]: is tradit etiã ueteri iure, si uniuersalis hæres uiuo testatore decessisset, testamentũ ex secundo gradu subsistere potuisse, fiscumq;

a l. ex facto. de hæred. insti.
b insti. de exhib. libe. §. 1.
c l. sed & si. & d. §. 1. de hære. insti.
d l. cũ in testam. de hære. insti.
e §. in omnibus.
f in l. & uno. de acceptilat.
g in d. l. Gallus. in prin.
h l. 1. §. pro secundo. C. de cadu. tol.
i §. in omnibus. & Iason in §. nunc de lege.

A fiscumq; nihil hoc casu lucrificare. quę sententia & Iustiniani uerbis [k] & Accursij probatissimę interpretationi repugnat, solumq; tunc locum habet, cum is substitutus proponitur, qui etiam intestato successurus fuerat. lex enim Papia nihil sibi uendicat, cum filius, aut ex recta linea descendentes instituti sunt [l]. quamuis itaq; præsenti casu Iasonis responsio defendi possit, longè tamen clarius argumentum remouebitur, si filiũ hæredem scriptum non esse affirmauerimus, sed solum in conditione positum. quare nihil est quod dici possit, Papiam legem hoc casu quicquam sibi iuris uendicare, ut Baldus credidit.

k d. §. pro secundo. l si pater filium. de uulga. tex. et glo. in d. §. pro secundo.

l d. l. unica. in §. 7. & gl. in uer. erubuit.

Quot mensibus mulier uterum gerat, disputatumq; aduersus Iustiniani constitutionem, & Andreæ Siculi noua quædam opinio confutata. Cap. VII.



Vm mulier quædam post uiri mortẽ undecimo mense peperisset, & defuncti uiri hæreditatem filio, tanquã legitimo dari peteret, ad principis Iustiniani auditorium res omnis delata est: qui aduersus partum pronunciauit: quoniam indubitatum existimaret, & impossibile, XI. menses uterum mulierem gerere: quamobrem lata lege sanxit, ut quæ hoc tempore pareret, eas subiret pœnas, quibus iure ueteri afficiebatur, si qua intra annum luctus nupsisset. quod profectò iniustè nõ dicam, sed summo rigore statutũ existimauerim [a], cum tam grauissimus ex Græcis autor Aristoteles, & Diocles Charistus philosophus, quàm apud nos M. Varro, hoc temporis gestari filios posse prodiderint. quin & A. Gellius libro tertio refert, fœminam honestis moribus, & non ambigua pudicitia, cum undecimo mense post mariti mortem peperisset, diu cum scriptis hæredibus litigasse: diuũq; Hadrianum causa cognita decreuisse, undecimo quoq; mense iustum partum ædi posse, quod se statuere Hadrianus, requisitis ueterum philosophorum & medicorum sententijs, testatus est, ut quàm rectè Iustinianus aduersus Aristotelis, atq; aliorum
B opinionem, & contrà quàm Hadrianus Cæsar decreuerat, ipse pronunciauerit, uix intueri possis. quod cum factum sit, nonne Andreæ Siculi ex his enunciatũ quoddam [b] confutatur? is in consilio sexto tradidit: si plures proponantur Doctorum opiniones, quæ testamentum inualidum reddant, & unius tantũ sententia pro testamento sit, eam cæteris præualidam obseruari debere, propter fauorẽ qui in ultimis uoluntatibus uersetur. Nam si trium philosophorum in sua quoque arte autoritas [c], uniusq; Imperatoris constitutio præiudicium nullum fecit, quominus mulier ea cõdemnaretur, cur non idem esse prædicto casu afferendum est? nam & hic legitimæ prolis fauor, & probitatis præsumptio non minus iudicem mouere potuit, quàm substinendi testamenti utilitas moueat. sed & me non latet, ex recentioribus quosdam [d] alia ratione Siculi sententiam reprobasse.

a in aut. de resti. & ea quæ parit. §. fi.

b Incip. scriptum est.

c arg. no. in l. j. si cer. pe.

d Decius in c. j. in xv. col. extra de iudicijs.

Testamentũ in quo filius præteritus, uiuo testatore mortuus sit, tametsi nepos uel pronepos instituti proponantur, nullo iure conualescere, & expugnatus fortissimus obex, qui Gallo ubiq; aduersabatur. Cap. VIII.



Vm testator ita scripserit, si filius & nepos me uiuo morietur, tunc qui post mortem nepotis intra X. menses pronepos nascetur, hæres esto, ualere institutionem Scæuola autor est: ita tamen, si prius nepos, deinde filius decedat, ne successione testamentum rumpatur. Verum cum alibi ex Vlpiano tradatur, posthumo præterito, qui uiuente testatore natus, diẽ statim obierit, testamentum conualescere [a], idemq; circa iniustum irritumq; testamentum esse, si is institutus sit, qui rem ab intestato auferre possit, dubitauere interpretes, cur in Scæuolæ casu, etiamsi nepos post filium moriatur, testamentum ualidum nõ sit? & perquam plures sententiæ exortæ sunt, quibus aduersantia hæc simul responsa conciliarentur. Ioannes ab Imola, & quidam alij [b], Scæuolam de ciuili iure loqui, de prætorio Vlpianum crediderunt, quo iure totam Galli legem non procedere testantur. quod certè uerisimile non est, cum ius honorarium à Scæuola considerari in fine legis, constet. nec illud probauero, quod ex eis proditũ est, quæ ab Vlpiano traduntur post Scæuolã introducta fuisse: quoniã quæ is prodidit, diui Hadriani autoritate cõfirmantur, quẽ ante

a l. posthumus. ff. de iniust. rup.

b in §. in omnibus.

Scæuolam imperasse, ex chronicis manifestum est. quamobrem Aretinus [c] Scæuolæ responsum tunc demum uerum esse existimat, cum speciali iure testamentum nititur. nam ultimas uoluntates, quæ iure cōmuni adiuuantur, facilius substineri, nemo non dixerit, quàm quæ specialiter permittebātur, sicuti institutio nepotis, quæ per Gallum speciali iure introducta est. sed cum ex lege Iustiniani generaliter huiusmodi institutio nunc admittatur, consequens esset, ut correctam Scæuolæ sententiā diceremus, quod certè uitandum est. Igitur idem Aretinus, sibijpsi parū constans, alibi [d] distinguendum putat, ut cum institutio sub eadem qualitate saluari potest, sub qua concepta est, conualescat testamentum: si non potest, non conualescat. siquidem in exemplo Scæuolæ, pronepos eo tempore instituitur, quo suus hæres non est: quòd si testamentum confirmari dixerimus, succedit ut suus, & idcirco diuersa qualitate. Verùm dubio procul distinctio hæc quammaximè inepta est, cum potius uti suus hęres pronepos hic, de quo diximus, semper instituatur. Nam etsi filij & nepotis mentio facta non sit, uti suum hæredem institutum fuisse: fatendum tamen esset, ne elegisse uiam testator uideretur, qua iudicium suum impugnet. Quapropter tertiò idem Aretinus aliter dissoluit, ut in casu Scæuolæ, testamentum minimè substineatur: quoniam etiam post nepotis, qui filio superstes fuit, mortem, adhuc tamen dubium erat de testamenti firmitate, cum accidere potuisset, posthumum pronepotem non nasci. confirmantur itaq; testatorum uoluntates, cum eam confirmationem amplius rumpi non posse creditur, quod in proposito casu non est. & hanc sententiam Iason quoq;, tacito eius autore, probat [e]: Socinus reprobat [f], cum dubitatio de natiuitate posthumi in corruptelam testamentorum nihil operari soleat. nam & ex huiusmodi incertitudine remedia prætorum interim non auferri, exploratissimū est: alioqui nec possessio uentris nomine matri decerneretur. Angelus & ipse magni nominis interpres [g], primum gradum confirmari solum putauit, atque ita Vlpiani uerba accipi debere: secundum uerò, qui Scæuolæ est casus, nō confirmari. Sed tamen etiam, secundum substineri, ex Vlpiani lege, Accursius, Alexander, Aretinus, Iason tradiderunt [h], utique cum nulla ratio diuersitatis idonea afferatur. nam etsi ex Velleia lege primo gradu pronepos instituatur, hoc modo: filio & nepote mortuis, pronepos hæres esto: non reualescere institutionem, ex cōtextu Scæuolæ traditur, si eam interpretationem sequamur, quam Raphaël Comensis, Paulus à Castro, Petrus Besutius, Aretinus, Socinus, Iason approbauerunt [i]. At Socinus noua ratione hîc se explicat [k]: nam si in hæreditate quisquam institutus sit, uiuo testatore, eo qui præteritus sit mortuo, substineri testamentum iure prætorio existimat: in Scæuolæ autem responso, nepotem in suitate (sic enim ille loquitur) nō in hæreditate institutum, in suo autem hærede nullum ius prætor habet. Verùm ab Socino doceri uelim, quemadmodum ut suus hæres quisquam instituatur, qui in hæreditate institutus non sit: nam & comentitium hoc esse, sequenti capite explicaturus sum: quo nam igitur pacto intricatissimum hunc nodum resoluemus? & ut sententiam ipse meam recitem, aliter accipienda Vlpiani [l] uerba arbitror, quàm hactenus uulgò interpretata sunt. censeo igitur testamentum, quo suus hæres præteritus sit, tametsi instituti sint, qui etiam ab intestato successuri fuerant, non conualescere, idq; ex Scæuolæ, quæ suprà retulimus uerbis, satis perspicuè constat. Nam & nullius momenti tale testamentum esse, iuribus testatum est [m]: quæ uerba quamcunq; firmitatem etiam, quæ ex iuris prætorij æquitate proueniat, excludunt, ut Paulus Castrensis & Iason, & alij autumant [n]. Nec quicquam obstant Vlpiani uerba: dum iniustum & irritum testamentum confirmari, autor est. nam huiusmodi uoces propriè accipiendas crediderim, ut irritum sit quod aditione hæredis non defenditur, iniustum in quo solennia testamentorum iure ciuili requisita desiderantur. Id enim est, quod alibi, non iure factum testamentum, Iurisconsultus appellat [o]. cum enim is inter testamentum quod irritum, quod non iure factum, quod nullius momenti sit, differentiam expressim constituat, cur id interpretamur iniustum, irritum ue, quod nullius momenti est?

Falsò dici

c in d. §. omnibus. in ul. not.
d in d. §. etiam.
e in princi. l. in pe. col.
f §. idem cred.
g in §. etiam.
h in l. si à primo. supra eo.
i §. etiam.
k in §. idem creden.
l in d. l. posthumus.
m l. j. de iniust. rup.
n in l. si ita scriptum. §. fi. per illum tex. supra eo.
o ut in l. j. de iniust. rup.

Falsò dici nepotem in suitate institutum, & idcirco per emancipationem ab hæreditate excludi, & nouo sensu perceptus §. & quid si tantum. Cap. IX.



Vrisconsulti Scæuolæ uerba hæc sunt: Et quid si tantum in mortis filij casum conciperet? quid enim si aquæ, & ignis interdictionẽ pateretur? quid erit si nepos, ex quo pronepos institueretur, ut ostendimus, emancipatus esset? Quam uerborum formulam ita interpretes exponũt, ut id Scæuola, quod Gallus de morte filij, & nepotis senserat, non solum procedere testetur, cum uerè filius moritur, sed etiã si ciuili iure pro mortuo habeatur: ueluti si aqua & igne interdictũ illi fuerit, uel emancipatus sit, quamobrem si filius uel nepos instituti sint, & sub conditione, si uiuo patre moriantur, institutus sit pronepos: euenisse conditionem aiunt, si de patria potestate per emancipationem liberentur. et quoniã in iure nusquam legitur, & absurdum est, emancipationem substituto locum facere, Bartolus & cæteri omnes responderunt, id tunc uerũ, cum in hæreditate quisquã institutus proponitur: sed in Scæuolæ casu huiusmodi filium & nepotem, non in hæreditate, sed in suitate (ut aiunt) institutos. Videamus quantum id falsum sit, & in primis ex ultimo legis huius responso[a] interpretatio hæc conuincitur, ubi, an si nascatur (inquit Scæuola) nepos uiuo patre dein emancipetur, sponte adire hæreditatẽ poterit? quod magis probandum est: nam si sententiam hanc admiserimus, nepos hic, utpote hoc casu non institutus, explodi deberet, quod Iurisconsultus negat. neq; quicquã me mouerint tres Alexandri resolutiones: quoniam hæ satis doctè ab Iasone confutantur, sicut alia quæ Socini est ab Ruino[b], ut indubitatum apud me sit, fortissimum hoc argumentum esse. Nam & si nepoti ex Galli forma uulgariter substituatur, nepos ad hæreditatem admittitur, qui, si cæteros Doctores sequeremur, admittendus non esset, cum uulgaris substitutio necessitatem tollat: ille autem uti suus & necessarius institutus fuit[c]. Cui argumentò & illud accedit, quòd datione cohæredis eadem suorum hæredum iura auferuntur: & tamen nepos hic etiamsi cohæredem habeat, nihilominus succedit. & licet non admodum efficaciter ex hoc communem sententiam refelli dixeris: illud tamen fortius urgere fatendum fuerit, quòd in suitate quenquam institui possibile non est, quin & in hæreditate idem institutus nõ sit. Cũ enim institutionis hæc uerba, si secundum Galli formulam proferantur, solam in hæreditate successionem respiciant, cur sui hæredis qualitatẽ hic intelligemus, ex qua testamentũ præteritione rumpitur? nonne hic elegisse eam uiam testator diceretur, qua proprium iudiciũ subrueret[d]? quinetiam ex hac Doctorũ interpretatione, alia quoq; absurda consequuntur, cum, tametsi nepos hic propter emancipationẽ ciuili iure ab hæreditate excludatur, contra tabulas tamen bonorum possessionẽ accipere possit: quo casu omni modo pronepos excluditur. friuolum igitur Scæuolæ consilium erit. & quamuis huic argumento Raphaël Comensis, Paulus à Castro, Socinus filius[e], uarijs modis respondere conentur: à ueritate tamẽ eorum dicta abesse Ruinus ostendit: quare ipse aliter nodum sic extricandum putat, ut cum filius & nepos hoc casu instituti sint sub conditione, si sui permanserint, & cum cogi non possent, emancipari se permittant, idcirco etiam prætorio iure excludantur[f]: sibijpsis enim imputanda est noxia, qui emancipationi assentire uoluerunt. sed & his argumentum non tolli crediderim, cum sub huiusmodi conditione, utpote difficili, filium institui non posse, existimẽ. quid enim si filij interesset emancipari, cum & emancipatio honor sit[g]? nam & hoc pacto inuitus patria potestate exigi posset, quod iure Romano uetitum est[h]. Item cum ex uerbis expressè non constet, filium in suitate institutũ, cur per subauditos hosce intellectus patris testamento censetur præteritus? quinimo etiamsi hæc patris intentio fuisse asseratur, huiusmodi conditionem remisisse credere humanius fuit, tum cum eum manumisit[i], cum ita testatorum uoluntates interpretandæ sint, ne filij excludantur. nam etsi filius eo tempore quo emancipatus est, hæreditati renunciasset, nõ tamen ideo rejceretur. quoniam qui adire non potest, nec renunciare potest[k], cur ego quod expressè fieri non potuit, ex emancipatione inductum tacitè credamus? Igitur à ueterum commentis ipse diffidens, ita Iureconsulti uer-

a §. fin.
b d. §. fin. §. & quid si tantum.
c ut no. in l. si filius qui patri. de uulga.
d l. iij. de testa. mil.
e d. §. & quid si tantum.
f l. si mulier. ad Trebel.
g §. hoc quoque. instit. per quas pers.
h l. iubemus. C. de emanci.
i l. j. §. largius. de succ. edi. l. filio, quẽ infra e.
k l. si potest. de acqui. hæredi.

ba accipienda opinor, ut hoc potissimum sensu præcedentibus adiungantur. Nam C cum sub superioris §. finẽ dixisset Scæuola: si filius institutus sit, & nepos præteritus, & substitutus filio pronepos, ita demum ualere testamentum, si nepos filio præmoriatur: alioqui si superstes illi sit, testamentum successione rumpi, cum in eo præteritus sit, qui suus hæres esset, si tunc decederet testator. subsequitur interrogãdo: Quid si nepos non solum non institutus, sed nec in conditione positus sit? Quid si filius prædicto casu non naturaliter, sed ciuiliter moriatur? Quid item, si nepos, de quo dictum est, emancipatus esset? nam tunc cum in suitate nõ succedat, quamuis filio superstes sit, testamentum non rumpitur, & hos casus expressim Iurisconsultus nõ explicat: quoniam quod ius in eis obseruandum sit, ex prædicto §. satis declaratur, & inferius ostendit, dum omnes casus ad similitudinem mortis admittendos putat. sicuti enim ne successione testamentum rumperetur, necesse erat nepotem ante filiũ mori, ita satis est, si ante filium emancipetur. et hunc sensum si uti uerum retineamus, minimum oberit, quod ex aliorum sententia suprà diximus, pronepotem in effectu excludi, cum nepoti bonorũ possessio contra tabulas decernatur. nam Scæuola eo casu loquitur, quo prius filius, deinde nepos emancipatus ante patrem moriatur: nam tunc testamentum successione nequaquam rumpi potest, & pronepos insolidum admittetur, cum bonorum possessio contra tabulas defuncto nepoti decerni nequeat.

Inter suos & emancipatos hodieq; eandem differentiam esse, quæ olim erat, & quæstio quædam Bartoli, aduersus omnium sententiam finita. Cap. X.



Ractatum frequẽtissimè apud legum interpretes reperitur, quibus in casibus eodem iure, cum suis ad successionẽ parentũ emancipati, uocentur. Et Accursius, recentis huius doctrinę columen, Bartolusq;[a], & demũ alij omnes, in successione ab intestato nullam differentiã inter suos & emancipatos esse, sed æqualiter iure ciuili omnes admitti existimarunt: condito D autem testamento tunc iure prætorio emancipatos, ciuili suos hæredes succedere: quo fit ut omnes bonorum possessiones, quæ in successione intestatorum emancipatis dantur, sublatæ sint. quapropter prætor titulum, qui sit, unde liberi, si præsentẽ usum respiciamus, frustra introduxit: multæq; præterea aliæ constitutiones, quæ diuersum ius in emancipatis statuebant, corrigũtur. Idq; prodiderũt interpretes ex Iustiniani principis authenticorum constitutione[b]. ubi nulla, inquit, est introducenda differentia siue masculi, siue fœminæ sint, & seu ex masculorum prole seu fœminarum descendentes, siue suæ potestatis, siue sub potestate sint constituti. Cæterum nunquã nobis sententia hæc probabilis uisa est, cum haud uerisimile sit, tot leges, tot iuris prudentum responsa breuibus hisce uerbis antiquari. quamobrem sciendum est, eam sanctionem Iustinianum non alia de causa promulgasse, quàm ut inter agnationẽ & cognationem differentiam tolleret, non autem ut emancipatos ad successionem iure ciuili uocaret, quod ex constitutionis ipsius præfatione deprenditur, ex titulo, ita enim inscriptum est: De hæredibus ab intestato uenientibus, & de agnatorum iure sublato. an si idem de emancipatis statuisset, uerbosissimus etiã in rubricis princeps Iustinianus, non aliquid dixisset? dum igitur nullam differentiam inter eos qui sunt in potestate, & qui sui sint iuris esse tradit: intelligendum arbitror respectu effectus, quoniã æquali portione utriq; admittuntur: licet in succedendi modo multũ intersit: quoniã alter iure ciuili, alter iure prætorio adiuuabitur. Itaq; eo casu solũ ius antiquũ referri, non autem nouũ induci, credendum est. Nam & in Institutionibus de seruili cognatione, Tribonianus[c] primã causam successionis descendentiũ esse affirmat: & nõ interesse tradit, an in potestate, uel sui iuris sint: & an ex masculis nati, uel fœminis: & tamen omniũ sententia receptum est, non nouo iure eos uocari, sed uti iure ciuili uel prætorio prius admittebãtur, referri. Nec huic absimile est, quod alibi uidimus: nimirum alia Iustiniani constitutione[d] beneficium abstinendi suis hæredibus per annum concessum: quod non ideo tamen minus iuris prætorij esse creditur, non autem ciuilis. sed cum constitutio ea principaliter propter transmissionem ædita sit, quæ iuris prætorij sunt ea referre, nõ noua sibi arrogare dicimus[e].

Siquidem

a *d. §. & quid si tantum.*

b *§. nullã. in aut. de hære. ab int. ueni.*

c *§. repetitis. insti. de seruili cogna.*

d *l. cum antiquioribus. C. de iur. delibe.*

e *Alex. in l. necessarijs de acqui. hæred.*

Siquidem & cum ex lege Anastasiana emancipati, reseruato agnationis iure filij dimi nuta parte succederent, & ad similitudinem suorum admitterentur, Iustinianus, qui integram portionem illis dari sanxit[f], non tamen quicquã noui eo casu induxisse creden dus est, quo parentum successionem amplectuntur, cum tunc illis per prætorem prouisum sit: nec enim in ea lege sequitur, instar suorum admitti, ergo & suos esse. Si igitur remanere adhuc differentiam inter suos & emancipatos concesserimus, indubitabilis ea fuerit quæstio, qua Bartolus, & alij tractauerunt[g], an si testator filium emancipatum instituat, & ex eo nepotem in potestate retentum prætereat, testamentum præteritione rumpatur? & non rumpi, nemo est qui non dicat. nam cum nepoti ab intestato nihil debeatur, nulla fit illi iniuria, si condito testamento præteritus sit. recepta enim nostra hac opinione, aduersus omnium sententiam testamentũ illud nullius momenti fore, adserendum fuerit: tametsi etiam, si à communi non discedamus, in proposito tamen casu, Bartoli & aliorum sententiã ipse minimè probauerim. Nam dum ipse existimat, ab intestato huic nepoti nil deberi, uereor ne falsò existimet. Cum enim suus hæres auo sit hic nepos, & emancipati ad similitudinem suorum uocentur, cur non æquis par tibus utrunque admittimus[h]? cum licet iure ciuili ex eorum sententia emancipati instar suorum succedant, non tamen ita sublatam differentiam probaturi sunt, ut idcirco generaliter emancipatio nihil operetur, nepos'q;, qui in potestate permansit, ideo suus hæres esse non possit. qua tamen in re amplius cogitandum reor.

f *in l. meminimus C. de suis et leg.*

g *in d. §. & quid si tantum.*

h *d. l. meminimus*

Quemadmodum filia præterita ex statuto, stantibus masculis, &c. testamentum nullum dicere possit. Cap. XI.


SI statuto municipali cautum esse his uerbis proponatur: existentibus agnatis masculis, filia dotata ab intestato non succedat, quæsitum est, si in testamento à patre præterita sit, bonorum possessionem contra tabulas petere num ualeat, sed & utrum dicere nullum possit? Et non posse, frequentiori calculo traditum est: quoniam generali & antiqua regula, qui ab intestato non succedunt, præteriti testamentum rumpere prohibentur: & licet in contrariam iuerit Petrus Besurius[a], quod & nos quandoq; opinati sumus, tamen dubio procul iudicando communis cæterorum illa opinio obtineret, quam ita ueram esse intelligunt, si agnati eo testamento instituti proponantur. sed si extraneos testator hæredes scripserit, tunc ea remedia filiæ competere existimarunt, quoniam hoc casu statuti ratio non extenditur. Cum enim fauore conseruandę in agnatis opulentiæ ęditum sit, & hîc fauor locum non habeat, dispositionem quoque cessare dicimus. Sed & hoc dubium apud me est, quoniam si ratio statuti deficiat, tamen adhuc statutum uiget, nisi per legem contrariam, uel consuetudinem reuocetur: idq; Archidiacono & Aretino uidetur[b]. Nam & falsum putauerim, ex sola agnatorum utilitate statutum illud promulgatum esse, cum & alia ratio reddi possit, nimirum ut discordiarum suspicio remoueatur, quæ inter consanguineos perniciosissimæ oriuntur[c]. quamobrem ex primæ illius rationis defectu argumentum minimè concludens est, cum & uerisimile sit, legislatores pluribus rationibus motos[d]. quod etiam, si unicam illam rationẽ admittamus, dubium tamen adhuc fuerit, cur fœmina succedat, cum ut nullum testamentum dicat, uel bonorum possessionem petat, fauor ipse agnationis suadeat, sed expugnato testamento, ut re ipsa successionem capiat, fauor non dictet: atqui agnati ipsi potius uocari debuerunt, ut solum mulieris beneficium uenale sit[e]. Verum cum à communi omnium sen tentia non discedamus, poterit mulier, cui in eo testamento dos relicta est, repudiare eam, cum iuri suo renunciare passim concedatur, quo casu tanquam indotata dicet testamentum nullum: tunc enim statuti uerbis non comprehenditur, quod in ea filia loquitur quæ dotata est: igitur ab intestato succedet, & ita singulari certè. sed perquam dubio apud me consilio respondit, interrogatus in facti quæstione Baldus[f], cuius autoritas maxima hoc casu esse debet, cum qui contradicat ex scribentibus habeat neminem, tametsi qui & hoc apud eum ante nos animaduerterit, non reperies.

a *in d. §. & quid si tantum.*

b *in l. moribus. de uulg. & pupil.*

c *l. cum pater. §. dulcißimis. de le. ij. l. cum oportet. C. de bon. quæ.*

d *Sali. in l. si serui. C. de nox.*

e *l. filium. §. erit. ff. de bon. poss. contra ta.*

f *in consi. clvij. Gitius in quinto uolum.*

Num legitimatio (ut nostratibus Doctoribus usitata uoce interim utar) ad natiuitatis tempus per fictionem legis trahatur. Cap. XII.



Tilis admodum est quæstio, num legitimatio ad ea quæ retrofacta sunt, per fictionem trahatur: & trahi legum interpretes existimant: quoniã ex prudentũ responsis traditum est, quoties aliquis per principem natalibus restituitur, restitutionẽ eam etiam ad præcedentia produci. Verùm diuersum ius in restitutione esse, potius ipse crediderim: cum qui à principe natalibus restituitur, is propriè est, qui cum liber natus esset, postea seruus factus est[a]. quamobrem ea restitutio in eum statum reponit, in quo erat cum natus est, ut semper fuisse liber censeatur: tametsi interdũ quoq; aliter sit[b]. sed irregulares casus nõ considerantur. Itaq; cum principis hæc uerba, restituo te natalibus, ex proprietate locutionis beneficium illud retrotrahi denotent, fictionem eam tunc procedere mirum non est. Sed in legitimatione aliter obseruatur: nõ enim legitimatio, natalium restitutio est: spurius quippe remaneret qui legitimatur, si ita esset, cum eius natalia hac labe notata sint: sed eius ingenuitatis restitutio est, quæ olim iure naturali uigebat[c], cum passim omnes legitimi nascerentur. & hęc restitutio minimè trahitur retro, cum manumissioni similem[d] hoc casu legislator affirmet, quæ quidem dubio procul præterita non respicit. Quamuis igitur restitutio à principe concessa retro soleat aspicere, non tamen in ea id iuris obseruandum est, quæ solius naturalis iuris ratione restituit: alioquin, ut diximus, etiam seruorum manumissio retro respiceret. Nam & hanc opinionem non Baldus solum, Antoniusq; Butrius probant, sed ex constitutionũ ipsarum uerbis confirmatur. Iustinianus in authentico, quibus modis naturales efficiantur legitimi, Liceat, inquit, patri filios naturæ & antiquæ ingenuitati restituere, & de cætero sub potestate habere. & paulò inferius: post legitimationem exinde filios frui solatio. quid enim magis ostendunt uoces illæ, de cætero, & exinde, quàm antea gesta legitimationẽ non respicere? Nec interpretatio Alexandri & Iasonis recipienda est[e], qui ideo in ea constitutione non trahi retro existimarunt: quoniam si id fieret, in alicuius damnum fieret. Quis enim hoc admittat, cum palàm eo casu constitutio loquatur, quo legitimam sobolem non habeat pater? Quorsum ergo istud præiudicium oritur? Alexander III. Pontifex[f]: Tanta est uis matrimonij, ut qui antea sunt geniti, post contractum matrimoniũ legitimi habeantur. Si ita est, ergo secutis nuptijs non habentur legitimi ante contractum.

a l. fin. de nat. restitu.
b l. ij. de nat. restitu.
c §. liceat. in aut. qbus mod. nat. eff. legit.
d d. §. liceat.
e d. §. & quid si tantum.
f c. tanta. extra qui filij sint legitimi.

Intellectus Doctorum in §. quid si is, ueros non esse, & corruptum à librario codicem, & quantũ id in re literaria referat: quamobrem ex unius elementi inuersione declaratus, uti debuit. Cap. XIII.



Vid si is (inquit Scæuola) qui filium apud hostes habebat testaretur, quare non induxit, ut si anteq; filius ab hostibus redierit, quamuis post mortem patris decederet, tunc deinde nepos, uel etiam adhuc illis uiuis post mortẽ scilicet aui nasceretur, non rumperet? nam hic casus ad legem Velleiam non pertinet, &c. perscrutandum à nobis est, qui nam potissimum sensus his uerbis quadrare possit. Et primo à quibusdam ita intelligitur, ut quæ Gallus Aquilius de naturali morte filij dixit, Scæuola ad captiuitatem extendat, ut eo casu nepos auo succedat: sed & si nascatur uiuo testatore, nihilominus Galli consilium & hic efficax sit. atq; ita ordinantur uerba, quæ alioquin aduersari uidentur, uel etiam adhuc illis uiuis, scilicet testatore & filio nasceretur, post mortem aui non rumperet: qui intellectus omnem textum interpolat & subuertit: tum etiam iure non defenditur. nam si nepos uiuo auo natus proponitur, certè casus hic ad legem Velleiam, non ut Iurisconsultus ait, ad Gallum pertineret. & minimum negantis hoc Socini responsio nos mouerit, qui legem Velleiam solum loqui existimat, cum uiuo testatore, filio uerè mortuo nepos nascitur. nam cum filius captiuus fictè mortuus dicatur, cur huiuscemodi legis dispositio (sicut consilium Galli) ad fictum casum non trahitur? nam etiamsi non traheretur, certè negari non potest, eũ casum Vellej magis quàm Galli prouisionis similem esse; & tamen plus Gallo tribui ex hoc contextu colligeretur. Alius igitur sensus per

interpretes

A interpretes traditur, ut nepos, qui mortuo apud hostes filio, uel etiam illo uiuo, post mortem aui nascitur, succedat, & communi plurimorum autoritate hæc expositio firma est: cæterum quàm sit absurda, neminem Latinæ linguæ peritum (ut opinor) præterit: quomodo enim illis uiuis, pro illo uiuo accipiamus? quis hallucinatum in grammatico numero Iurisconsultum credat? nam tametsi quandoque pluralis pro singulari ponatur, cum ad plura in genere dictio referri potest, cum tamen rem solam respicit, salua ratione rectè sermonis fieri nequit. Quamobrem Baldus, Ioannes ab Imola, Pontanus, Iason aliter intellexerunt, ut ea uerba, illis uiuis, de filio & nepote accipiantur, eaq; Scæuolæ sententia sit, si pronepos post mortem proaui, cum pater & auus captiui uiuerent, natus sit, proauo agnasci, & idcirco instituí posse. Verùm hic uerbis legis contrarius est, cum non post mortem aui, sed proaui scribere Scæuola debuisset. sunt & aliæ Doctorum in his uerbis tricæ, quas, quoniam ex aliorum dictis confutantur, referre operæprecium nobis uisum non est. Itaq; ut ipse quæ nostra sit opinio tandem eloquar, ab imperitis corruptum esse textum cum suspicarer, ueteres libros adeundos censui, & id exemplo antiquorum. Siquidem Zenonem, cum ab eo Aratus poëta quæsiuisset, quo nam pacto emendata Homeri opera compararet, respondisse ferunt, id futurum, si in antiqua exemplaria incidisset, non quę ab recentiorū aliquo inuersa essent. quamobrem & Valerius Probus, cum quandoque animaduertisset, scriptorum negligentia optimos quosq; codices uitiari, ex antiquorū lectione eos annotare, distinguere, emendare adortus, æternam laudem indeptus est: quod ex Græcis Appionem quoq; fecisse memoriæ traditum fuit, apud quos & Nicanor tam diligens extitit, ut *συγματίας* inde appellatus sit. Nam A. Gellium nemo, opinor, non legit, quantumq; ei negocium ex librariorum incuria factum sit, omnes animaduertunt. quapropter & Iustinianus Cæsar, non alia de causa, falsi crimine eos librorum notarios teneri mandat, qui per signa & notas Iurisconsultorum responsa & leges scribere audent: callebat enim quàm facilis inde esset in mendam lapsus. Igitur cum corruptum codicem uitiatumq; Scæuolæ

B responsum suspicarer, in Marciana Mediolanensi bibliotheca Digestorum opus, non in tria, ut præsentis moris est, sed in duo uolumina diuisum perlegi: quod quidem maximæ fidei apud me erat: tum quòd sine glossematis ante Accursium scriptus est liber, tum etiam quòd ante cuiusq; responsi principiū autoris nomen adscriptū habet, additurq; numerus, qua in libri sectione Iurisconsultus illud scripserit. In eo itaq; Scæuolæ uerba adscripta offendi, ut quod in uulgatis legitur, uel adhuc illis uiuis, post mortem scilicet aui nasceretur, legendum sit, post mortem scilicet qui nasceretur. lubricus enim admodum error est, unum q in a uertere, cum non nisi paulò productiore linea dissiparentur: & scriptor qui in superiore §. iusta scriptura similes uoces scripserat, credidit in hoc quoq; idem esse, sed falsò. Sic itaq; Scæuolæ uerba declaranda duxerim. In pręcedentibus clausulis dictū fuit, si filius & pronepos nepote præterito instituti sint, nisi nepos filio prędecederet, testamentum successione rumpi. quod uerum esse subiunxit, præterquā si emancipatus sit nepos. Subsequitur nunc præsenti responso Scæuola, & sicut prius Galli consilium de morte filij loquens, ad ignis & aquæ interdictionē produxerat, nunc ad captiuitatem quoq; producit: deinde quod de emancipatione nepotis dixerat, ad eum casum trahit, quo nepos non emancipatus, sed captus ab hostibus fuerit. nam filio nepoteq; apud hostes detentis, licet uiui adhuc sint, tamen post mortem testatoris, qui nascitur pronepos instituí potest. distinguenda ergo sic uerba sunt, & ubi textus dicit, tunc deinde nepos, punctum faciendum est, & repetendum infrà uerbum, non rumperet. sequitur alius casus ad pronepotem pertinens, Vel adhuc illis uiuis post mortem scilicet qui nasceretur, non rumperet. Post mortem, intellige testatoris, sicut in præcedenti §. Omnes casus, ex quibus suus hęres post mortem suam &c. & quòd ait, qui nasceretur non rumperet, necessariò pronepotem intellige. Et hoc sensu omnia de plano & absq; salebra procedunt. tametsi, scio, reclamabunt ceruicosiores quidam, nec mendosi codicis confessionē admittent, quam tamen Baldo concertans, & riualis Bartolus admittere quandoq; non erubuit, si uera est fama.

§. quid si tantū.
§. instituens.

Filij appellatione an nepos: item auiæ an proauia ueniat. Cap. XIIII. C



Dubitatum est in ea quæstione, an filij appellatione nepos comprendatur: & interpretes nostri tam prolixè id explicauerunt, ut uel integros libros confarcire quilibet ex eorum scriptis possit: & quoniam à ueritate longè & latè (ut dici solet) abfuerunt, dum argumentis aduersantibus respondere per distinctiones, subdistinctionesq; conantur, res in infinitum protracta est. Cæterum ut quid in proposito casu sit, paucis ipse demonstrem, scire debemus appellationem filij ad nepotes ex proprietate sermonis non pertinere[a], sed plerunq; ex similitudine iuris per extensionẽ trahi[b]. Si igitur de legis dispositione loquamur, productionem hanc regulariter locũ habere dicendum erit, non in fauorabilibus tantum, sed & in odiosis[c], nisi diuersa ratio inter utrunq; casum dissimile ius inducat: tunc enim nepos proculdubio filius non existimatur[d]. Quòd si in hominum dispositionibus dubitemus, tunc filij appellatione non continetur nepos[e], quoniam in huiusmodi actibus regulariter nulla extensio fit. si uerò contrahentem etiam de nepote sensisse præsumatur, tunc secus est: præsumitur autem eius uoluntas, cum alioqui dura separatio indiceretur[f], uel extranei suis præponerentur[g]: sed & plerunq; ex consuetudine loquendi patrisfamiliâs cõijcimus[h], & differentiæ ratio ea est: quia facilius legis uerba producuntur, quàm hominum[i]: cum hęc non extendantur, nisi ex mentis coniectura: at lex legis uoluntatem semper exploratam habet. nec ea ratio obstat, quòd in testamentis lata interpretatio fiat: nam id uerum est, si ita esse pręsumpta testatoris mens persuadeat. nam & indefinitam uniuersali æqualiter pollere in uerbis legis, certum est, quod in hominum actibus non est[k]. Sed & huic quæstioni affinis est, num auiæ appellatione proauia quoq; significetur: & ex uocabuli proprietate superiori ratione negauerim. quamobrem si quæratur, an Iustiniani constitutio, quæ matri & auiæ tutelam defert[l], in proauia obseruanda sit: non obseruandam respondebo, quod Angelo, Fulgosio, Paulo Castrensi, & Pontano[m] uisum est: licet frequentius contrarium affirmetur. Nam & matrem auiamq; solas admitti, constitutionis uerba indicant: nec Imolæ, Alexandri, Iasonisq; responsio solicitum me habet, dum per dictionem, solas, nõ excludi similes casus testantur[n]: nam id utiq; concedi posset, nisi sic intellecta uox hæc, nihil operaretũ[o]. quòd si lex municipalis, ut aliquid inducat, contra ius cõmune extendit, quanto magis pro iure cõmuni, ut proauiam excludat, uox hæc interpretatione adiuuanda est: sed & in fauorabilibus solum, casus similes ea uocula nõ eximi, Bartolus[p] certissimus autor est: at nos hoc sensu, odia quæ restringenda sunt, qualis est legum correctio, extenderemus. quid enim, si minor ratio in proauia sit? quæ, ut uerisimile est, non tam impensè pupillum amabit, ut gradu proximiores[q], mater uel auia facturæ sunt, licet in proauo sit contrà, spe propagandi generis[r]. quid item si Aretini[s] opinionẽ sequamur? qui ea dictione casus quidem non excludi, personas uerò similes excludi existimauit, in cõmentarijs tituli, de acquirenda hæreditate: quamuis Aretinum ipse non satis hoc casu probem. D

§. si eius, non rectè ad usq; nostra tempora intellectum, & quomodo dubium sit, ad Gallum, an ad Velleium uterq; casus pertineat. Cap. XV.



Subsequuntur in eadem lege hæc ad literam uerba: Si eius, qui filium habebat, nepotem ex eo instituerat, nurus prægnans ab hostibus capta sit, ibiq; uiuo auo & eius filio pariat, mox ille nepos post mortem patris atq; aui redeat, &c. Idem quærendum est, si iam mortuo filio pronepotẽ instituat hæredem, redeatq; mortuo eo. Sed cum testamentũ ab eo non rumpatur, nihil refert, utrũ ex iure antiquo, an ex lege Velleia excludatur. Vestigandum præcipue est, ad quem primus ille casus pertineat. siquidem perquam dubium hoc ex interpretum opinionibus factum est: cum ad Gallum Accursius, & cum eo plurimorum autoritas, ad legem Velleiam Aretinus, Paulus Castrensis ad neutrum, Raphaël Comensis ad Iuliani indifficilem casum pertinere, prodiderint. sed quoniam eorum rationes confutare nõ admodum difficile fuerit, præsertim cum quæ ab Accursio dissideant, uerbis legis repugnent, solum hoc agendum erit, ut quæ nostra sit sententia exprimamus.

a §. fi. insti. qui test. dar.
b l. iusta. l. filij. de uer. signifi.
c l. filius. ad maced. l. senatus. de rit. nup. l. ij. §. si mater ad tertiæ.
d l. sed et milites. ubi Nico. de Nepo. de ex. tu.
e d. §. fi. l. quod si nep. de test. tu.
f l. liberorum. de uerbo. sig.
g l. Lucius. de hære. institu.
h l. alimenta. de ali. le.
i l. commodis. & §. et quid si tantum.
k Bar. in l. si pluri. de le. j.
l in auth. ut mat. & auiæ.
m d. §. instituens.
n glo. in l. cum notissi. C. de præscrip. xxx.
o l. si quando. de leg. a. j.
p in l. si cõstante. sol. matri.
q glo. in uerb. appellabantur. insti. qui dari tut.
r d. l. liberorum.
s l. uentre. in pe. col. per. l. si necessarijs. §. de uendi. ff. de pig. act.

mamus. Opinor itaq; prædictum casum & ad Gallum, & ad Velleium spectare posse: & id tribus rationibus. Prima est propter capita postliminij, quorum alterum tempus captiuitatis respicit, & omnia illuc usq;, tanquam si nunquam nepos in captiuitate natus esset, restituit: alterum tempus reditus considerat: & hoc rem Gallo subijcit, illud Velleio: quoniam uiuo testatore natus nepos est. Secunda ratio est, nam cum nurus capta proponatur, & de reditu nepotis solum fiat mentio, sequitur ipsam obijsse captiuam: quo casu summo iure postliminium locum non habet, sed solum censebitur nepos natus ea hora, qua reuersus est: & ideo res ad Gallum spectabit. Sed si ex Ioannis & Accursij sententia, æquitatem considerauerimus, etiam quòd mater non redeat, ius postliminij obseruabitur[a], quo iure Vellej dispositio in promptu erit. Tertia efficacius inducta ratio est, quia si ciuili iure ueritatē attendamus, is casus Gallo deberetur, cum tunc solum credatur natus cum redijt: si fictionem obseruemus, quia uiuo auo natus est, ad Velleium spectabit. nec fictioni ueritas, aut ueritati fictio[b] præualere debet: cum si idem respicerent, ueritas obseruaretur: si diuersa, fictio: sed hoc casu diuersis respectibus ad utrunq; tendunt, cum Galli & Vellej leges diuersæ sint: & cum utriusq; unus sit finis, nimirum testamenti substinendi prouisio, eódem quoq; contendere dici possunt. Cum igitur propter rationum repugnantiam, casus hic perquam dubitabilis esset, consultius Scæuolæ uisum est, nil censere, usq; adeò re non utili, ut determinatione periclitaretur. Quamobrem & Cato Saccus nihil hac in re disputat, quòd uidelicet testetur aduersus Iurisconsulti exemplum nolle se nodum in scirpo quærere. Videamus nunc quid in secundo casu, quem Scæuola refert, dicendum sit. & primo quem sensum Iurisconsulti uerba accipiant, amplius quærendum reor: cum interpretationes recentiorum minimè mihi satisfaciant, & communiter dici solet, uariari in eo à superiore casum, quòd quæ in nepote dicta erant, procedere in pronepote etiam tradit: intelligenturq; uoces illæ, mortuo eo, id est proauo & nepote: quod commentum planè absurdum est, cum scribendū in textu, mortuis eis, Latini sermonis ratio postularet. Quis enim mediocriter eruditus, de duobus singulariter loquatur? Quamobrē Pylleus Moguntiacus, & Ioannes, non pronepotem, sed nepotem legunt: lancinantq; hoc potissimum modo legis uerba, ut ex hac & alijs rationibus non immerito plurimorum calculis damnentur. Igitur ut uerum ipse intellectum aperiam, tale interpretamentum adhibendum opinor: ut dubitet Iurisconsultus, si capto, ut in superiore casu supra nepote, mortuo filio pater testetur, soloq; pronepote uiuo instituto decedat, deinde redeat nepos, quid iuris? præteritúsne nepos rūpat? an excludatur à pronepote? & num pronepos ex Gallo, uel lege Velleia institutus sit? & concludit à nepote testamentum non rumpi, sed eum ab hæreditate excludi: quapropter quo iure pronepos restitutus sit, nō explicat: quoniam nullius utilitatis quæstio hęc est, cum omnino testamentum ualeat, neposq; præteritus à pronepote excludatur. ergo in textu dum dicitur, redeatq; mortuo eo, intellige nepotem mortuo testatore reuerti: nam hoc modo uerba ipsa præmodum clara, explicitaq; erunt, nec quicquam impropriè accipietur. & ex his illud necessariò defendendum est, nepotem hunc præteritum non rumpere testamentum, sed tamen nouum hoc, aut æquitati repugnans uideri non debet. nam cum non solum testamenti, & aditæ hæreditatis, sed & medio tempore, nunquam nepos in potestate fuerit, iure potuit in testamento præteriri, cum successione illud rumpi hoc casu nequeat: nec obest postliminij fictio: tum quia in præiudicium pronepotis obseruanda non est, quoniam iniquum sit eum, qui iusto titulo dominus hæreditatis factus semel est, confusis bonis priuari, & testamentum aditione confirmatum subuerti: tum etiam quòd, cum mater apud hostes obijsse proponatur, ius postliminij ex primo capite nepos non habet, quod post Placentinum, & ueteres quosdam Raphaëli & Besutio, & Iacobo Puteo uidetur[c], & rationi consentaneum est. siquidem mater quæ apud hostes obijt, hora captiuitatem præcedente obijsse, ex lege Cornelia fingitur. ergo filiū parere non potuit. quamobrem si primum postliminij caput spectaretur, nónne lex aduersus legem fingeret[d]? quod omnium calculis reprobatum est[e]. Superest, ut ostendamus, ad quem casus hic pertineat. & cum Velleius utroq; capite locutus sit, quando nemine

Iaf. in l. si is qui pro emp.

a *l. 1. C. de cap.*

b *Bar. in d. l. si is qui pro emp.*

c *in l. 1. C. de capt.*

d *in d. §. si eius.*

e *l. iij. §. econtrario. de acq. pos.*

præterito filio, substituitur nepos, uel nepoti pronepos, quod in nostro casu non est, ad C Velleium non spectare dixerim. sed & cum Gallus de posthumo, ut aiunt, alieno senserit, pronepos autem uiuente testatore natus proponatur (quamuis etiam si eo mortuo natus esset, idem iuris, quoad successionẽ, seruaretur) ad eum uix est ut pertineat: uerumenimuero ad utrunq; referri posse tandem placuit: ad Gallum, quoniam nepos uiuo testatore ciuiliter mortuus est; ad Velleium, quoniã uiuo testatore natus est pronepos, & id quidem ex primo capite legis.

Legem impossibilia fingere, & extrema idonea non requiri, & meras affamias esse quæ in l. si is qui pro emptore, Bartolus ex seipso deprompserit. Cap. XVI.



Traditur in eadem legis particula, alia frequens regula, fictionem uidelicet legis nunquam impossibilia ex rerum natura inducere, idemq; esse in his, quæ ciuili iure impossibilia reputantur[a], nos hæc temere dici quandoq; putauimus, & in primis rerum natura impossibile est, eum qui in utero sit, ante septimum mensem uiuum esse, tamen pro nato fictione legis tum quoque habetur[b]; & quamuis multum se interpretes contorqueant, dum huic argumento respondere nituntur, frustra tamen eos sese angere, in fictionum tractatu Iason ostendit[c]. Et communiter dicitur, dispensationem eam, non fictionem esse: quoniam quicquid existimauerit Iason, uerba in lege posita (nimirũ quodammodo & perinde) non fictioni tantum, sed & dispensationi conuenire possunt. Validius itaque nostrum argumentum obstiterit: nam Baldo autore[d], ex Papiniani responso notatum est, quæ per fictionem fieri non possunt, nec per dispensationem posse. Igitur si ante menses fingi non potuit natum infantem, certè nec ex dispensatione induci potuisse, affirmabimus. quòd si res alioquin impossibiles, dispensari concedamus, cur non & fingi? par etenim utroq; casu ratio est. tametsi differentiam hanc ipse minimè agnoscam, cum nihil aliud dispensatio hæc mihi uideatur, quàm fictio quædam. Confutatur etiam D communis opinio alia ratione. nam si aliquem letali uulnere affeceris, aliusq; alio uulnere æquè graui eundem percusserit, & cunctantem animam accelerare coegerit, uterque hominem illum interfecisse fingitur[e]; cum tamen non nisi semel mori, permissum natura sit. & non alias, quàm imbecilles responsiones huic argumento per iuniores adduci, cum locupletissimus testis est Iason[f], tum & nos quandoque diffusius ostendimus. sed & aduersus, iure ciuili possibilia, fictiones inductas esse, animaduertisse me in Iustiniani lege aliquando memini. Is in titulo, de iure deliberandi, Si infanti hæreditas delata sit, & ante aditam moriatur, licere parenti suo eam adipisci tradit, & iure patrio possidere, tanquam si infanti prius delata, & quæsita esset[g]. fingit itaque lex delatam & quęsitam infanti hęreditatem, quod tamen iure ciuili[h] fieri non potuit: cum infanti delata hæreditas dici propriè non possit, & cum is adire non possit, qui nec animum habet: admittamus ergo, generaliter fingi impossibilia per leges, si tamen æquitas subsit: quòd si ea non dictet, fictio nullum locum nanciscitur: qua ratione intelligenda sunt iura, quæ in idipsum à Doctoribus afferuntur: tum aliter explicanda quæstio, Si mortuo filio concubina mihi nubat, num ex eo geniti nepotes legitimentur: & non legitimari creditum est: tanquam extremum fictionis caput aptum non esset, quia mortuus filius: nam id non obesse ex Iurisconsulti uerbis[i] docemur: qui si mortuo, inquit, filio aliquem adoptauero, is filij frater fuisse uidetur: ut iure meritoq; de albo tollendas Bartoli longissimas illas habilium extremitates censeam, quæ nec Romano iure probantur, & nihil ulterius sunt, quàm in parietibus pictæ nebulæ.

a l. talis. de leg. j.
b l. qui in utero. de sta. ho.
c in l. si is qui pro emp. col. lv.
d l. Papi. §. fin. de inoffi. testa.
e l. ita uulneratus. ad l. Aq.
f in d. l. si is qui. col. lviij.
g l. si infanti. C. de iure deli.
h l. pupillus. de acquir. hæred.
i in l. si filium. de grad.

Omnes sensus, qui in §. forsitan, per Doctores referuntur, uerbis repugnare, absurdos ineptosq; uideri, quamobrem aliter explicatus. Cap. XVII.



Forsitan adhuc dubitat quis, an istis casibus, si nepos post testamentum nascatur, uiuo patre suo, deinde ex eo concipiatur: isq; mortuo patre, deinde auo nascatur, an non potuerit hæres institui: quia pater ipsius non rectè institutus esset, quod minimè esset expauescendum: hic enim suus hæres nascitur, & post mortem nascitur; ergo & sic pronepos admittetur, qui natus erit ex nepote postea

A te postea uiuo filio, atque si ex eo natus esset adoptatus. Scæuolæ hæc uerba quoniã ab alijs falsò accipi contenderim, prius ex cæterorum sentẽtia declaranda sunt, ut eis propositis, quanto proximius nostra interpretatio ueritati accedat, cuilibet noscere promptum sit. & primo Accursius ita exponit, ut tali casu controuersiam esse proponamus: Pater filio instituto, nepote præterito, pronepotem substituit: uidebatur testamentum nullius momenti esse, quia præteritus est nepos: quod expauescendum non est, cum ante filium mortuus dicatur, & idcirco successione nõ potuerit rumpere. sed & si pronepos uiuo filio nascatur, idem iuris est quod in adoptiuo quoque pronepote procedit. Verùm hic sensus & communiter confutatur, & rationibus quoque minimè probabilis est. nam cum Scæuola casum se dubium proponere affirmet, quis hunc intelligi merito dicat, qui antea per illum explicatus fuerat? & quamuis in superioribus nepos tempore testamenti natus esset, hic non esset, minima tamen hæc uariatio rem nihil magis dubiã facit. Præterea cum in uerbis Iurisconsulti nulla de morte testatoris mentio fiat, cur nos eam præter uerba inducamus? expressus enim cauillus est, si illis uerbis, mortuo patre, deinde auo, etiam proaui mortem addiderimus. nam & quis credat istos casus, quos Scæuola tacitè notat, ad uersiculum, nam & si filius, ex interuallo pręcedentẽ referri, & non potius ad proximiora? Itaque aliter ex Accursij lectione fingendus casus est, ad hunc modum: Pater filio instituto, & nepote præterito substituit pronepotem, qui apud hostes illis uiuis nascitur, & post mortem eorum redijt: quo casu tanquã suus hæres testatori succedit. sed & si non testatore aut nepote, sed uiuo tantum filio nascatur, deinde post eius mortẽ redeat, succedet: & non aliter admittetur, quàm alius qui apud hostes existens à principe adoptaretur. Verùm in primis uelim, paulò diligentius doctiores considerent, quid cõmune hic intellectus habeat cum uerbis textus: nam præterquam quod ubi dicitur, mortuo patre, exploditur antiqua lectio, & legitur, uiuo: dictio quoque, deinde, nõ cõuenit. cur enim, mortuo patre, deinde auo, potius dixit, quàm patre mortuo,
B & auo: cum etiam, si auus patri præmoriatur, nihil referat? Vbi itẽ in textu de præteritione nepotis, de hostibus, de reditu pronepotis mentio est, nónne hæc sunt mera somnia? quis sanus uerbum, nascatur, intelligat ciuiliter, cum redit, & non potius naturaliter ex uentre matris [a]? quis etiam adoptionem à principe factam hîc ex uerbis accipiat? ubi de absentia uerbum ullum? & cum adoptio absentis non nisi summa potestate per solum principem fieri possit, quis uerisimile credat, hunc casum à Scæuola consideratum? ut certè communi hoc intellectu nil sit prorsus ineptius, qui & diuinaci coniectura, & ex uerborum conturplicationibus solum procedat, & in quibusdam quoque ex præcedentis §. fine superfluus sit. Quamobrem Socinus, ut erat in nostra hac disciplina perquam acutus, ueterum interpretationibus explosis, in hunc fermè modum Iurisconsulti uerba explicat, ut ex consilio Galli ponamus filium nepotem, pronepotemque institutum: accidisseque, ut nepos ab hostibus caperetur, apud quos genito pronepote decederet, qui pronepos mortuo filio & testatore redijt. Et quoniam in nepote ius postliminij locum habere non potuit, uidebatur pronepotem tanquã filium serui, non posse succedere: quod tamen nimis durum erat: quapropter fauore substinendi testamẽti, pronepos suus hæres testatori fiet. nam & iuris fictione potest aliquis suus hæres auo esse, tametsi filium nunquam habuerit, ut si aliquẽ in nepotem sibi eum adoptasse affirmemus. sed & hæc interpretatio à Iureconsulti uerbis perquam aliena est, cum ut suprà diximus, nulla hîc mentio de testatoris morte, nec de hostibus fiat: neque id quisquam deducendum ex præcedenti §. opinetur: cum ibi de nepote tractatum sit, qui apud hostes nascitur, non de eo qui in patria natus capiatur, ut est Socini casus: nam & falsum est, ex utilitate, quæ in testamentis uersetur, decisionem hanc substineri: cum & in textu de hoc fauore nihil dicatur: & absonum est, posse testamenti fauorẽ aliquid aduersus legem Corneliã inducere, cum nec fauor libertatis id possit [b]: quin & in textu uerba illa, uiuo filio, superflua, nulliusque effectus essent. Ex his igitur nõ dubito, quin omnes hæ interpretationes cõmentitiæ & incõcinnæ paulò doctioribus uideantur, & in posterũ reijciantur. qua de causa sic uerũ ipse intellectũ de tot ambagibus extricandum censeo. Fingamus ex forma à Gallo & Velleio introducta, filium, nepotẽ, pronepotẽ

a glo. in c. susceptum. de rescri. lib. vi.

b l. diuus. de cap.

institutos, substitutosq; : dein euenisse, ut mortuo prius nepote, deinde filio, uiuente C
proauo, pronepos nasceretur, quæsitum est, an ex prædicto testamento pronepos his succedere possit? & repellendum uidebatur, quasi inefficax testamentum esset, quoniã eius pater non rectè institutus erat. Nam institutio ex consilio Galli facta, eũ admittit qui suus nascitur: nepos autẽ cum natiuitatis tempore ab alio præcederetur, ut suus succedere non poterat [c], & ideo præteritus uidebat. sed tamen hoc parum obstat: quoniã præteritio hæc nullius effectus esse potuit, cum ante patrem ipse mortuus fuerit. igitur pronepos succedet, qui suus hæres ipse nascitur: & post mortem patris nascitur, quo casu nemo eum in potestate præcedit, quod in patre suo erat contrà. sed si pronepos uiuo testatore non nascatur, ut in superiore casu est, sed uiuo solum filio, nunquid illi suus hæres erit? & esse Scæuola ait, perinde ac si non eius nepos esset, sed adoptatus in locum filij. siquidem ita illi suus hæres erit pronepos, quando à nemine in gradu præceditur, sicut si ab auo in locum filij adoptatus esset: admittetur ergo ut suus hęres filio, non tamen ex testamento proaui: nam id impossibile est: sed succedet in primo suitatis gradu: nisi fortasse testamenti uerba ita concepta proponamus, ut nõ instituant solum filium, sed & eum filio substituant, qui illi suus hæres alioquin esset: quamobrem si uiuo testatore & filio natum hunc pronepotẽ in casu huius ultimi uersiculi admittamus, nihilominus succedet, quàm si ex eo, hoc est filio, natus esset adoptatus. Sed huic nostro intellectui aduersari illud uidetur: quòd si institutionẽ ex Galli consilio factam dicamus, cum in eo conditio sit, si post mortẽ testatoris nascat, pronepos hic non debuit succedere: quoniã conditio nõ euenit: nã uiuo testatore natus est. sed ipse arbitror, concepta non fuisse uerba, ut ad literam in consilio Galli referuntur, sed potius paulò generalius: Si filius me uiuo morietur, tunc nepos: & si nepos, tunc pronepos suus hæres esto. nam cum in superioribus casibus eas quęstiones recitauerit, quę & ad Velleium, & ad Gallum referri poterant, subsequitur forsitan istis casibus, &c. ut necesse sit uerba ita concepta fateri, ut ad Gallum & Velleium casus hic pertineat. Et hæc quidem D
interpretatio mirum in modum conuenire uerbis legis uidetur: nec efficacia argumenta possunt in aduersum deduci. qua de re censeo illi adhærendum, donec aliquid melius aptiusq; inueniatur. & quoniã hi casus non magis ad Velleium spectarent, quàm ad Gallum, aliquibus fortasse non displicuerit in primo §. casu intelligere pronepotẽ etiam post testatoris mortem natum, ut hoc ex subiecta materia accipiatur, quòd uidelicet Galli consilium ita requirat: nec obstiterint ea uerba, isq; mortuo patre, deinde auo nascatur: quoniam solum ea referuntur, ut inde constaret, tametsi nepos uti suus hæres institutus esset, & in alio casu præteritus, testamentum tamen non uitiari.

c l. commodißime. supra eo.

Exhæredationem post mortem filij ualere, si instituti sint uenientes ab intestato: & aliter intellectus §. in omnibus, quàm ab alijs fuerit. Cap. XVIII.



IN omnibus suprascriptis casibus illud obseruari Scæuola iubet, ut filius, qui in potestate est, hęres aliqua ex parte instituatur: quoniam frustra post mortem exhęredaretur. Videamus num uerum id sit, & quemadmodum intelligendum. nam si nepotes instituantur, cum filius moreretur, exhæredato eo possunt succedere [a]: & tamen exhæredatio hæc uiuente filio confirmari non potest. nec obest Bartoli, Iasonis, cæterorumq; responsio, dum in uita filij adiuuari posse eam exhæredationem tradunt, quasi conditio illa, cum moreretur, uitæ tempus amplectatur: quod in odiosis concesserim, in fauorabilibus certè solam mortem comprendit [b]. at exhæredatio non ualeat, summus fauor est [c]. Quamobrem ipse crediderim, si nepos, uel pronepos, uel similes ab intestato successuri, instituti proponantur, huiusmodi filij exhæredationem ualere. nam si filius uerè præteritus, etiam contra naturam conditionalium uerborum, eo casu in consilio Galli pro instituto habetur [d]: quanto magis exhæredatio hæc, quæ expressa testatoris uoluntate defenditur, propter utilitatem nepotum sustineri debet? Igitur si filius exhæredatus morietur, locum institutis nepotibus faciet: si autem superstes erit, tunc regulam admittemus, ne talis inepta exhæredatio filio obsit. nam Scæuolam præsenti §. eo casu, loqui arbitror, quo

a l fin. in fi. de cõdi. institu.
b l. qui duos. de man. test.
c l. y. supra eo.
d in prin. l. Bar.

A tror, quo filius superuiuat: alioquin & ipse inepte loqueretur, dum non requiri nepotis & pronepotis institutionem ait, si liberi hæredes instituantur. nam si filium mori uiuente patre ex Galli Aquilij formula ponamus, nónne manifeste falsa Iurisconsultus traderet? nam & eum qui Gallum superius reprenderat, quoniam de nepotis & pronepotis institutione nullam curam adhibuerat, utiq; non decuit in eo ipso peccare, quo alios damnauerat. quare necessario eius uerba accipienda sunt, cum filius patri superstes est: nam & à superiore §. continenter, in hunc subsequitur, in illo autem is casus fingitur, quo filius patri superstes sit. quod argumentum aliquem quoq; colorem nostræ sententiæ affert: sed multò fortius nos adiuuat, quod paulò inferius in legis Velleiæ tractatu pronepotem succedere Scęuola ait [c]: ita demum si pater eius institutus, uel exhæredatus fuerit: admissa enim hac opinione communi, exhæredari non potuit, nisi post mortem, quæ inutilis exhæredatio esset. Quare dicendum est ualere, cum nepos iste ante filium mortuus dicatur. nam responsio, quam eo in loco tradit Bartolus, datũ scilicet cohæredem, oppidoquàm ariolatur, & textũ coartat: sicuti quæ à Iasone ibidem referuntur, quoniam de præcedentibus casum uariant, admittenda non sunt. c §.etiam.

Legis Velleiæ uerba alia esse, item aliter intelligenda, quàm uulgò dici soleat: & si communes interpretationes admiserimus, nihil noui ab ea inductum. Cap. XIX.



EXplicito Galli Aquilij tractatu, uideamus quemadmodum Velleiæ legis uerba concepta erant: & duo capita habuisse in confesso est, quorum primum ita ad sensum fortasse erat: Qui testamentum faciet, is omnis uirilis sexus, qui ei suus hæres futurus erit, cum nasceretur instituendi necessariò potestatem habeat. quæ uerba quamuis propriè eum hæredem respicere uideantur, qui si nasceretur tempore testamenti, suus futurus erat: tamen Iurisconsultus ad eũ quoq; ex interpretatione producit, qui solo mortis tempore inspecto, erat B suus. tametsi ita uerba sunt, qui testamentum faciet, & cætera. Et ideo in textu non nametsi, sed tametsi, pro quamuis legendum puto: alioquin Iurisconsulto Latini sermonis usus repugnabit, & crux interpretibus fixa permanebit, dum in mendosæ illius uocis declaratione æternùm se torquebunt. Secundi autem capitis uerba hæc referuntur: Si quis ex suis hæredibus suus esse desierit, liberi eius, & cæteri in locum suorum, sui hæredes succedant. Quibus uerbis ex Bartoli & Dyni, cæterorumq; sententia addendum est, si in testamento hęredes instituti sunt. Sed quærendum est, quo in casu utilis hæc legis dispositio sit: nam nullum caput necessarium esse faxo ostendam. & cum ex primo institui is debeat, qui si nasceretur, tempore testamẽti suus hæres esset, nónne id longè antea ex XII. tabularum lege fieri poterat, cum omnes admittant, posthumum suum antiquissimo iure institui potuisse [a]? nec in hoc Doctores ipsi dissentiunt, neq; aliud exemplum quisquam obijciat, de nepote uidelicet, qui uiuente filio institutus, post eius mortem natus est. nam id speciatim ex Velleia inductum non est, sed ex Scæuolæ interpretamẽto: quod uerbis legis repugnare ipse concedit. quod etsi à Velleio introductum demus, nónne id prius ex consilio Galli producendum erat? tum quia nihil differt, an tempore idoneo aliquid faciamus, an ab inepto incipientes in idoneum conferamus [b]: quam regulam Galli tempore obseruari cœptam, Doctores ipsi fatentur [c]. nam & Gallum ueteres leges non correxisse, sed potius præter eas consilium suum dedisse, uerior opinio est: cum ergo correctorium non esset, cur non extendimus: præsertim cum minor incertitudo hoc quoque casu esset, quàm in illius formula? Nec Iasonis responsio recipienda est, qui prius non potuisse nepotẽ uiuo auo oriturum institui, tradit: quia poterat testator expectare tempus quo nasceretur, & dein cũ instituere. nam hoc non considerasse Gallum, ex eo probatur, quia idem statuisset in eo qui uiuente auo natus esset, sed post eius natiuitatem statim uel perijsset, uel testamentũ facere negocijs prohibitus esset [d]. nam & institutio, se mortuo ab aliquo facta, ad eum trahitur casum, quo posthumus se uiuo nascatur [e]: quod Iasonis ratione attenta, non procederet: sed & posterius legis caput superfluum dicendum esset, nam si iure

a l. placet. §. eo.
b l. 1. tempus. de hære. insti.
c Soci. in prin. l.
d l. tractabatur. de testa. mil.
e l. fi. Co. eo.

duodecim tabularum filio extraneus substitui poterat, quanto magis nepos, & pro- C
nepos nati? & ex his si aliorum interpretationes probemus, manifestum, puto, est, celebratissimam hanc Velleij legem nihil noui induxisse: uerùm potius inutilem, superuacaneam, indubitati iuris esse. quod non solum absurdum est, sed etiam legum uerbis repugnat: & in primis dum in lege dicitur, in liberorum locum liberi sui hæredes succedant: cur uerbum id nouum potius ius induxisse, quàm uetus retulisse, nō dicamus? cum & lex Falcidia nihilo magis efficaci uerbo usa sit (hoc uidelicet, hæreditatem capiant[f]) & tamen nouum ius induxisse nemo dubitat. Sed & Caius iuris autor: ut tales, inquit, nepotes substituerentur, prouisum est lege Velleia[g]; nam si ex XII. tabulis id fuisset, non debuerat ius illud ad Velleium referre: quoniã quotiescunq; lex noua aliquid refert antiquiore lege prouisum, ea prouisio non ideo nouæ constitutioni tribuit. exempli causa: prætor ius abstinendi suis hæredibus dedit: quod Iustiniani quoq; quadam constitutione sancitur: dicemus'ne ideo ius abstinendi ciuili remedio competere, & nō honorario? fanè qui dicat, doctiorum sententijs conuincetur[h]. Quin & si quicquam noui antiquæ legi adijciatur, illud quod additum est autori tamen antiquiori tribuitur, si uera est Aretini opinio[i]. Vt igitur à cæterorum, quos uidere mihi contigit, sententijs discedam, suprascriptæ rationes me quammaximè impulerunt. & utinam tam facilè uera ipsi inueniremus, quàm aliorum falsas opiniones confutare possumus. Sed tamen (quoniam difficillimũ nodum quoquo modo soluamus, nihil interesse, in Gordiano Alexander docuit) ita nos opinamur, uerba legis Velleiæ, si quis ex suis hæredibus suus hæres esse desierit, liberi eius, & cæteri in locum suorũ sui hæredes succedant, perfecta esse, & nullam institutionem (quod Bartolus & alij faciunt) subinducendam: & idcirco nihil posteriore hoc capite de successione in testamento sensisse Velleiũ: sed solum de successione (ut ita dixerim) suitatis. Nam cum duodecim tabularum lege solus filius sui hæredis locum teneret, nepotes & pronepotes eo defuncto in eius locum non succedebant. quod etymus in primis ipse ostendit: dicti enim uidentur nepotes, quia successionis paternæ potes nō erant quemadmodum filij. unde & qui nepos D
posthumus nascebatur, alienus dicit̃, cum eo iure suus hæres ex testamento non esset. quapropter arbitror præteritos testamentum eo tempore non rupisse. Id & hoc qualiquali colore probabile est: quod omnium sententia constat[k], eo iure in suis hæredibus successorio edicto, de persona in personam locum nō fuisse: quod quamuis ex eo inductum non diffiteor, quia abstinendi facultatem non habebant, tamen & hanc rationẽ in causa extitisse crediderim. nam & alias differentias inter filios & nepotes annotauimus: qualis illa, filium purè solum institui posse, nepotẽ sub quacunq; conditione potuisse: quod Paulus Castrensis tradidit[l]. Non igitur absurdum fuerit, & hanc quoque differentiam eo antiquissimo iure inter filios, & cęteros descendentes constituere: cum præsertim nusquam contrarium in ciuili disciplina probetur. at id induxisse Velleium & eius uerba expressim declarãt, & ex Alexandri imperatoris constitutione confirmatur, qui ad neptem præteritam scribens[m]: Mortuo, inquit, patre tuo, uiuo auo, sine impedimento legis Velleiæ, succedendo in patris tui locum, rupisti aui testamentum. sed longè clarius Iustinianus Cæsar: qui superuixit, inquit, auo pater: quamobrem non potuit nepos ex lege Velleia in locum patris sui succedere, & rescindere testamentum[n]: ut ex his uerbis, nisi manifesta calumnia opprimamur, nostra hæc opinio perquam dilucidè probetur, & aliæ confutentur. Ex quibus traditum est, Velleium casus solum eos introduxisse, quibus testamenta confirmentur, non qui rumpant. nónne id imperatoriæ illi constitutioni aduersatur? Nec obstat eorum argumentum ex Iuliani indifficili casu: quoniam quàm ineptè textus ille declaretur, sequente capitulo ostendam. Sequitur ergo, Velleium lege introduxisse, ut sui hæredes in præcedentium mortuorum gradum succederent: non autem quicquam de hæreditate locutum. Sed quoniam necessarium est, ut sui præteriti rumpant, instituti uel exhæredati non rumpant, sequitur uoluisse etiam ut instituerentur, uel exhæredes fierent: quod primo capite notatum fuit; quæ uerba generalia sunt, & omnem comprehendunt, qui suus hæres futurus erit. Sed Iurisconsultus, qui caput illud interpretabatur, ea intellexit

f l. 1. §. ij. c. infra. ad leg. fal.

g l. posthu. de iniust. rup.

h Imo. Alex. in l. necessarijs. de acqui. hæ.

i in l. lex Cornelia. de uulga. in sti. de leg. agn. succ. in prin.

k l. qui se patris. C. unde libe.

l in §. nunc de lege. in fin. apparatus.

m l. iij. C. e.

n in l. si quis filium. C. de inoffi. testa.

A lexit omni casu procedere, præterquam in eo, qui antè à Gallo inductus erat, uidelicet cum nepos, pronepos, & cæteri, post mortem filij, & dein testatoris, nascerentur: & id, ne quicquam alienũ Velleio tribueret, alioquin ex Vellei uerbis, quæ generalia sunt, etiam Galli casus comprenderentur. & nostræ huic interpretationi solum argumentum id aduersatur: quod si sustulero, nihil erit quo syncerus iudex auertatur, quin in sententiam nostram pedibus statim eat. uidetur enim falsum esse, modos in suitate succedendi à Velleio introductos, cum etiam tempore Galli nepotes, & pronepotes succederent, rumperentq; testamentum. uerùm ipse arbitror, Galli consilium non ideo præstitum, ne testamentum rumperetur: sed quoniam iniquum illi uidebatur, nepotem ab aui hæreditate excludi: qua ratione etiam motus quandoq; Iustinianus[o], nepoti non suo hæreditatem dedit. Igitur si quando in consilio Galli cauet Scæuola, ne testamentum rumpatur[p], id est, non quod Galli tempore rumperetur, sed quod ex lege Velleia id postea inductum sit: quamobrem cum dixisset superius, ubi filius & pronepos instituti præterito nepote essent, testamentum rumpi, si nepos filio superstes esset: subiungit[q] eum casum ex sententia legis Velleiæ esse. Affirmemus itaq; hanc cõclusionem, nepotem præteritum, lege duodecim tabularum, in casu Galli non rumpere testamentum, & ab auita hæreditate excludi: quamuis si testamentum factum non esset, ad successionem uocaretur[r]. sed non sequitur, intestato succedit, ergo & contra testamentũ: diuersa enim hæc esse, & Accursius, & Bartolus, & cęteri omnes autores sunt[s]. Ex supradictis igitur concludendum est, secundum legis caput nihil antiqui iuris attigisse; primum uero id cauisse, ut instituerentur, qui futuri erant sui hæredes, ne præteriti rumperent, cum iure ueteri non rumperent. cæterum quoniam uerba generalia erant, & antiquos Galli casus cõprendi posse: tametsi Scæuola, ne inuentione sua Gallus fraudaret, eos solum Velleio uendicauerit, qui ex uerbis Galli non continerentur. & ex hac declaratione sequetur, Iurisconsultũ Scæuolam in §. uidendum, addubitasse,

B utrum captiuo filio impediret nepos ex lege Cornelia patri, in sui hæredis primum gradum succedere: & non impediri existimauit. nam si de successione hæreditatis loquamur, dubium id magis erit: licet hoc in articulo Socini[t] rationes perquam frigidæ sint.

o d.l. si quis filiũ.
p §. nam & si filius. & §. quid si is.
q §. & quid si tantum.
r l. Titius. de suis, & leg.
s in l. 1. in princ. in glo. ij. ff. de contra tab.
t §. uidendum.

Iuliani indifficilem casum non ita à Doctoribus interpretari debuisse, uti factum est: & quem sensum habeant illa uerba, non permittit institui, &c. Cap. XX.



C SVbsequitur qui in difficili est casus, Si filium habeas, & nepotẽ nondum natum instituas, isq; nascatur uiuo patre suo, ac mox pater decedat, quid iuris? & uidebatur huiusmodi nepotem ex lege Velleia, ut institueretur, prouisum non esse: quamobrem non rectè institutus, rumperet testamentum. Nam aut loquimur ex primo capite legis, & illud eos propriè respicit: qui si nascerentur tempore testamenti, sui hęredes futuri essent: quod interpretatus est Scæuola: procedere etiã in eis, qui non testamenti, sed natiuitatis tempore, sui hæredes erunt. at in prædicto casu hic nepos nec testamenti, nec natiuitatis tẽpore est suus. Aut quærimus de secundo capite, & illud in suitatis successionẽ liberos admittit, qui in rerũ natura sunt. Igitur non permittit institui nepotẽ, quia nõ loquit̃, quoad successionẽ nepotis in testamento, sed solum de suorũ hæredum iure: uerùm uetat rumpi, quando nepos est institutus, uti in casu nostro agit̃: posterius enim caput solum de successione suitatis (sic facilioris intellectus causa loquor) tractat: prius uerò de successione hæreditatis: sed neutrũ hoc casu loquit̃. uetat igitur rumpi, quia facit ut in locũ filij succedat: & cũ reperiat se institutũ, nõ rũpat. & hoc sensu puto accipienda ea uerba esse, quę dum quadruplici interpretatione Accursius exponit, nonne uidet̃ fateri ea se nõ intellexisse? ut non immerito cõmuni sententia reprobetur[a]. tametsi & illi ipsi autores suũ commentũ non defendent, dum idcirco dicunt à Iurisconsulto scriptũ posteriori capite, non permittit institui, sed uetat rũpi. nõ permittit (inquiũt) institui, quia prius ea potestas ex XII. tabularũ lege introducta erat. nam si lex XII. tabularũ induxisset ut instituerent̃, nonne etiã ne rumperent, cum instituti nõ rumpant? Sequitur uersiculus porrò, in quo

a in d. §. ille casus

Raphaël existimauit Iurisconsultum ironice loqui: at certè Raphaëlem ego ridiculè. C
alij uerò interrogantis nota scribendum, quod contra uocis naturam est. quare interpretare, Scæuolam uelle, nepotem hunc potuisse instituí utiliter, hoc est, ex interpretatione legis: tametsi ex uerbis nullo iure potuit: & eadem significatione, utiliter, hic accipiendum est, qua & actionem utilem [b] dicimus, hoc est, quæ ex uerbis legis directa non oritur, sed ex interpretatione conceditur. & quamuis Scæuola ita concludat, Iuliano tamen uisum est, non ex interpretatione tantum, sed ex uerbis quoque Velleij casum hunc explicari: nimirum commixtis legis capitibus, cum primum locum habeat, nepote in defectum filij substituto, & secundum generaliter loquatur, si quis suus hæres esse desierit, liberi in eius locum succedant: & sic etiam si tempore testamenti nondum nati sint, & quamuis sui non nascantur.

b Bart. in l. curatoris. C. de nego. gest.

TERTII LIBRI FINIS.

ANDREAE ALCIATI PARADOXORVM IVRIS CIVILIS LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.



INOLEVIT apud nostros professores ea consuetudo, ut quotiescunque legem aliquã interpretent, ex ea quædam pronunciata eliciant, quæ notabilia dicuntur: tum ex eis ad Accursij, mox Bartoli cõmentarios transeant, eosque referant, & ad uerbum penè explicent. quem morem tametsi pinguioris Mineruæ scholasticis nõ omnino inutilem credã, studiosis tamen nihil conducere arbitror: quòd uidelicet nimis longa D
hæc interpretatio in causa est, ut integro anno sex, aut rursus totidem leges, & non eo amplius exponantur. at non ita nos docuit in Digestorum procœmio Iustinianus, aut Vlpianus ipse, si dum prętorũ edicta declarat, eius exempla sequamur. quamobrem hinc factum est, ut cum ex pluribus responsis eadem notabilia colligantur, repetita toties crambe in causa sit, ut ingentia hæc in iure ciuili uolumina conscribantur: nemoque sit tam ieiunus & sterilis, qui non fluentisona hac (ut Lucretij uerbo utar) scaturigine quamplurimis uoluminibus exuberet. accedit his, quòd barbaris uocibus maxima quæque inculcantes, eademque sæpius referentes, dum cõmentorum triplicationes, quadruplicationesque, & expositionum nouas expositiones inducunt, ingentem librorum cumulum conficiunt, quòd si exemplo ueterum scriberetur, quos interpretes uix capit bibliotheca, enchiridion cõprenderet. Deum Opt. Max. testor, ea quę relaturi sumus cum à me ex hac recentiorum consuetudine scripta essent, sesquiuolumen occupasse, & nunc Latinè dicta uix breuissimum libellum implent.

Bonorum possessionis definitionem, tametsi nihil subinducamus, ueram esse, Iurisconsultumque optimè defendi: tum alia quædam responsa declarata secus, quàm ab alijs traditum sit. Cap. I.



BOnorum possessio est ius persequendi, retinendique patrimonij, siue eius rei, quæ cuiusque cum moritur, fuit [a]. Definitio hæc bonorum possessionis quamuis à Labeone, Vlpianóque Ureconsultis tradita sit, uulgò tamen tam malè accipitur, ut uel bonam illam definitionem non esse, uel aliqua illi addenda esse uerba, fateri necessarium sit: & cum conuenire etiam hæreditati uideatur, Accursius differentię causa adiungi debere existimat, non simpliciter ius, sed ius prætorium esse. quod tametsi Bartolus, Alexander, Corneus reprobent [b], nihil tamen adferunt, quo definitio hæc substineatur. Vt igitur huiusce rei ueritas prodeat, scire debemus, quotiescunque accidit ut aliquis moriatur, in demortui locum ante aditam hæreditatem quoddam ius succedere, quod defuncti personam refert: idque ius hære-

a l. iij. §. j. de bono. possess.

b in rubr. C. qui admi.

A ius hæreditatem dici, cum Bartolus autor est [c], tum alij penè omnes probant. acquiritur autem & ex lege XII. tabularum, ut in agnatis, & ex senatusconsultis, qualia sunt Orfitianum, Tertullianum, & id genus similia, plerunque ex constitutionibus principum: & hi omnes modi iuris ciuilis sunt. est & alius, qui iuris prætorij est (quamuis extra ordinem specialis casus, quando conceditur, dubitari soleat [d]) & ad possessionem bonorum petendam inductus est: & quamuis bona ipsa aliquis apprenderit, non tamen dicitur bonorum possessionem habere, donec prætorem adierit, & officio iudicis petat bon. poss. sibi decerni: & prætor decreuerit. est igitur bonorum possessio ius persequendi: quoniam qui officium iudicis implorat, persequi dicitur [e]. & huiusmodi petitio persequutio est, & extraordinaria actio, retinendique, quoniam tametsi bona ipsa retineamus, persequimur tamen, ut prætor decernat: & ideo copulatiua dictione usus est Iurisconsultus: quoniam quamuis retineat aliquis, necessarium tamen est, ut persequatur. nam si communem cæterorum sententiam probaremus, debuisset disiunctiua legislator uti, non ea coniunctione. & cum dici soleat bonam definitionem ex proprio, & genere, & differentijs constare [f], in hac ius ad genus, persequendi retinendique, ad differentias propriumque refertur. Nam per bonorum possessoriam hæreditatis petitionem si retinemus, non persequimur: & per hæreditatem neque nobis, quod habemus persequendi ius est: sed in bonorum possessione aliter est, cum etiamsi res possideamus, necessarium tamen sit iure ueteri decretum, quod nec mutatum esse defendi posset: licet in contrariam sententiam frequentius itum, superioribus libris ostenderimus [g]. Igitur in quacunque bonorum possessione, etiam propriè loquendo, hæreditatem adiri fortasse non falsò profitebimur: cum idem iure prætorio, bonorum possessio nobis acquirat, quod ius adeundi in ciuili lege. hinc Imperatores Diocletianus, Maximianusque Augusti, puberem agnoscentem bonorum possessionem, posteaquam ei fuerit hæreditas delata, pro hærede gerere non ambigi testantur [h]. quamobrem si quis
B ciuili aliqua sanctione hæreditatem adire prohibitus, coram prætore decretum interponente, adire se hæreditatē dixerit, rectè agnouisse eum bonorū possessionem, cū Fulgosio [i] crediderim: dicemusque adiuisse hunc hæreditatem propter bonorum possessionem, hoc est, ius adeundi, quod prætore autore concessum est. Sed quid si dicat uelle se hæredem fieri? & licet bonorum possessores loco hæredum sint, non tamen idem iuris esse, quod superiore casu arbitror: cum tametsi æquiparentur, bonorum tamen possessor hæres non sit [k]: nec enim sequitur, hæreditatem habet, ergo hæres est. & hanc definitionem ita intelligendam esse, etiam Bartolus existimauit [l]: sed quoniam obscuris admodum uerbis loquitur, posteriores ea non percipientes, aliter atque aliter declarauerunt: uariaque aduersus Iurisconsultum argumenta effinxerunt, ut antè nos natatore quopiam Delio (quod in prouerbio est) indigerent.

c in rubr. ff. de acqui. hæredi.
d §. septima. inst. de bon. pos.
e l. pecuniæ. §. persecutionis. de uerb. sig.
f in l. j. ff. de dolo.
g lib. ij. cap. xiij.
h l. puberem. C. de iur. delibe.
i in l. fi. C. qui adm.
k §. quos autem.
l in l. iij. de bon. pos.

Cur ex agnitione bonorum possessionis filiusfamiliâs non obligetur, noua ratio allata, cæteris confutatis: & quid sit uotum in iure ciuili. Cap. II.


CVr ex omnibus contractibus, præter mutuum & uotum, filiusfamiliâs obligatur, ex acquisitione bonorum possessionis non obligatur? an quòd huiuscemodi agnitio uoto, ut Bartolus ait, æquiparatur? cum ex sola uoluntate pendeat, & ut diximus, uotum non obliget: quod Paulo Castrensi, Alexandro, Aretino, Iasoni non uidetur [a], cum solo animo subsistat uotum. at in bonorū possessione etiam quædam facta requiruntur, ueluti ut uoluntas ipsa exprimatur, & ut decretum interponatur. sed hæc replicatio me parum mouerit, quoniam tametsi ea, quæ deo uouemus, nulla demonstratione egeant, cum is cordis scrutator sit [b], & mentem solam cōsideret: uota tamen, quorum in iure ciuili mentio est, aliam significationem habent. nam inter pollicitationem & uotum hoc interest, quòd illa promissio est simplex reipu. uel ciuitati facta: uotum uero dicitur, cum principi aliquid promittimus [c]: nam quamuis princeps se acceptare non profiteatur, ex uoto tamen obligamur, præterque si filijfamiliâs simus. Igitur cum uotum ex unius tantum contractu concipiatur, & in eo factum requiratur, hoc est uerborum promissio, potest dici ali

a in l. qui aliena. de acq. hæredi.
b xiij. q. v. si qd.
c l. si quis rem. §. uoto. de polli.

quam ſimilitudinem cum bonorum poſſeſſione hæreditateq; habere: cum huiuſce- C
modi aditio ſolum unius factum expetat, & declaratione animi opus ſit. ergo ab argumento recentiorum hoc pacto Bartolus defendi poteſt: quanquam non multum nobis arrideat, ut quoniam in aliquo ſimilis uoto ſit bonorum poſſeſſio, idcirco idem ius habeat. certè & contractus uoto ſimiles ſunt, & tamen diuerſa ſemita gradiuntur. an igitur uerius, quod Raphaël Comenſis, Ioannes ab Imola, Paulus & Alexander ipſi malunt[d]: id eſſe, quia filius ipſe, cum nihil ſibi acquirat, ſed patri omnia lucretur, æquum non fuit eum obligari, cum ſecundum naturam ſit, ad eum pertinere onera, cui emolumenta præſtantur. ſed hoc facili admodum, & uulgato argumento exploditur: nam cur non idem in contractibus, in quibus licet commoditatem patri filiusfamiliâs acquirat, ipſe tamen uinculo ciuili tenetur? an ergo quod Decius ſenior & Iaſon crediderunt[e], qui hæreditatem aiunt ius indiuiduum eſſe, nec pro parte acquiri poſſe? quamobrem cum pater totum ſibi emolumentum adipiſcatur, ad eum quoque, non ad filium obligationes, hæreditariaq; onera pertinere meritò debuerunt: ſed & contractus indiuidui ſunt[f], ut meritò à Decio iuniore confutentur. nam & ſi in oneribus hæreditarijs eorum ſententiam admiſerimus, non tamen quicquam oberit, quo minus filius ipſe ratione quaſi contractus, hoc eſt, aditionis per eum factæ, debuerit hæreditarijs creditoribus obligari: non ex ære alieno, quod teſtator debuit, ſed ex ſuo ipſius contractu: an uerò quod Aretinus autumat[g]? is tradidit filium non obligari: quoniam nihil ſibi acquirat, qui non ex ſe, ſed propter patrem adeat: nec in illo ius reſideat aliquod, ſed ſolum quædam adeundi facultas, quæ iuris non eſt. In iuribus igitur filiusfamiliâs obligatur, in ea facultate minimè; quia iuris non eſt, cum ius ipſum in patre reſideat, ſolumq; quod facti eſt, in filium tranſeat. ſed & hoc falſum ipſe putauerim, cum Iuriſconſultorum reſponſis traditum ſit[h], ius adeundi in ſeruorum filiorumq; perſona ſitum eſſe, quamuis in bonis dici non poſſit: quoniam ab aliorum iuſſu, patris uidelicet, uel domini robur omne dependeat: nam & ita Bartolus[i] frequenter ſcripſit, & alij D
eum imitati ſunt. Conuincitur enim expreſſa lege, poteſtatem eam adeundi non facti, ut Aretinus putauit, ſed iuris eſſe. nam etiamſi facultatem eam facti dixerimus, cur nõ idem iuris eſſet in contractibus, qui facti eſſe putantur[k]? an itaque uerior Decij iunioris ratio[l]? qui filium adire pro patre ait, & ideo id non agere ut ſe obliget, quamobrem præter uoluntatem ſuam obligatus dici non debet[m], uerùm (te appello Deci) cur non & in contractibus idem præſumimus, cum eorum commoditas ad patrem deuoluatur? quòd ſi obligarentur in aditione filij, certè præter eorum intentionem id factum credibile non eſt, cum & ſcire leges præſumantur[n], & illarum diſpoſitionibus contractibus ſuis obſequi[o]. Quid igitur dicendum eſt? ipſe aut à Bartolo minimè diſcedam, aut non idem iuris creditoribus hæreditarijs, quorum opera in aditione neceſſaria non eſt, acquiri dixero, quod in contractibus ipſi, qui cum filiofamiliâs contrahit, ex cuius perſona ſubſtantiam contractus capit: in his ergo obligatur, in illo non obligatur. ſolet enim ex Accurſio[p] tradi, factum, in quo quiſquam uerſatur, longè efficacius eſſe, quàm quod nil agenti per alios quæratur.

d in d.l. q aliena.
e in l. iuris. C. qui admi. Iaſ. in l. j. eo. tit.
f l. ſi quis aliam. de ſol.
g d. l. qui aliena.
h l. pretia. ad legem fal.
i in d. l. pretia. in l. fi. C. de pa. in l. is poteſt. de acq. hæred. in l. nec em. de li. leg.
k l. conſilio. de cur. fu.
l in d. l. j.
m l. non omnis. ſi cer. pet.
n l. leges. C. de leg
o l. quidam. de uer obl.
p l. j. C. ſi ad uẽd.

Materna bona ad filiosfamiliâs iure digeſtorum ratione dominij pertinuiſſe: firmiſſimiſq; id rationibus defendi, licet contraria opinentur Doctores. Cap. III.



IVris ueteris regula eſt, quicquid filiusfamiliâs lucretur, patris eius fieri[a]: quod iure digeſtorum etiam in omni aduentitio peculio uerum eſſe exiſtimauerunt. quamobrem bona materna quamuis ad filios deuoluerentur, ubi tamen ab eis adita eſſet hæreditas, ſtatim patri quærebantur. quod cum nimis rigidum eſſe imperatori Conſtantino uiſum eſſet, is lege lata ſanxit, ut filiorum quidem dominium eſſet, patri autem uſusfructus in illis bonis relinqueretur: & ita eſſe Accurſij, Bartoli, cæterorumq; communiter calculo probatum eſt[b]: at non Riciardo Malumbri ita uiſum fuit, qui idem ante Conſtantinum de iure digeſtorum fuiſſe ſcribit: cuius ſententiam nemini non reprobatam, ipſi nos probamus.

a l. placet. de acqui. hæred.
b in l. j. C. q adm.

A bamus, & tam ueram esse opinamur, quàm quæ maximè est; & pluribus legibus probari iamiam demonstrabimus; & in primis in tractatu de inofficioso testamento Iurisconsulti Pauli autoritate substinetur[c]: qui si pater inofficiosum uxoris suæ testamentum dicat, uictoriæ commodum filio parare eum tradit. nam quis Iurisconsultum intellexisse solū de iure adeundi meritò interpretetur, ut Bartolus facit? quid enim commodi in eo est, si statim, ubi filius adijt, integrum ius in illis bonis patri quæritur[d]? patris utique, non filij commodum est, qui ipse pleno iure fruitur. utilitatem enim, quæ nec momento apud filium resideat, non considerari, uulgo notum est[e]: nam & cum illis uerbis patrem Iurisconsultus ratione utilitatis prætereat, & filio commodum quæri testetur, quàm quæso absurdum est, eum illis uerbis exclusum accipere, qui semper fruetur: & eum nominare, qui nec momento dominus futurus sit? sed & longè clarius pro nobis est Caius iuris autor, qui in titulo ad Tertullianum[f]: Sacratissimi, inquit, imperatoris nostri oratione cauetur, ut intestatæ matris hæreditas ad filiumfamiliâs, tametsi in aliena potestate est, pertineat. quæ uerba si ab his Doctoribus annotata fuissent (primus enim ipse, ut opinor, responsum id animaduerti) certè nemo non hanc iuisset in sententiam, quæ eo uerborum contextu pluribus modis probatur: tum quòd uerba cum effectu accipienda sunt, tum quòd minimè pertinere creditur, quod momento pertinet[g]. adde quod & Bartolus, pertinere, inquit, ad nos ea res dicitur, quæ nostram utilitatem spectat. si enim aliorum opinionem sequeremur, nulla esset filio utilitas, nec aliquod commodum, nisi fortasse spes quædam succedendi in patrijs bonis, quam iure ciuili reprobatam, nec considerandam sæpissime Bartolus scripsit, & alij consenserunt[h]. nam & si acquiri filio huiusmodi bona & deinde patri, unà cum alijs senserimus, Iurisconsultus ineptè locutus esset. cur enim dicat sacratissimi principis oratione cautum quod ante eum Orfitiano senatusconsulto traditum erat? quòd si exemplo Iustiniani docemur, nefas esse aliquem legum à se latarum titulo defraudari, nónne

B impudenter à Iurisconsulto factum esset[i]? qui quod Orfitiano tribuendum fuerat, principis orationi adscribit. nam & Iulius Capitolinus, summæ fidei historicus, in Marci Antonini philosophi, & imperatoris uita, eum de bonis maternis legem tulisse autor est, ut dubio procul apud me sit, sacratissimum hunc principem esse, cuius Iurisconsultus mentionem fecerit: eius enim orationibus alia quoque cauta esse, alibi ex digestorum uolumine apparet: quale illud, ne transactio in alimentis admittatur[k], & si qua similia. & si hanc opinionem sequamur, respondendum erit duobus argumentis, quorum primum ex Iuliani responso deducitur[l], is in tractatu, si quis omissa causa testamenti, tradit, si in bonis maternis nomine filij pater bonorum possessionem petierit, & aduersus edictum committat, in patrem legatorū actionem dandam: sed cum lex illa ante Marcum Antoninum ædita sit, eo iure bona omnia patri quærebantur. Iulianus enim in consilio fuit Hadriani imperatoris, qui diui Marci auus fuit, quod apud Aelium Spartianum in Hadriano relatū est. sed & dicere possumus, ex eo Iuliani responso nihil in nos probari, cum in eo nil sit quo exprimatur, hæreditatem patri acquiri: nam quamuis nomine filij bonorum possessionem adierit, possumus interpretare adijsse eius mandato, cum bonorum possessio per procuratorem agnosci possit[m]. & quamuis in patrem actio legatorum detur, ita dari fateamur, non tanquam in dominum, sed uti aduersus procuratorem, priusquam rem ratam filius habuerit[n]. nam si communes interpretationes ibi traditas sequamur, necessarium erit ariolando subinducere, rem ratam à filio habitam, de qua re in textu uerbum nullum. Secundum quod nobis aduersari uidetur, est argumentum quod ex contrario legis sensu conficitur: etenim probari uidetur in bonis maternis iussum patris nepotes, qui in aui potestate erant, requæsiuisse[o], ut hæreditatem adirent, quamobrem nihil actum esse: quòd si aui iussionem implorassent, auo acquiri: quod ex Riciardi opinione ego interpretor, acquiri ratione ususfructus, non tamen quicquam iure dominij ad eum transire. acquiri enim etiam illud dicitur, quod ratione traditionis tantum acquiritur[p]: quod & in uerbo accipere plerunque annotauimus. Igitur nihil obest, quin nostra hæc opinio probabilis sit, quæ duabus quoque Cæsarum constitutionibus adiuuatur, quarum prior[q]: bonorum, in-

c *l. filius. de inof. testa.*
d *in l. iij. §. item si quis. de leg. pr.*
e *l. fi. C. de bon. quæ lib.*
f *l. pe. ad Tert.*
g *in l. si quis. §. pertinere. ff. de eden.*
h *in l. fi. C. de pac.*
i *in l. ij. §. tanta. C. de uet. iur. enu.*
k *l. cū hi. de transf.*
l *l. si filius meus.*
m *l. Paulus. de acqui. hæred.*
n *argu. l. filiusfa. de procur.*
o *l. j. C. de bon. mat. l. filiusfa. de acqui. hæredi.*
p *in l. naturalis. de præscr. uer. in prin.*
q *l. j C. qui adm.*

quit, possessio etiam emolumentum patri allatura: ut implicatiua illa particula ostendat aliquam bonorum possessionem esse, quæ emolumentũ patri non adfert. sed quoniam uarijs responsionibus argumentum id eliditur, posterior constitutio, quæ Iustiniani principis est [r], paulò ualidius impellit, qui, in ueteris, inquit, iuris obseruatione multas esse res animaduertimus, quæ extrinsecus ad filiosfamiliâs ueniunt, & minimè patribus acquiruntur: quemadmodum in maternis bonis. quid enim magis propriè ius uetus interpretabimur, quàm digestorum, cum huiusmodi ita soleat à Iustiniano appellari [s]? Non me latet pro communi sententia induci posse suprascriptum Pauli, uel ut alij codices habent, Triphonij libro disputationum VII. responsum, si dum in eo dicitur, alij commodum uictoriæ parari, non alij, sed illi legatur: intelligamusq; de filio accusante loqui Iurisconsultum, non de patre. sed contra hanc lectionem omnium antiquorum codicum, quos equidem uiderim, fides est; negari tamen non potest, controuersi iuris articulum hunc esse.

r in l. cum oportet. C. de bon. quæ li. in prim.

s d. l. filius.

Qui iure ciuili præscriptione XXX. annorũ legitima hæreditate excluditur, num uti cognatus tantundem temporis habeat: & qui iuri ciuili renunciauit, num ex cap. unde legitimi succedat: & an bon. pos. unde cognati, hodie sublata sit. Cap. IIII.



CVm tres gradus in successionibus prętor fecerit, liberorum, legitimorum, & cognatorum: & quamuis ab uno quisquam exclusus sit, nihilo tamen minus ex alio capite succedere eum permiserit [a], dubitatum est, num idem iure ciuili sit, ut si filiusfamiliâs per præscriptionem XXX. annorum ab hæreditate patris repellat̃, possit dein uti agnatus admitti, uel XXX. alijs annis transactis, tanquam cognatus hæreditatem capere. & in facti quæstione interrogatus Bartolus, posse respondit [b], quem Baldus, deinde & Alexander [c], cæteriq; probauerunt: nemoq; in præsentem diem animaduertit, inter consilia Bartoli Franciscum Tigrinum contraria opinatum [d]: quam sententiam audacter aduersus aliorũ rationes tuetur. Siquidem quamuis iure prætorio tria hæc capita constituta sint, ut omisso uno, alterum supersit, non tamen id considerari iure ciuili credit, quòd filio tantum hęreditatem defert: non quidem, ut agnato cognatóue, sed solum uti filio. alioqui iure ciuili emancipatus, uti cognatus admitteret̃, quod falsum est [e]: sed omnino magis noua quædam in eo consilio opinatũ Tigrinum animaduerti: nam cum nouissimo iure differentia agnationis, cognationisq; sublata sit, eum qui à capite, unde legitimi uocant̃, exclusus sit, uti cognatũ quoq; repelli existimauit, correctaq; in hoc uetera iura, quibus simul differentes hi successionũ modi credebant̃: quod & in amplioribus cõmentarijs Angelum sensisse quandoq; annotaui [f]. Sed hæc posterior opinio haudquaquã mihi defendi posse existimat̃: nam cum lex, qua huiusmodi agnatorũ cognatorũq; differentia sublata est, idcirco sit promulgata, ut latior uia in successionibus esset [g]: cur cõtrarium effectũ hoc casu operari debeat [h], non uideo: pręsertim cum differentia ibi tollat̃, quę inter unũ qui cognatus, & alium qui agnatus esset, habebat̃. quod ergo in diuersis personis statuitur, in eadem extendendum nõ est [i]: cum in correctorijs, quæ lex in simplicibus loquitur, ad casum mixtum trahi nõ debeat, sed & cum capita hæc ex iure pętorio inducta sint, lex ciuilis solum conformis disciplinę respectu correxisse existimanda est, non propter edictum prætoris [k]. Cum enim diuersa sint, alterũ alteri nil conferre potius credendum est, nisi expressim res constet. sed & dubium est, si agnatus aliquis, qui iure ciuili admitteretur, repudiauerit, num ex lege prætoria per caput, unde legitimi uocantur, hęreditatem queat adipisci [l]? & ex Bartoli uerbis posse dicendum est, dum eum qui senatusconsulti Orfitiani beneficio renunciauit, non habere bon. pos. legitimis concessam arbitratus est: sed hæc sententia omnibus suffragijs reijcitur [m], quam tamen nos esse probabilem existimamus. Nam cum prætor his bon. pos. unde legitimi uocantur cõcedat, qui ex lege XII. tab. uel constitutione uel senatusconsulto uocant̃ [n]; & qui semel repudiauerit non uocetur: consequens est, ut nec bono. pos. illi cõpetat. connexæ enim sunt, bon. pos. unde legitimi uocant̃, & iure ciuili hæreditas [o]; quamobrem una sublata, tolli quoq;

a l. i. §. quibus. de success. edict.

b consil. cxxix. quidam habuit.

c in l. ij. de acqui. hæred.

d consil. clviij. prædictæ rationes.

e §. emancipati. insti. de succ. ab inte.

f Ang. in repe. l. qui se patris. in ij. col. infra. unde libe.

g in auth. de success. ab inte. in princi.

h arg. l. legitta generaliter. de adi. lega.

i l. si ita. de iniu. rup. Mod. in §. & qd si tantũ.

k §. repeti. insti. de seru. cog.

l uide Alex. in l. fi. C. unde legi.

m in l. j. C. quando non pe. pa.

n l. generaliter. unde leg.

o l. ij. §. pa. unde le.

A quocꝫ aliam uerisimile est[p].nam & Accursius[q],licet obscuris uerbis,tamen pro nobis est,dum filium qui bon.pos.unde liberi uocantur repudiauerit,ita demũ sibi ipsi succedere tanquam legitimũ tradit, si iure ciuili uiam adhuc habet. & hoc est quod dicitur, cessante legitima successione non admittendum.& quamuis alibi prætor se admittere testetur eum,qui iure ciuili hæres esse potuerit[r], intelligendum est, & etiam in præsentiarum possit, quod ex eius sequentibus uerbis colligi potest: nec obstat regula iuris, quoties ex duplici iure quisquam uocatur, uno repudiato aliud superesse[s]: quoniam eam tunc ueritate niti crediderim, cum altera uia alteram non respicit: quod in casu nostro non est,cum in huiusmodi connexis utruncꝫ simul tollatur. & hæc sic defendi posse opinor, ut tamen in filio qui in potestate morientis fuerit, nullum locum sibi uendicent: quoniam is tametsi iure ciuili remotus sit, tamen tria capita adhuc ex iure prætorio illi remanebunt[t],nimirum quia hoc casu sese hæc iura ex edicto non respectant.

p in translato de constitu.
q in d.l.j.
r in d.§.fi.
s l.quoties.
t l.j. §.nunc uidendum.de suc. edi.

Quid in causa sit,ut hęreditas non adita non transmittatur,reiectæ aliorum rationes,& noua assignatur. Cap. V.



CVr nondum adita hæreditas non transmittitur? Cum huius rei tres rationes assignarentur, clarissimus legum interpres Iason falsas esse eas existimauit[a]: atcꝫ ita confutauit,ut nemini dubium foret,quin ea quæ dixerat, quamuerissima essent. quamobrem ipse in huius rei causa esse arbitratus est,quoniam ius adeundi in bonis nostris non est[b]:&idcirco ad nostrum hæredem illud transmitti,iuris regula prohibemur[c]. uerùm uideamus,nũ uera sit hæc ratio:siquidem nequaquam ueram esse,semper opinatus sum,& quandocꝫ disputaui: ius enim adeundi esse in bonis nostris existimauerim: & huiuscemodi hæreditatis capescendæ spem iure ciuili probabilem esse,ex Bartoli uerbis annotaui[d]:is tradidit eam spem,cuius euentus in nostra uoluntate cõsistit ratione nostri,non aliter,quàm si re fru
B eremur,cõsiderari: cũ, si nos uelimus,res omnino exitũ habitura sit: quòd si ex alterius animo finis dependeat,tunc secus esse[e].quapropter si seruo uel filiofamiliâs hæreditas delata sit,antequam adeant, dominus uel pater spem iustam in illis bonis non habent. quoniam seruus uel filius ut adeant, cogi non possunt[f], cum quamuis iubente domino posse eos,nolle adire, Alexandri cõstitutione clarũ sit.sed cum hæreditas ipsis agnatis, uel liberis hominibus scriptis in testamento defertur (qualis est nostræ quæstionis casus) tunc spes illa approbatur, & ius adeundi in bonis eorum esse constat[g], cum & de huiusmodi spe idem iuris esse,quod de ipsa re,ueterum autoritate doceamur,&Bartolus ipse quibusdam exemplis ostenderit:ueluti dum post mortem legitimũ rescripto fieri spuriũ non posse, indistinctè scripsit[h], quoniam agnatis præiudiciũ fieret: quamuis enim nondum adita hæreditas sit,iustè tamen sperant se adituros,& idem obseruat atcꝫ si adijssent:quin &idem,iustam spem habere eum cui fidei commissaria hæreditas debeat,autumat,&non aliter iudicari,quàm si ea iam restituta esset[i].nam & si domino relicta sit hæreditas, si seruum manumiserit, & seruus occisus sit, ex Iuliano[k] traditum est, per Aquiliam legem non æstimationem solum serui, sed &hæreditatis eius causa amissæ domino restitui,ut expressim constet, spem illam probabilem fuisse, &in bonis domini illud ius ante manumissionẽ saltem legis dispositione extitisse. Igitur minimè admittendum puto Iasonem, dum ius id adeundi in bonis nostris esse abnegat,præsertim cum allegata ab eo lex, nõ rectè percepta sit, sed sententiam nostram ex Bartoli declaratione tueatur: quamobrem huiusce rei aliam rationem esse arbitror. Scire itacꝫ debemus, hæreditates in eius personam deferri, quem testator elegerit: qua de causa si is ab humanis decesserit[l],integra re non debet hæreditas,eius hæredi concedi,quem testator ipse non nouit. fingamus, me tibi mandare, ut centum Titio des,poteris ne alteri dare? minimè uerò,cum mandati fines sedulò obseruari deceat[m]. nam &dispositio, quæ unius mentionẽ facit, etiam in fauorabilibus,ad alium tamen trahenda non est[n]. Item & quod alicui in beneficium uel propter merita conceditur,personam non egredi testatum manet[o].in contractibus quocꝫ ius acceptandi in hæredem non transire eadem ratione proditum est[p]. Igitur cum quis institutus est, & illi delata est hæreditas, si

a in l. emancipata. C.qui ad.
b l. precia. ad legem fal.
c l. reperitur. eo.tit.
d in l.fi. C.de pa.
e d.l.precia.
f l.cũ proponas. C.de hæ. insti.
g Io.And.in c.iuris igno. de re. iur. Aretin. consil.vij.in ulti.col.
h in §. & quid si tantum.
i in §. duo fratres. facit quod no. in l. qui duos.in pe. col.de reb. dubijs.
k l. inde Neratius. §. idẽ Iulia. ad leg. Aquil.
l d.l.precia.
m ut nota.in l.pe. ff.si cert.pet.
n l. Titius.ubi Aret. de libe. & posthu.
o l.merito pro socio.
p l.iij.de ser.expor.

interim moritur, ad hęredem non transmittit: quoniam ea præsumitur instituentis uoluntas esse, ut is quem instituit habeat, non quispiam alius. quocirca felicissimi imperatores Theodosius & Valentinianus, si ante apertas parentum tabellas filij decessissent, ad liberos hæreditatem transmittere eos posse sanxerunt[q], ne ob casus humanos aui hæreditate nepotes fraudarentur, & aduersum auitum desiderium alij insperato hæreditatis commodo fruerentur. en igitur quemadmodum defuncti ipsius præsumpta uoluntas transmissionem uel locum habere suadet, uel uetat: siquidem & Baldus, Iasonq; & Socinus[r] causam cur legata transmitterentur, non aliam tradunt, quàm testatoris uoluntatem: & id tertiæ legis argumento, quæ in digestis de leg. j. est. si igitur in legatis ita est, cur non idem in hæreditate esse afferamus? nam etiam ius bonorum possessionem contra tabulas implorandi, Baldus, Corneus, Alexander non transmitti existimarunt[s]: quod idcirco esse interpretor, quoniam ea persecutio aduersatur testatori, & contra auitum desiderium est. quilibet ergo suus hæres transmittit, cum is credatur patris animus esse, ut transmittat: itemq; quoniam is ipso iure est hæres. quòd si illi substitutum esse additum proponatur, nulla fit transmissio[t], cum ius illud suorum hæredum tollatur, unde testatoris mens aduersari præsumitur: sed & in infante idem dicendum est, cum non modicus amor testatoris erga infantis parentem uideatur, qui illi per filium acquiri uolebat[u]. Concludendum igitur, transmissionem non fieri: quoniam instituentis mens regulariter ea præsumitur, ut illi quem instituit solum esse consultum uelit. fiet ergo transmissio, cum uoluntas hæc ad instituentis hæredes porrigitur, ut in superioribus casibus: sed & cum hæres institutus constitutionum beneficio annum habeat ad deliberandum, si interim moriatur etiam transmittet[x]: tum ne legis autoritate fraudatus uideatur, tum quod uerisimile est, hæredem institutum, si uixisset aditurum fuisse. nam & quotiescunque hæres uel ex facto alterius, uel pœnæ alicuius timore impeditus non adit, transmittere eum delatam hæreditatem & æquum est, & Bartolo, cæterisq; uidetur[y]. sicuti & infans non suprascripta tantum ratione transmittit, sed etiam quia ob ætatem occupatum uerisimile est, cum facultas adfuisset, aditurum fuisse. & si hanc rationem admiserimus, solum illud aduersabitur, quòd ea ratione obseruata, uniuersale fideicommissi ius nõ trasmitteretur, cum tamen communi cæteris sententia Bartolus transmitti autor sit[z]. uerùm efficacibus argumentis opinio hæc non substinetur, ut Lancellotus, Decius & Iason asseruerunt. & ideo Accursius nunquam transmitti ubique censuit, quòd etiam si frequentiora sectemur, dicendum est, idcirco transmitti, quoniam hæres qui adijt semel ratione spei uerè obligatus est[a]. quoniam hæres adeundo uidetur cum fideicommissarijs contraxisse, eóque nomine illis obligatus est. at in directa hæreditate, ante aditam nemo obligatur. quæsitum enim aliquod ius in causa est, ut in fideicommissarij hæredem fideicommissum transeat, ueluti indistinctè uidemus, ubi ab hærede adita hæreditas est, etiamsi in continenti moriatur, tamen omnia transferri, quoniam eius patrimonium factum est, plenumq; ius illi acquisitum[b].

q l. unica. C. si ante aper. ta.
r l. iij. de le. j.
s d. l. emãcipata.
t l. si filius qui patri. ff. de uulg. & pu.
u l. si infanti. C. de iure delibe.
x l. cum antiquioribus. C. e.
y in l. uentre. ff. de acqui. hære.
z in l. cum filio. de lega. j.
a l. j. ad Trebel.
b l. sed & si plures. §. filio. de uulg.

In bonorum possessione cur præsentia iudicis necessaria sit, non in hæreditate. Cap. VI.



CVr in acquirenda bonorũ possessione necessariò præsentia iudicis requiritur, in hæreditate non requiritur? Iason treis huiusce rei rationes refert[a], & satis firmis argumentationibus reprobat. Ipse uerò in causa esse opinat: quoniam nullo iure quisquam sola uoluntate obligatur, præterquã ciuili iure. quamobrem cum hæreditatis aditio de iure ciuili sit, ex solo hæredis animo oritur obligatio: at bonorum possessio iuris prætorij est, quod in obligatione aliquid ulterius præter mentem, mentisq; expressionẽ expetit. sed hæc ratio multipliciter conuincitur: quo enim argumento probabit Iason, iure ciuili tantum ex sola uoluntate aliquem obligari? nam iure pontificio ex uoto quilibet obligatur[b], quod solius mentis opere consistit. Idem quoq; iure prætorio dicendum est, si prætoris in bonorum possessione decretum, solam confirmationem respicere, non autem aliquid noui inducere crediderimus

a in l. fi. C. qui admi.
b extra de uot.

crediderimus. decretum enim iudicis autoritas est ab eo interposita[c], autoritas autem nihil nouat, solum rem gestam confirmat[d]: quamobrem etiam re transacta interponi potest[e]. nam & confirmatione ius denuo inductum non facere, ex Baldi[f], aliorumque responsis plusquam manifestum est. Si igitur bonorum possessionem animo acquiri, decretoque confirmari dixerimus, quæ Bulgarini & Decij sententia esse uidetur, totum Iasonis fundamentum corruit: nam & hæc ratio quæstionis ipsius cardinem non attingit. admittamus Iasonis pronunciata uera esse, cur à iuris autoribus inductum nõ est, ut in bonorum possessione quis obligaretur, si aliquid aliud extrinsecus ab eo factum esset: puta si conuentum cum creditoribus hæreditarijs proponeretur: nam etsi eius dicta probauerimus, in bonorum possessionibus, quæ ciuili iure conceduntur, qualis est septima illa extraordinaria[g], præsentia iudicis opus non esset: quod falsum puto, cum generaliter dicatur, in bonorum possessione qualemqualem testatione sufficere. quid ergo dicendum est? & uix posse ueram ratione excogitari crediderim: attamen si suasorijs locus est, dixerim, in bonorum possessionibus decretum necessarium fuisse: quoniam prætor eas introduxit, uoluitque in eis paulò maiore diligentia uti, quod ius ciuile non fecit, cum decretum non in suo, sed in prætoris ære propriè esset. Nam & Baldus Iacobusque Butricarius, & Nicolaus à Neapoli[h], cum quæreretur, cur ius ciuile cum stipulationem adiuuasset, ut actionem pareret, prætor pactum nullo auxilio prosequi uoluit: quia (responderunt) stipulatio à ciuili, pactum à gentium iure inuentum est: plus autem pullos nostros quàm alienos fouemus. His accedit, quòd ius dandæ bonorum possessionis mixti imperij est: quapropter omne ab arbitrio prætoris descendit: quod alibi à nobis tractatum est[i].

c l. j. C. de præ. mi. cum rubr.
d C. quando dec. opus.
e l. si quis mihi b. §. iussum. de acquir. hæred.
f in l. qui indign. de sen. doct. in l. more. de iuris. om iudi.
g §. septima. institu. eo.
h in §. de constitu. inst. de act.
i l. v. de uer. obl.

Quanta differentia sit inter iustam hæreditatem & legitimam: pugnantia simul iura à duello exempta, tum error recentiorum ex Latinæ linguę ignoratione. Cap. VII.



I quisquam emphyteoticarium fidei causa agrum stipulatus sibi sit, & suis hæredibus legitimis, tractatũ est, an de hæredibus ex testamento, an uerò de his qui intestato succedunt, actum uideatur. & dubio procul eminentissimus in hac sciẽtia Alexander[a] interrogatus, eos solum intelligendos respondit, qui intestato succedunt: quoniam hi propriè legitimi hæredes dicuntur: opinionisque suæ illud argumentum adfert, quòd in titulo pro socio[b] hæc Iurisconsulti uerba leguntur: de illo quæritur, si ita societas coita sit, ut si qua iusta hæreditas alterutri obuenerit, communis sit: quæritur quid sit iusta hæreditas, utrum quæ iure legitimo obuenit, an etiam quæ ex testamento: & probabilius est, ad legitimã hæreditatẽ tantum hoc pertinere. Ex his igitur probari Alexander putauit, legitimam hæreditatem propriè dici, quę ab intestato debetur: non enim differentia est, an iustum siue legitimũ dicamus, cum hoc à lege, illud à iure, quod idem est, proueniat. sed huic sententiæ de uerborum significatione Iurisconsultus Paulus aduersatur[c], qui lege obuenire hæreditatem, inquit, non impropriè quis dixerit, quæ ex testamento defertur. & quomodo hæc dissoluantur, simulque non repugnent, maiores nostri ut explorarent diu & multum se fatigauerunt. Fulgosius non impropriè in prædicta lege interpretatur, id est minus propriè: quæ interpretatio commendatione non indiget: sese enim ostendit, maximamque prę se fert calumniã. Bartolus & Albericus Rosatus[d], cum explоratũ haberent, ex distinctionibus subdistinctiunculisque nullum nõ argumentũ euitari: aut, inquiunt, hæreditas legitima à lege profertur, & propriè utranque significationem habet, aut ab homine, & eius appellatione ea solum uenit, quæ ab intestato debetur. Huius rei rationẽ eam esse, quoniã quæ ab intestato capitur, continenter ex lege capitur: sed alio casu non confestim ex lege, sed ex testamento debetur, quod tamen ope legis ualet. uerùm meræ nugæ hæc sunt: nam si appellatione hæreditatis legitimæ, in legũ uerbis ea uenit quę ex testamento conceditur, cur nõ & in uerbis contrahentiũ idem esse dicamus? num ualet argumentũ de lege ad cõtractus? num licet eisdẽ nos uti uocabulis, in eodem significatu quo & Iurisconsulti accipiunt[e]? num cõtrahentes uerba accõmo-

a cõsil. lvj. secundo uolu.
b l. iij. pro socio.
c l. lege. ff. de uerbo. sig.
d in d. l. lege.
e Bal. in feud.

dare, sicut & sensum dispositionibus legum uidentur? nónne legitimum dicitur, quod C
quoquo modo à lege uires capit? quid ni? cum legitima conuentio sit, & quidem pro-
priè[f], quæ ex partium contractu concepta est, & non continenter à lege uenit[g]. quis
enim credat, ex his argutiolis proprietatem uerbo abalienari? ut quoniam à testamen-
to descendit, legitima non sit. Sed & præceptores nostri corruptũ codicem arbitraban
tur, & apud Iurisconsultum legi debere credebant, hæreditatẽ quæ ex testamento de-
fertur, non propriè legitimam esse: quod & ridiculum est, & alijs legibus rationéque
uincitur: cur enim propriè legitima dici non debet, cum legitimam tutelam[h], legitimã
conuentionem dicamus? deniq; omne legitimũ, quod autoritate legis factum est? Sed
ut rem ipse finiam, ex Latinæ linguæ imperitia hanc quæstionem non decisam adhuc
esse proculdubio existimo, ut tametsi rudiores, planeq; barbari quidam iuris sectatores
necessarias bonas literas Iurisperito non esse prædicent: minimè tamen ille prædicatu
rus sit, qui ex Alexandri imperitia propter eius consultationẽ iniquum iudicium susce-
perit. Igitur sciendum est, iustum nõ simpliciter dicit, quod à iure prouenit, sicut quod
à lege legitimum, sed eo amplius dictio hæc eam habet emphasim, ut illud significet
quod omni ex parte perfectum est, & cui ad rem, de qua agitur, nihil deest. Hinc apud
T. Liuium, historiæ grauissimum autorem, iustum prælium, non quòd leue certamen
sit, sed in quo omne prælij pondus uertatur. exempla ex humanioris literaturæ autori-
bus in hanc rem adducit GVLIELMVS BVDAEVS, uir doctus & diligens,
dum id ipsum in nostra lege interpretat̃. Sed & in Apologia II. Apuleius de patruo,
qui fratris filio insidiabatur, ut hæres ei esset: sciebat, inquit, intestati pueri legitimũ ma
gis, quàm iustum hæredem se futurum: iustus enim nõ erat hæres, quoniam indignus
propter demerita. cæterum nostri muneris fuerit, ostendere, idem quoq; legibus Rò.
probari: & in primis, testamentũ, inquit Iuriscõsultus[i], est uoluntatis nostræ iusta sen
tentia de eo quod quis post mortem suam fieri uoluit: intelligemus'ne iustam, id est, le
gitimam? minimè uerò. nam & codicilli legitimam sententiã continent, ineptaq; esset D
ipsa definitio. quamobrem iustam interpretare plenã, perfectam, & cui maior diligen-
tia addi non possit. Fingamus puerum ex filiafamiliâs natum, quæ inscio patre nupsit,
si is moriatur priusquam sententiam suam de matrimonio proferat, erit'ne legitimus in
fans? certè erit, & tamen iustus filius non erit[k]. In confesso est, natos ex cõcubina pri-
usquam in uxorem ducta, secuto matrimonio legitimos dici, num & iustos filios pro-
priè appellabimus? & non appellari crediderim, cum Iustinianus: debent[l], inquit, filij
qui post concubinæ nuptias nascuntur, fratribus prius natis agere gratias, quorum be
neficio ipsi sunt iusti filij. nam & iusta uxor Iurisconsultis dicitur[m], quæ uerè uxor, &
perquam solenniter ducta est, non quæ simplici sponsione uxor est, tametsi legitima
sit: qua ratione & Iurisconsultus[n] tolli naturalem obligationem iusto pacto dixit, ni-
mirum illud sentiens, quod uulgò pactum uestitum appellamus. itaque ut ad rem re
deamus, iustam hæreditatem iuris autor definiuit, quæ ab intestato capitur: quoniam
ea non ex lege solum, sed & naturali ratione, ex bono & æquo debetur. Meritò igitur
iusta appellatur, id est, quam omni iure præstari conuenit, quod in hæreditate non est,
quæ ex testamento debetur, quæ casu quodam defertur, & plerunq; ad extraneos per-
tinet. Legitimam ergo hæreditatem propriè appellabimus, tam quę ab intestato, quàm
quæ ex testamento capitur: nec obstant ea legis uerba: & probabilius est, ad legitimam
hæreditatem tantum pertinere: quoniam quamuis simpliciter appellatione legitimæ
hæreditatis utraque ueniat, cum tamen superius Iurisconsultus locutus sit de ea, quæ
ex testamento obuenit, & ex altera sermonis parte ostenderit se non generaliter illud
nomen accipere, sed solum pro ea quam iustam diximus, ex Iurisconsulti mente, in
una tantum significatione capi debet[o]: nam & solemus dicere, unam partem disiun-
ctiuæ ex alia declarari; item alioqui generalia uerba ex præcedentibus, uel sequenti-
bus coërceri[p].

f *l. legitima. de pact.*
g *per nota. per Bar. in l. more. ff. de iur. omn. iud.*
h *ff. de le. ag. tur.*
i *in l. j. de test.*
k *l. quinta. C. de nup. glos. in l. libertini. & tex. in l. Paulus. ff. de sta. ho.*
l *in l. cum quis. §. j. C. de natu. libe.*
m *in l. si uxor. ff. ad l. Iul. de adulte.*
n *l. stichum. §. natural. ff. de so.*
o *l. j. de reb. dub.*
p *l. si seruus plurium. de le. j.*

Qua ratione

Qua ratione ius accrescendi introductum sit, & num ex tacita defuncti uoluntate oriatur. Cap. VIII.



Vit quæstionis, qua ratione accrescendi ius fuerit inductum: & communiter dici solet, ex iuris regula id euenisse, qua prohibetur aliquẽ pro parte testatum, pro alia intestatum esse. igitur ne id accideret, prouisum est, ut quæ hæreditatis portio uel repudiatione, uel morte hæredis uacaret, ad cohæredem per ius accrescendi transferretur: quam rationem quatuor argumẽtis confutauit Iason [a]. uideamus an defendi possit: & primo ab eo adducitur ius accrescendi, non in causa testamenti solum, sed etiam in succedentibus intestato locũ habere: & tamen hoc casu nemo dixerit, eam iuris regulam quicquã operari, cum omni modo semper mortuus, de cuius hæreditate agitur, intestatus remaneat. Sed huic argumento ex iuniorum quorundam sententia dici posset, eum qui nullo cõdito testamento moritur, tacita uoluntate id agere, ut hæreditas ad proximiores deuoluatur: tacita autem hæc uoluntas pro quodam quasi testamento est [b]: quamobrem si iuri accrescendi locus non esset, portio repudiata illi accederet, quem minimè testator habere uolebat. Verùm haudquaquã ego concesserim, regulam iuris, quæ de testamento loquitur, ad causam intestati produci, tanquam tacita hæc uoluntas pro testamento sit. consequẽs enim esset, quamlibet dispositionem de testamento uerba facientem, ad intestatos trahi: quod nimis nouum est. quam ob causam aliter nos opinamur, suprascriptam uidelicet rationem in testamentis ius accrescendi induxisse: at in intestatorum successione aliam regulam, quòd uidelicet iuribus absurdum existimatur, si quisquam scissa hæreditate, portionem unam accipiat, aliam repudiet [c]. qui enim intestato succedunt, legis iussu cõiuncti, per ius potius non decrescendi succedere uidentur, tanꝗ principio solidum adeunti quæsitũ sit, quamobrẽ inuitis quoq; crescit. Secundum, quo mouetur Iason, argumentũ est. quamuis ab initio non possit quisquã partim testatus, partim intestatus decedere ex intercapedine temporis, postea tamen potest: ueluti si adita hæreditate per querelam pars euincatur [d]. uerùm quamuis portionẽ aliquam de hęreditate auferri fateamur, hæres tamen qui adijt in solidũ hæres est, & in omnibus bonis successit. Sed & in quæstionis nostrę casu, si deficiens ex repudiatione portio nõ accresceret, censeretur principio quis in totum testatus non esse, cum quamuis renunciatũ deinde sit, repudiatio tamen per fictionem trahatur retro [e]. Tertium Iasonis argumentũ est per locum, quẽ à cõsequentibus uocamus. si enim uera esset suprascripta ratio, ius accrescendi in contractibus locum non haberet, cum hi nihil ad testamenta pertineant: & tamen in contractibus id iuris obseruari manifestum est [f]. quapropter si adiuncto socio rem aliquam cõparauerim, adiectioq; illa non ualeat, tota emptio ad me eo iure spectat. Verumenimuero animaduertendum est, ius accrescendi considerari, cum portio uel morte, uel repudiatione deficit, quod in eo exemplo nõ est, ut nihil ad rem facere illud opiner. cæterum non negauero, in contractibus ius non decrescendi locum habere: cuius rei ratio in promptu est, ne uidelicet quod suum est quisquam amittat [g]: quamobrem nihil sibi in eis uendicare ius accrescendi, opinione quoq; cõmuni testatum permanet. Quarta eius argumentatio ex Iurisconsulti [h] responso deducitur. nam si quisquam pluribus partibus hæres institutus sit, habeatq; substitutũ, non tamen partẽ accipere solam potest, sed aut omnes illi capiendæ sunt, aut nulla. en igitur quemadmodum una recepta cæteræ accrescunt, quamuis potuissent ad substitutũ pertinere. nec quorundam responsio satis cõgrua est [i], qui ideo hoc casu ius accrescendi concessum arbitrantᷣ, ne res in pendenti interim sit, cũ posset euenire, ut substitutus repudiaret. Nam cur in pendenti saltem non stetit, donec deliberaret substitutus an adiret [k]? cum quælibet hæreditas in pendenti esse dici possit, anteꝗ ab hærede adeatur [l]. quamobrẽ ego dixerim, ex tacita testatoris uoluntate inductũ, quæ huiusmodi præsumitur, ut institutũ uoluerit omnes habere partes. nã in substitutione hæc uerba, si primus hæres esse noluerit, intelligunt si in totũ hæreditatẽ nõ capescet [m]: hæ enim sectiones odio nõ carent: nã & appellatione rei in dubijs de tota intelligimus [n], & pluriũ partium cõtractibus actum tacitè uidetᷣ, ut omnes accipiãtur, ut in hoc quoq; communis Iurisperitorũ sententia recipiatur, qui

a in l. j. C. quando non pet. & in l. re cõiuncti.

b l. conficiuntur. de iure codicil.

c l. i. & ij. de acq. hære. Bar. in d. l. re coniuncti. in ul. quæst.

d l. circa. de inoff. test.

e l. iij. §. utrũ. ff. quæ in frau. pa. l. si tibi homo. §. cum seruus. de leg. i.

f l. fundus ille. de cõtrahen. emp.

g ut not. in l. si mihi & Titio. de uer. ob.

h l. si solus. de [illegible] qui. hæred.

i Bar. in d. l. si so lus. Ias. & Mo. in d. l. re coniuncti.

k ut ibi per Are.

l l. nemini. de lega. ij.

m l. quod si uno. de in diem ad.

o l. si duobus. de test. mil.
p l. si ex duobus. de contra tab.

ius illud ex tacita testatoris uoluntate prouenire existimarũt [o]: idq; uulgò dicitur: quã= uis mihi ipsi aliter quandoq; uisum sit, cum in bon. poss. cõtra tabulas ius accrescendi detur, & tamen persecutionẽ eam animo testatoris aduersari, nemo non dixerit [p].

Quemadmodum intelligendum sit, inter diuersis modis succedentes iuri accrescendi locum non esse. Cap. IX.

a in l. re coniun= cti. in col. lvij.
b in l. j. C. quãdo non pe.



VIgata regula est, inter diuerso iure succedentes iuri accrescendi locũ nõ esse: cuius rationem Iason arbitratus est, ne diuersa censeantur eadem [a]: at Decius, quoniam in similitudinẽ aliquam habentes facilius transiri po test, quæ rationes perquã leues sunt, & nullius momenti, ut ex illis agno sci possit, iuris hanc regulam ab eis minimè intellectam esse. sed & tale il= li interpretamentũ à Salyceto præstatur [b], ut diuerso iure succedere dicantur, quorum aliqui bonorum possessionem secundum tabulas, alij contra tabulas acceperunt: uel si qui iure prætorio succedunt, cum collegæ ciuili iure admittantur, quòd & si quosdam uti testati hæreditatẽ uendicare proponatur, alios ab intestato uocatos, diuerso iure suc cedere, dicendum ex Salyceti sententia erit: quamobrem his casibus nullum iuri ac= crescendi locum esse. Verùm nos longè aliter opinamur: & idcirco inter diuerso iure succedentes, siue ciuili, siue prætorio, aut secundum tabulas, uel contra tabulas, locum esse huic iuri arbitramur: ita tamen ut eodem titulo ueniãt, puta ex institutione omnes, uel titulo hæreditario omnes: & hoc ex ratione qua inductum illud ius suprà probaui= mus, ne uidelicet quisquam partim testatus, partim intestatus credatur. siquidem hu= iusmodi ius non tam succedendi modos, quàm portiones ipsas respicere, satis & super constat. Quamobrem si patrono præterito libertus aliquem instituerit, qui hæreditatẽ non adeat, dubitatum est, num quoniam dodrans patrono debetur, cætera quoq; hæ= reditas, tanquã dodrantis accessio illi exhibenda sit: & non deberi Iurisconsulti respon so cautum est [c]: cuius rei rationem eam dixerim: quoniam hoc casu nil contra iuris re= gulam committi potest, qua diximus ius illud inuentum esse, ut idem testatus, intesta tusq; non dicatur. patronus enim hæredi nullo modo coniungitur, non ex dispositio= ne testatoris, cum alter institutus, alter ab eo præteritus sit: nec etiam ex coniunctione legis, cum hæres ex institutione uocetur: at patrono dodrans titulo institutionis mini= mè debitus sit [d]. Portio itaq; patroni, sicut & portio legatarij ex suprascripta ratione hæ redi accrescit, non quę hæredis est patrono legatario ue, cum tunc iuris illa regula nihil attingatur. quamobrem & si quisquam iure speciali succederet, quamuis diuerso iure, ne tamen contra illam regulam cõmittatur, ius accrescendi uiam sibi facere, & Baldus, & Pontanus, & Alexander existimarunt [e]: adiuuaturq; hæc sententia Imperatoris An= tonini constitutione [f], qui si à milite condito testamento aliquis in paganicis hæres insti tutus sit, alius uerò in castrensibus, castrensium repudio facto, paganicorum hæredi ea non accrescere tradit, si liquidò probatur, testatorem castrensia bona ad eum pertinere noluisse [g]. quoniam uoluntas militis in expeditione occupati pro iure seruatur: alioqui si non probetur, quãuis diuerso iure successio illa nitatur, ius tamen accrescendi oritur. tametsi enim miles idem testatus & intestatus mori possit, in dubijs tamen eius senten tiam ex communi regula interpretamur. ex his quoq; consequens est, ut Aretini pro= nunciatum quoddam paulò diligentius perpendamus: is tradidit [h], si qui diuerso iure succedit, in locũ eius subrogatus sit, qui eodem iure ueniebat, ius accrescẽdi esse: quod uereor ne uerum non sit: hac enim in materia locum non esse subrogatis uidebatur: a= lioquin in bonorum possessione, quæ in bonis libertorũ defertur, ius accrescendi non esset: quod falsum est. subrogata enim ea bonorum possessio est in locum contractus societatis [i], in quo non ambigitur, quin excludendum ius illud sit: nam & in emptorẽ hæreditatis non transire quidam opinati sunt [k], cum tamen ad hæredẽ, cui subrogatus est emptor, pertineret [l]. Ipse igitur & hoc casu ex prædicta iuris regula crediderim por tionem hæredi accrescere: cæterum teneri eum, hæreditatis emptori augmentum il= lud restituere, cũ in huiusmodi contractu uenditor emptori promisisse censeatur, quic= quid lucri hæreditatis ergò sibi accesserit [m].

c l. sed cum patro no. ff. de bon. pos.
d l. etiam. §. si de= bita ff. de bo. li= bert.
e d. l. unica.
f d. l. unica.
g l. j. C. de te. mil.
h in l. si totam. de acqui. hæred.
i l. j. ff. de bo. li.
k l. si mihi & Ti- tio. ff. de uerb. obli.
l Iason in l. re con iũcti. in xxxvij col. & in d. l. j. C. quando non pet.
m l. hæredem. ff. mand.

Posthumus

Posthumus num hodie in testamento paterno exhæredari possit, & qua causa: & opinio quædam Iasonis confutata. Cap. X.



Vit quæstionis, num posthumus exhæredari in paterno testamẽto possit: & huiusmodi exhęredationẽ ualere, Alexandri imperatoris constitutione expressum est[a], quod etiam Iustiniani lege approbatur[b]. & quamuis ita illis sanctionibus institutum sit, interpretes tamen legum, penè dixerim omnes, in aduersam sententiam iuerunt, suæq; opinionis columnã hanc rationem habent. siquidem nouissimo iure prohibentur parentes, non nisi quatuordecim causis filios exhæredes facere[c], ex quibus nulla est, quæ in posthumo locum sibi arrogare possit. quanquam igitur Alexandri, aliorumq; edictis olim exhæredatio hæc permitteretur, recentiore tamen iure concessa non est: corriguntur q; hac potissimũ ratione ueteres leges. At Fulgosius[d] aliter sensisse, & quidem probabilius, nobis uidet: existimauit enim testamentum quo posthumus exhæredetur, ipso quidem iure ualere, licet inofficiosi querela expugnari possit, diuersumq; ius in hoc ab alijs filijs esse, qui si causa non expressa exhæredes esse iubeantur, ius dicendi nullum habent, nec interpretum aliorum argumentatio eum quicquam mouet, cum & iure ueteri causa in exhæredatione filiorum aliqua iusta requireretur[e]: & tamen posthumus tunc exhæredari poterat. & hac ratione urgeri se Paulus Castrensis fatetur[f]: quamuis & ipse extra aliorum ordinem nihil promoueat: nos nouo quoque argumento cum Fulgosio sentimus: nam cum singulariter iure ueteri concederetur, ut posthumus etiam sine causa exhæredari posset, consequens est, ut lex noua nihil in eo statuisse existimetur: cum regula sit uulgo notior, quàm ut hîc explicari debeat: posteriorem legem, quæ aliquid noui inducat, ad casus speciales iuris ueteris produci non debere[g]: quã tamen intelligendam puto, cum casus illi speciales eosdem terminos respiciunt, in quibus noua lex lata est: alioqui si contractus aliquis, seu quælibet dispositio, etiam plurima & uaria priuilegia habeat, cõprendetur tamen in lege, quæ generaliter de contractu, dispositionéue mentionem faciat: probaturq; id ex Iurisconsulti quodam responso[h], qui in testamento militari competere bonorum possessionẽ contra tabulas testatur: quoniam prætor generaliter locutus est. & id me annotasse memini, aduersus Iasonis quandam opinionẽ[i], qui municipalem legem generaliter de contractibus uerba facientem, in dote accipiendam esse negabat ex suprascripta regula: quoniã dotis priuilegia plurima sunt, & quæ notauimus diligenter obseruanda sunt, cum qui hæc dicat, regulamq; eam declaret, alium reperies neminem. sed & in proposita quæstione uideamus, an possit aliqua causa exhæredatione digna hodie posthumo impingi: & uidetur posse, si pater reus sit læsæ maiestatis: nam poterit auus nepotem posthumũ ea causa bonis suis arcere, quod & rationibus probabile est: tum ꝙ constitutio ea Iustiniani, nõ in XIIII. tantũ causis, sed & in perduellionis crimine procedit, ut frequentiore sententia traditũ esse Alexander & Iason testantur[k], tum ꝙ in filiorũ fauorẽ introducta est[l]: at si exhæredari hîc nepos prohiberet, damnũ illi fieret, cum fiscus ex paterno delicto filij bona hoc casu sibi uendicaret[m]. His accedit, ꝙ si filium incapacẽ testamento pater prætereat, testamentũ substinet: atq; ita Bartolus sensit: nepotẽ autẽ hunc non falsò incapacẽ dixeris: nam lex in tali crimine, filij, inquit, etiã proximorũ hæreditate ac successione habeant indigni.

a l. ij. C. de contra tabu.
b l. maximum. in fi. C. de libe. præ.
c §. aliud quoq;.
d in l. si qs in suo C. de inoff. te.
e l. cum ratio. de bo. dam.
f in d. l. si quis in suo.
g l. sciendum. qui sat. cog. glo. ibi.
h ff. de test. mi. l. in fraudẽ. §. fi.
i in l. j. in not. ff. sol. matri.
k in auth. non licet. C. de li. pr.
l in §. & quid si tantum.
m l. quisquis. C. ad l. Iul. ma. est.

Cur, & quomodo instituto competat bon. poss. contra tab. beneficio præteriti, & non querela beneficio exhæredati, ratio noua, tum ueteres à iunioribus defensæ. Cap. XI.



I ex duobus fratribus, altero præterito, alter institutus sit, & præteritus bonorũ possessionem cõtra tabulas petierit, eius beneficio idem remedium instituto quoque competit[a]: quamobrem quæsitum est, si filius hîc non præteritus, sed exhæredatus proponatur, cur eius beneficio institutus ad inofficiosi querelam nõ possit admitti[b]: & uariæ rationes referuntur, quæ tamen recentiorũ autoritate & iudicio reiectæ sunt[c], uideamus ex illis quænam defendi possint: & Decius senior in causa esse in primis tradidit, quoniam querela hæc cum

a l. post mortem. §. fi. ff. de contra tabu.
b l. mater. ff. de inoffi.
c Iason in l. fi. de lib. & po.

odosa sit, & longè minus alio remedio fauorabilis, interpretatione adiuuanda nõ fuit, ut exhæredati beneficio ad institutũ traheretur. odij autem causa hæc in promptu est: nam rupto per bonorum possessionẽ contra tabulas testamento, naturali æquitate quibusdam consanguineis legata conseruantur [d]: at eo per querelam rescisso, omnes testamenti partes corruunt, naturalisq; illa æquitas nihilo obseruatur. nam & prætoriæ dispositiones ex æquo & bono magis dependent, quàm quæ iure ciuili introductæ sunt. at querelam ad ciuiles, bonorum possessionem ad prætorias cõstitutiones pertinere, nemo dubitauerit. his accedit, cum exhæredato querela cõpetat, non æquè fauorabilem esse, atq; id remedium est, quod præteritis filijs conceditur, cum exhæredati præteritis peiores iuris præsumptione existimarentur. uix enim est ut qui iudicio patris damnati sunt, boni reperiantur [e]. quamobrem iure ueteri filius paterno testamẽto exhæres esse iussus, ingratus præsumebatur [f]. alia ratio huiusce rei etiam affertur, inofficiosi uidelicet querelam personalem iniuriam uindicare: quamobrem extra personam iniuria affectam non extendi: & quamuis præteritio quoq; pro iniuria habeatur [g], non tamen ita personæ affixa censetur, quemadmodum exhæredatio est, quæ specialiter fit. nam & passim dicimus, grauiorem eam iniuriã esse, quæ nominatim dicitur [h], quàm si generaliter facta sit: cum & in præteritione humanius sit, obliuionem præsumere, quàm paterni affectus erga filios tam insignem notam. Sed & hanc aliam rationem idem interpres refert, querelam nisi hæreditate adita non competere [i]: quamobrem cum institutus semel adierit, testamentum aditione confirmatum, ab eodem impugnari non debuit, & idcirco querelæ locum esse, eius respectu iniquum erat: & quamuis plures hæredes iustituti proponerentur, illis qui nondum adijssent concedi neq; debuit, ne melioris conditionis fieret qui postremus deliberauit, quàm qui primus hæreditatẽ adijt. & ex his manifestum est, omnes has rationes defendi posse, si ita accipiãtur uti à nobis explicatæ sunt: alioqui recentiorũ argumenta non parum studiosum hominem auertent. Sed & omnino ueriorem esse nostram hanc sententiam opinor, querelam instituto non competere, quia is ex institutione hæres esse potest. querela autem subsidiariũ remedium est, & nunquam competit, nisi cessante alio omni legis auxilio: quod ex Iustiniani lege Corneus Philippus annotauit [k]. Quomodo autẽ beneficio præteriti liceat instituto bonorum possessionẽ contra tabulas petere, magna est inter nostros interpretes altercatio, quam nos paucissimis finire possumus. Sic igitur censendum: ut si filio præterito alius paris gradus institutus sit, tunc is quoq; bonorum possessionẽ contra tabulas petere possit: cum enim is omnino successurus intestato esset, æquũ putauit prætor, ne omnimodo tabulæ nullæ censerentur, permisitq; aduersus tabulas agi [l]. quòd si lapsu anni exclusus sit præteritus, tum instituto concessum est, ut secundum quoque tabulas possessionẽ petere possit [m]. instituto autem extraneo, certissimũ est tabulas penitus nullas esse [n], nec contra tabulas possessionem peti posse: cessat enim tum omnis causa & spes conualidationis [o]. quapropter si quę iura ab instituto petitam bonorũ possessionem dicunt, intelligenda sunt casu quo peti iure potuit [p], ut quia paris gradus hæres præteritus erat [q], & his consequens est, ut si institutus ex testamento uirilem portionem consequi potest, in eorum præiudicium, quibus integra legata ex testamento per edictum reseruantur, contra tabulas petere nequeat [r], filio præterito testamentũ approbante. quòd si uirilem consequi non potest, etiam approbante præterito, ipse & contra tab. possessionem petere [s], & nullas iure ciuili dicere eas poterit.

d ff. de le. præst.

e l. iij. de inoff. testa. l. maximũ. C. de libe. præt.

f l. liberi. C. de in offi. test.

g l. Papi. ff. eo. d. l. maximum.

h glo. in l. his uerbis. ff. de hære. insti.

i l. filium. de contra tabu.

k Corn. in d. l. maximum.

l l. si duo. de leg. præst. l. illud. §. fi. de cõtra tab.

m l. æquißimũ. de sec. tab. l. si duo. §. proinde.

n l. fi. de lib. & poss.

o l. si duobus. §. ı. de cõtra tab.

p l. ij. C. de cont. tab.

q l. fi. §. sancimus C. de lib. p.

r l. filio. de iniust. rup. l. non unquã. de leg. pr.

s l. non putauit. §. fin.

a §. aliud quoq;.

Ius dicendi nullum filio sine causa à matre pręterito quãuis cõpetat, nõ tamen bon. poss. contra tabulas competere, ut Angelus, Pontanus, & Iason tradiderunt: & cur non decernatur, aliam rationẽ esse, quàm alij crediderint. Cap. XII.



IVre ueteri cum matris præteritio pro exhæredatione haberetur, Iustinianus Cæsar lege lata sanxit, ut tam pater, quàm mater filios nominatim instituerent, uel exhæredarent, addita ex XIIII. aliqua causa [a]. Igitur eam legem posteriores interpretati sunt, ut si filium cum causa à matre præteritum proponatur, testamentum ualeat, præteritioq; illa pro exhæredatione sit: quòd

A sit, quòd si sine causa præteritum dicamus, ius dicendi nullum illi competat [b]. quamobrem dubitatum est, num bonorum possessio contra tabulas illis hodie concedatur, possint'ue ab intestato unde liberi à prætore uocantur succedere: & Angelus Pontanusq; [c], contra tabulas matris possessionem illis decerni posse, existimarunt, quoniam iure antiquo id prohibebatur, non alia de causa, nisi quia prçteritio pro exhæredatione erat. exhæredatum autem à bonorum possessione prætor repellit [d]: at hodie aliter est. quapropter correcta ratione legis, censetur correcta lex [e]. & hanc opinionem secutus Iason, alio argumento cõfirmat: regulam enim iuris esse, ut is cui iure ciuili ius dicendi nullum concedat, iure prætorio bonorum possessionem contra tabulas petere possit [f]. cum igitur in fœminarum testamentis ius dicendi nullum competat, bonorum quoq; possessionem decerni dicendum est: quod eo fortius uerum esse arbitratur, quòd Iustiniani eam legem antiquas non corrigere, sed hoc casu tantũ præter eas procedere, opinatur: in limitatis igitur admittendam extensionem, ut quæ lex in iure dicendi nullum loquitur, ad bonorum possessionem contra tabulas producatur. sed omnino à ueritate hæc diffidere crediderim, uidenturq; argumenta eorum multipliciter falsa esse: & in primis iuris ueteris rationem solam eam esse, quòd prçteritio pro exhçredatione habeatur, minimè cõcesserim, sed & idcirco præteritis à matre filijs, bonorum possessionem illam non decerni, quia sui hæredes non sunt [g], nec iure prætorio instar suorũ ut emancipati admittuntur. fœminę enim in potestate filios non habent, quamobrem nec suos hæredes habent: prætor autem bonorum possessionem his concedit, qui uel sui sunt, uel sublato emancipationis uelo, pro suis habentur. nec Iasonis sententia recipienda est [h], qui eandem cum præcedenti rationem hanc esse, multis uerbis ostendere conat̃: quasi Iurisconsultus dum posteriorem hanc refert, uir admodum rudis, & Batauа aure, rationem proximam omiserit, longius summotam attigerit, quod planè uerisimile non est: ut omnino Iasonis has argutias explodendas censeam. nam & fortasse uerò priorem illam Doctorum rationem falsam esse opinabimur, nec filios à matre præteritos,

B idcirco ab ea bonorum possessione excludi credemus, quia pro exhæredatis sint, quos prætor reijcit. si enim ita res se haberet, consequens esset, ut filius à patre minore portione, quàm legitima sit institutus, cum in reliqua exhæres censeatur, beneficio præteriti contra tabulas persequi non posset. quia exhæredati nec ex se, nec ab alijs commisso edicto admittuntur, quod tamen à iuris ratione abhorret [i]. ergo clarum est, exhæredationem, quæ ex præteritione inducitur, filium à bonorum possessione contra tabulas non remouere. siquidem & in edicto prætoris hi solum repelluntur, qui exhæredatione notati sunt: quia iudicio patris indignos, non putauit prætor dignos, ut admitterentur [k]. at filius prçteritione exhçredatus, non existimatur aliqua nota affectus esse [l], cum præteritio non tam iniuriam, quàm obliuionem respiciat: quin & se exhæredatos prætor non admissurum pollicetur, qui solenniter & rectè exhçredati sunt [m]. At in præteritio nulla exhæredatio solennis intelligi potest. non enim hic quæritur, an purè, an nominatim, an à gradu exhæredatus sit: sola nominis suppressio exhæredationem hanc facit, de qua minimè locutum prætorem, magis probabile est, cum in ea nihil solenne sit. Igitur potius crediderim, solam eam rationẽ esse, ut filij bonorum possessionem nõ petant, quia nec sui sunt, nec suorũ instar habent: quæ ratio hodieq; procedit [n]: quamobrem nihil à iure ueteri hoc casu immutatum, uerius est. quòd & si eorum rationẽ ueram esse cõcedamus, non ideo tamen à nostra opinione recedendum erit, cum falsum sit, correcta ratione legem corrigi [o], multorumq; calculo contrarium approbetur. nam & ratio de substantia legis non est: quamobrẽ lex & irrationabilis & iniusta, est tamen interim lex, donec abrogetur [p]. qua tamen de re diffusius à nobis alibi tractabit̃. Sed & recepto hoc pronunciato admittendum est, correcta ratione legem corrigi, si ratio ipsa generaliter corrigatur: quod in nostro casu non est, cum tunc solum antiquetur, cum filius sine causa præteritus est: quòd si cum causa præteritum asseramus, ius antiquũ remanet, ut Accursius existimauit [q], & sequiores alij probauerũt. & ex his primum eorũ argumentum elidi crediderim. Aliud est, quod ex regula deducũt, ubicunq; iure ciuili ius dicendi nullum competit, & bonorum possessionem contra tabulas prætorem de-

b gl. in §. exhæreda. in auth. de hære. & fil.
c in l. ij. C. de contra tabu.
d l. non putauit. ff. eo.
e glo. in l. j. de leg. tut.
f l. j. §. uocantur. ff. eo.
g l. illud. §. ad testa. ff. de contra tabu.
h in d. l. ij.
i Bar. in l. Papi. §. meminisse. de inoff. test.
k l. non putauit. §. fi. ex duob. in prin. ff. eo.
l Iason in l. fi. de li. & post. in ij. col.
m d. l. nõ putauit.
n d. l. nõ putauit. §. j. & l. filium. in fi. prin. ff. eo.
o Aret. in l. ij. de uulg. & pupil.
p Mod. in C. cum omnes. de cõsti. Areti. in d. l. ij. in vij. col.
q d. §. exhæredatos.

cernere. Nam generaliter id uerũ nõ esse primò dixerim. siquidẽ si fœmina municipa li lege, quę stantibus masculis succedere prohibetur, institutis extraneis à patre præteri ta sit, cõpetere illi bonorum possessionẽ contra tabulas, cõmuni sententia dici solet[r], & tamen à iure dicendi nullum arceri. sed & si demus, regulam eam generaliter uerã esse, non tamen argumentũ ita deduci potest, cum tunc demũ uel limitatis, uel in correcto= rijs argumentũ per eum locũ concedat̃, si regula à iuris aliquo autore posita expressim inueniat̃, non si à recentioribus ex pluribus legibus cõpacta sit[s], ut hæc est. nam & con cedi potest, prætorem contra tabulas bonorũ pos. dedisse, illis quibus ante se ius dicen di nullum cõpetebat: sed in proposita quæstione, cum noua dispositione ius ciuile filio in matris testamento facultatẽ eam dederit, ratione iuris ciuilis tantum intelligi debet, non autẽ ad prætoriũ extendi: alioqui cum iure prætorio agnatis unde legitimi, cogna tis unde cognati uocantur, successionũ capita præstita sint, dicendũ esset hodie cogna= tos, unde legitimi uocantur, admitti: quoniã sublata nouissimo iure ea differentia est: quod nemo non aspernabit̃. quamobrem fatendum est, hodieq; præteritis filijs in te= stamento matris bonorum possessionẽ contra tabulas abnegari: & idcirco nec bonorũ possessionẽ unde liberi uocant̃, nec quæ ex senatusconsulto Carboniano est, decerni.

r Alex. in §. & quid si tantum.

s Raph. Com. in l. ij. de lega. j. per l. non pos- sunt. de ll.

Multitudinem actuũ non præsumi, quemadmodum uerum sit. Cap. XIII.



Ommunis omnibus legum interpretibus regula est, semper in dubijs nõ de pluribus, sed de uno actu intelligendum esse[a]. quapropter si tanq; hæ res scriptus, testamentũ quo mihi hæreditas delata sit, exhibeam, solum il lud factũ à testatore fuisse pręsumet̃: & qui plura condidisse dixerit, onere probationũ grauabit̃. quòd & si in iudicio Stichũ aut Erotem petã, tu nec Stichũ, nec Erotem debere te fatearis, de his intellexisse te interpretabimur, de quibus & nos locuti sumus[b]: ne uidelicet diuersitas aliqua inducat̃. hanc tamen regulam non procedere, Bartolus, & post eum alij prodiderũt[c], ut suspicio periurij euitet̃. quamobrẽ si ex testibus quidam testamentum rite factum, alij non solenniter factum dixerint: de diuersis testamentis intellexisse eos, credendum esse existimarũt, & hoc potissimũ mo= do discordiam tollendam, ne periuri uideantur. Cæterum ex Iustiniani constitutione[d] perquam dubia res hæc nobis uisa est. nam cum quidam sibi legatũ in testamento reli= ctum fuisse iurasset, & ex iurisiurandi religione illud cõsecutus fuisset, deinde inuento testamento cognitum foret, nihil illi relictum esse, præsumi, Iustinianus ait, hominem hunc periurum. nam cur potius, ut suspicio hæc remoueatur, non præsumuntur condi ta duo testamenta, & illud quod repertum est posterius testamentum esse: nam & cum possibile sit, in priori rem illi legatam, & hæredi fiet satis, & is cui delatum fuit iusiuran dum, periurij non erit reus: neq; dixeris, constitutionem eam loqui, cum clarum est, ta= bulas, quæ repertæ sunt, eas ipsas esse, in quibus rem sibi legatã ille iurauerat. quomo= do enim id manifestum esse potest, cum quæ ad negationem spectent, manifesta esse nequeant[e]: nam & non mediocriter ea lex coartaretur, si ita accipiendam credamus.

a l. omnium. C. de test. c. in præsen tia. de probat.

b Bar. in l. inter stip. §. j. de ue. oblig.

c in. l. ij. C. de bo. pos. secundũ ta.

d l. fi. C. de re cre.

e l. iij. de testi. l. ij. de prob.

Bonorum possessionem contra tabulas testamentũ rescindere, dein ex ea, un de liberi uocantur, succedi, inaudita uulgo sententia. Cap. XIIII.



Vbitaui sæpenumero, num bonorum possessio contra tabulas diuersum successionis genus inducat, ab ea quę ex bonorum possessione, unde libe ri admittuntur, capitur: an uero rescisso per bonorũ possessionẽ contra ta bulas testamento, succedatur per eam, unde liberi uocantur: & Philippus Cassula, in altius repetita rubricæ de testamentis prælectione, posteriorẽ hanc sententiã probauit[a], suæq; opinionis argumentum Leonis imperatoris constitu= tionẽ adduxit[b]. qui liberis, inquit, quocunq; iure intestatæ successionis, id est, aut testa mento penitus non condito, aut si factũ fuerit, contra tabulas bonorũ possessione peti= ta, uel inofficiosi querela mota, æqualiter prospiciendum est. quibus uerbis expressim ostendit, ex bonorũ possessione contra tabulas intestato succedi, sicut etiam cum testa mentũ uti inofficiosum rescindit̃: in quo clarũ, id successionis genus locũ habere, ut du bitandum non sit, quin & idem credamus in ea bonorũ possessione, quæ illi hoc casu æquipara=

a Phil. Casula in rep. rubri. C. de test.

b l. ut liber. C. de col.

A æquiparatur[c]. nam & Martiani Vlpianiq́ responsis constat, præterito filio bonorum pos. unde liberi uocant, concedi[d], cum tamen alibi dicat: bonorum pos. contra tabulas illi competere[e], ut uerisimile sit ubiq́ de eadem successione ab intestato agi. sed & Iulianus, cum adita est hæreditas, si emancipatus præteritus bonorũ pos. cõtra tabulas nõ petierit, repelli omnino patria hæreditate, autor est[f]: quoniã huic prætor bonorum pos. unde liberi uocent, nõ decernat. ut ex his uerbis colligi possit, ubi cõtra tabulas actum sit, unde liberi uocant, bonorum possessioni locum esse: confirmaturq́ id alia ratione. nam si idem operatur ex prætoris edicto bonorum pos. contra tabulas, quod in iure ciuili ius dicendi nullum[g], & hoc intestati causam respiciat[h], certè idem & in illo dicendum est: & tametsi Alexander, Paulus Castrensis, Bartolusq́[i] & alij minimè negent, testamentum ad intestati causam ex ea bonorum possessione trahi, non tamen admittunt, ex capite, unde liberi uocantur, successionẽ esse: quæ opinio haud probabilis est, cum filijs in intestati successione nullum aliud remedium cõpetat, præterquã illud, unde liberi admittantur: & sicut iure ciuili testamentum ubi declaratũ est nullum, alicuius momenti non est, ita & prætorio edicto esse, credibile est, ubi quisquam aduersus tabulas uicit. Sed huic sententiæ aduersat Vlpiani responsum[k], qui ita inquit, ab intestato potest competere bonorum possessio, si neq́ secundum tabulas, neq́ contra tabulas agnita sit. uerùm hæc uerba ita interpretanda sunt, ut Iurisconsulti mentẽ eam fuisse, nobis ipsis persuadeamus, de mera illa intestatorũ successione loqui, cũ nullæ tabulæ testamenti extãt, & ita eum intellexisse & legis ipsius uerba, & natura tituli ostendit: quo sensu accipi debet Gordiani quoq́ Imperatoris rescriptũ[l], à quo filiæ dotem conferre iubentur, si uel intestato succedunt, uel bonorum possessionem contra tabulas petant: disiunctiua enim nõ inter omnino diffidentia posita est, sed quæ qualitate solum quadam distent[m]. quamuis enim & propter bonorum possessionem contra tabulas ab intestato succedatur, ea tamen pura, puta, intestati successio non est, ut & Triboniani in

B institutionibus uerba, eadem ratione interpreter, dum differre, unde liberi uocant, & contra tabulas, bonorum possessiones ostendit[n]: distant enim in eo, quod ex altera rescinditur, ex altera succeditur. Itemq́ dum bonorum possessionem cõtra tabulas remedium esse quo succedamus, nõ quidem expressim refert, sed quasi per transennã ostendit. nam nec hoc negauerim ex occasione ab ea præstari, cum resciderit testamentum. Et consequenter ex his dubitari potest, cum lege municipali fœmina intestato succedere prohibet, an expugnato per bonorum possessionẽ contra tabulas testamento admittenda sit: & non puto admittendã, cum ad intestati causam deuentũ sit. quòd si adita hæreditate bonorũ possessionẽ petitã dicamus, cum qui semel fuit hæres, iure ciuili desinere hæres esse nequeat[o], fortasse aliter fuerit dicendũ, cũ licet iure prætorio intestatus ille dicat, cuius adita hęreditate testamentũ cõtra tabulas expugnatũ sit, iure tamen ciuili secus est: ut huiusmodi ciuitatũ leges magis ex ciuili, q̃ prætorio iure declarent[p].

c l. fina. ff. de lib. & post.
d l. j. §. pen. ff. si tab. test. nul. ext.
e l. ij. C. de contra tabu.
f in l. j. unde libe.
g l. j. §. uocantur. ff. eo.
h in d. l. ut lib.
i Bar. in l. illud. de contra tab.
k l. i. §. ita autem. si tab. testa. nul. ext.
l l. filiæ dotẽ. C. de collat.
m l. penul. C. de pac.
n inst. de bo. pos. §. sunt autem.
o l. Papi. de inof. testa.
p arg. no. in rubr. C. qui admit.

Si agnatus per in integrũ restitutionem abstinuerit, successio ad sequentes in gradu, an ad fiscum pertineat, duo pugnantia responsa, quæ alij dissoluere nequiuerint, extricata. Cap. XV.



SI cognatus, qui bonorum possessionem acceperat, per restitutionẽ in integrum abstineat, in eis bonis successorio edicto locum non esse, sed ad fiscum transferri, Papinianus scripsit[a]: at si quis ex senatusconsulto Orfitiano adita matris hæreditate, deinde abstineat, agnatos non fiscum admitti, Vlpianus ait[b]. quæ responsa, cum semel pugnare uideantur, Bartolus, alijq́ interpretes ita se extricauerũt[c], ut de iure prætorio Papinianum uera dicere opinarent: quæ uerò Vlpianus scribat, iure ciuili probabilia esse. quæ quidem interpretationes minimè uerisimiles nobis uidentur. & cum successio hæc prætoria, ad instar successionũ iuris ciuilis introducta sit[d], certè non debemus inter utrunq́ ius differentiam hanc probare. nam cum is qui abstinet, iure ciuili admittit, & qui succedit, prætorio: & è cõuerso cum qui abstinet, à prætore recipitur, & qui succedit, iure ciuili succedit: cum inquã, his casibus nulla fisci ratio habeatur, cur iure prætorio admitti credamus[e]. nam

a l. fi. de succ. edi.
b l. j. §. sed si adita. ff. ad Tert.
c in rubri. C. de succe. edi.
d l. j. §. nepos. ff. si quis à par. fu. ma.
e l. & si modica. §. pe. de bo. lib.

&mater ad hæreditatem filij, unde legitimi uocantur, etiam prætorio iure plerunq; suc cedit[f]: & tamen generaliter lex tradit, si à bonorum possessione filius se abstineat, testatoris matrem uocari[g]. en ergo quemadmodum si tam is qui abstinet, quàm qui succedit, uterq; ex edicto succedat: fiscus tamen repellitur. quinetiã si concedamus aliquem ex successorio edicto iure ciuili admitti, nónne etiam, unde legitimi uocant̃, iure honorario succedet[h]? fingamus in Vlpiani casu agnatos eam bonorũ possessionem petere, unde legitimi uocantur, an eis exclusis hæreditas fisco applicabitur? id enim aduersus eius uerba est, qui generaliter loquitur. quòd si Bartolum intelligas loqui, cum solo iure prætorio quisquam succedit, cur non idem opinabimur, cum etiam ciuili lege successio adiuuabitur[i]? nec differentiæ ratio per Iasonẽ assignata, sat firma est, dum iure prætorio ad fiscum hæreditatem, qua quis se abstinuit, pertinere ideo putat: quoniam cum admittendo cognatos non parum detrimenti fisco prætor dederit, uoluit in eo saltem illi prodesse, & illatum damnum resarcire. nam quàm parũ uerisimile, quæso, est, qui in detrimentum fisci contra leges ciuiles edixerit, in eius cõmodum contra easdem leges rursus edicat: cur potius regulæ paritum non est: qua, donec aliquis hæres esse possit, fiscus repellitur[k]: cum & in dubijs non erret, qui aduersus fiscũ respondeat[l]? quamobrẽ aliter quàm cæteri dissoluendum hunc nodum nos arbitramur: & idcirco utroq; iure si quisquam abstineat, successionem non esse existimauerim[m], præterquam duobus casibus, quorũ primus est, cum legis uerba extensiua sunt, & generaliter accepta, ad eum quoq;, qui ex successorio edicto ueniat, referri possunt: qua ratione Vlpianus[n] sententiam suam tuetur. nam cum senatusconsulti Orfitiani uerba huiuscemodi essent, si nemo filiorũ, uel quibus legitima hæreditas simul defertur, uolet ad se eam hæreditatem pertinere, ius antiquum esto: si filius abstinuerit, iure antiquo agnati admittuntur: quoniam senatusconsulti uerba admittunt. Si uolet, inquit, ad se pertinere, hic enim non uult, licet aliquando uoluit. cum igitur uerbum, si uolet, tractum habeat[o], agnatos ex senatusconsulto admitti, dicendum est. & hanc rationem mirũ est interpretes nostros non perpendisse, cum ea se moueri euidenter Vlpianus fateatur. nec ad rem pertinet, quòd nemo, nisi uelit, ad hæreditatem uocatur: quoniam expressum id uerbum, si uolet, extensiuum est, sed si tacitè intelligatur, cõtrà[p]: tametsi in eo Vlpiani responso non ita insit, ut expressum uerbis est. Alter casus est, cum qui regulariter succedit, ab aliquo specialiter excluditur: nam si abstineat, hæreditas ad eum deuoluitur, ad quem ex regula peruenire debuerat[q]: exempli causa. In bonis liberti patronus bonorum possessionem habet, solumq; ab eius filio excluditur. quamobrem si se filius abstineat, tanquam remoto obice patronus admittendus est: idem & in matre, quę ex Tertulliano senatusconsulto filio succedit, solumq; à nepote ex eo excludit̃. nam si nepos per in integrum restitutionem, hæreditatem, bonorum ue possessionẽ deseruerit, matri successio, non fisco deferenda est[r]: huiusq; rei causa est, tum quòd quæ ratio patronum, matrem ue excludebat, amplius locum non habet: quamobrẽ regulæ adhæremus: tum etiam quòd speciali casu exclusus, non tam fortiter reiectus est, sicut qui ex regula remouetur.

C

D

f l. ij. §. bonorũ. ad Ter.
g l. j. C. ad Orfit. in d. §. bonorũ.
h l. ij. §. fin. unde leg.
i in d. rubr.
k l. uacantia. C. de bo. uac. li. x.
l l. non puto. de iur. fis.
m d. l. fi. de suc. ed.
n in d. l. j. §. sed si adita.
o l. fideicom. §. hoc autem. de leg. iij.
p arg. l. si ita. §. illi. ff. de leg. j.
q d. l. & si modic.
r d. §. bonorum.

In querela inofficiosi, nec ius accrescendi, neq; successionem esse: in ultramontanorũ sententiam aduersus Bartolum itum. Cap. XVI.



Frequentissimè tractata ea quæstio est, an in querela inofficiosi successorio edicto locus sit[a]. & hoc in articulo ita per factiones diuisi sunt interpretes recentiores, ut Itali, quorum signifer Bartolus, locum esse tradiderint: at Gallici, quorum Petrus Aurelianensis primipilarius est, negauerint. Et quoniam utrinq; rationes quamplurimæ adducuntur, quæ minimè efficaces sunt, ea solum argumenta referemus, quorum acumine tota quæstio substinet̃. Et Bartolũ adiuuat Pauli responsum[b], qui in titulo inofficiosi testamenti: si is, inquit, qui admittitur ad accusationẽ, nolit, aut non possit accusare, an sequens admittatur, uidendum est: & placuit posse ut fiat successioni locus. sed huic respondent alij, Paulum eo casu loqui, quo etiam sequens in gradu exhæredatus fuerat. quam interpretationẽ uti diuinaci coniectura ariolantem meritò nostri reprobant: uideamus num nos promere aliquid

a in rubr. C. de succe.
b in l. si is qui. in prin. de inoffi. testa.

A aliquid uerisimilius possimus. & dici posset, non ratione querelæ, sed respectu bonorū Iurisconsultū Paulum loqui. nam si duo admitti ad querelam possunt, repudiante primo, sequens omnē successionē habebit: & hoc casu intellige, ut fiat successioni locus: non quidem successorio edicto in querela, sed successioni bonorū: & uerbū, sequens, ita capiaē, ut eum accipias, qui simul admitti poterat: sed in portione repudiata sequens est, cum prius ea ad collegam pertinuisset: & hoc intellectu potius ad ius accrescendi, quàm ad successorium edictum uerba hæc referuntur. nam in querela locum esse iuri accrescendi, cōmunis opinio est, ex eiusdem Iurisconsulti sententia, qui, si duo, inquit, sint filij exhæredati, & ambo de inofficioso testamento egerint, & unus postea constituit non agere, pars eius alteri accrescit [c]; tametsi neq; satis probem, in ipsa querela ius esse accrescendi, uerbaq; Pauli magis referenda opiner ad bona, quàm ad querelam. nam cum querela totum testamentum subruat, si frater nō agat, sed repudiet, alij fratri omnia bona accrescunt. quid igitur in proposito responso accrescere dicamus, cum nihil id operetur, si sola unius querela totū subuertit? quid opus est aliam addi? & cum ex regula constet, portionē semel acquisitam, si deficiat, nemini accrescere [d]; qua ratione concedemus agnitā à fratre querelam, si omittatur fratri adiungi? utrunq; igitur responsum nō in successorio edicto, aut iure accrescendi intelligendum opinor, sed ad successionē bonorū potius referendum. Adducitur etiam pro eadem Bartoli sententia, quòd si emancipatus, ducta inuito patre uxore, & genito filio decedat, cum dubitaretur, quid iuris huic in testamento aui cōpeteret, respondit Vlpianus, ad bonorum possessionem contra tabulas admitti [e]; cum potuerit auus iure suo uti, eumq; exhęredare, neq; minus in hoc nepote is, qui de inofficioso cogniturus est, merita nepotis, quàm patris eius delicta perpendet. quæ uerba id indicant, querelam quæ filio exhæredato cōpetebat, ad nepotem per successoriū edictum transire. sed quamuis pluribus Iason hîc agat, in eo textu aliquis dixerit non tam merita filij, quàm nepotis considerari: non quòd de inofficioso nepos agat, sed quòd sub eo iudice, sub quo filius querelam intentare potuit, nepos bonorum possessionem contra tabulas petebat. quamobrem cum nepos ipse nil B deliquerit, admittetur [f]. & ita hanc legem ex Accursij, Alexandri, Aretiniq; sententia [g] interpretandam aiunt: uidebatur enim cum filius propter ingratitudinē exclusus esset, reijciendum quoq; nepotem tanquā ex regula, qua Baldus tradit [h], remota radice palmites omnes remoueri: quæ ratio efficax non est, cum licet filius ingratus sit, nepotis ipsius merita huiusmodi non sint. Adducitur rursus aliud argumentū: nam cum ex filio emancipato haberet quidam nepotem in potestate, & filius condito testamento, patrē præterijsset, nepotē exhæredasset, neposq; in querela succubuisset, respondit Iurisconsultus, patri querelā cōpetere [i]; ergo ex successorio edicto cōpetit. sed Alexander, alijq; omnes querelam hîc pro bonorum possessione contra tabulas accipiunt. quòd si nec hoc placet, intelligere aliquis poterit, patri querelam cōcedi non ex persona sua, sed ex persona nepotis: & licet nepos ipse cessisset, nō debuit tamen tolli patri remediū, quod semel sibi quæsitū est [k]. & hoc potissimū modo Bartoli, partiumq; fundamenta, subrui possunt. Transeamus nunc ad ea, quę pro sua opinione Petrus afferebat: & licet per recentiores sanè quamplura dicantur, solus huiusce sententiæ cardo, & quidem firmissimus ex Iustiniani constitutione accipitur [l]. Is tradidit, si pater filiū, ex quo nepotē habebat, instituto extraneo exheredauerit: mortuo post patris mortē filio, nondū adita hæreditate, omni adiutorio nepotē destitutū: inhumaneq; id à Iureconsultis statutū: nam si in querela successioni locus fuisset, profectò nec auxilio nepos indigeret, nec inhumaniter acceptus dici posset. cui argumento frequentiore sententia responderi solet: idcirco eo casu successorium edictū non fuisse, quia querela ab aditione hæreditatis incipit: pater autē ante aditam defunctus fuerat: quamobrē cum illi querela nunquam competijsset, non potuit nepos in ea succedere. uerùm hæc responsio multipliciter destruitur. nam exhæredatio ab aditione uires capit: & tamen ante eam aliquid operaē, nimirum ut exhæredato hæreditas delata non dicatur [m]. cur non idem in querela? negari quoq; non potest, licet actu ipso querela filio non cōpeteret, spe tamen competijsse: at in successorio edicto spem satis esse, ex eo probatur, quòd decretalis bonorum possessio, si

c in l. si proponas. ff. de inoffi. testa.

d l. j. §. interdū. de usufr. accre.

e l. iij. §. si emancipatus. de bon. pos. contra tab.

f in l. j. suis. ff. de libe. & po.

g in l. si qs posth. §. j. ff. de libe. & posth.

h in l. fin. C. de leg. hæred.

i l. pater filium. de inoffi. test.

k arg. not. per Bar. in l. si emācipatus. §. fi. de contra tab.

l l. si quis filium. C. de inof. test.

m l. filiū. ff. de bo. po. contra tab.

accepta non sit, ad sequentem transit[n]: & tamen prius non competit, quàm decreta C
sit, solaq; spes illa transfertur: nam etiam quod re ipsa adhuc non competit, transmittitur: quamobrem infans hæreditatem, quæ sibi delata non erat, ad patrem transfert[o]. & si hoc in transmissione est, cur non multò magis in successorio edicto? quod longè fauorabilius est, cum iure communi introductum sit, transmissio specialibus tantum casibus obseruetur[p]. nam & natam querelam prius esse, considerari non debuit, cum nepos ex ea non succedat, quæ filio data est: sed ex persona sua succedat. atqui Paulus Castrensis existimauit, si filio delata sit, ne frustra delatam, & ad irritum deductam diceremus, debuisse potius successionem reijci. sed aliter quoque argumentum huius legis tollitur, interpretanturq; quidam, intelligi eam debere, quando nepos ex patris, non ex sua persona succedere uolebat; uetita itaque erat transmissio, non successio. uerùm cum omni remedio caruisse nepotem Iustinianus autor sit, duoq; ea tantum comprendantur: quàm absurdum id sit, nemo certè non uidet. adde quòd nulla fuisset inhumanitas, si nepos successorio edicto admissus foret: & tamen inhumanè eo casu factum lex ait: quam sententiam posse & alijs rationibus confirmari arbitror. nam & querela inofficiosi remedium personale est[q]: at in iuribus personalibus successio non est: conceditur enim propter iniuriã, ex exhæredationis nota illatam, quę iniuria ad nepotem non producitur: & regula est, quotiescunque propter aliquam qualitatem alicui defertur hæreditas, in eum non transire, in quem ea qualitas non transiuerit[r]: qua ratione hæredibus bonorum possessionem, unde uir & uxor, non concedi Accursius tradit: nam & querelam hanc odiosam esse, Baldus[s], alijq; crediderunt. cur ergo eam interpretatione adiuuamus? quòd si Bartolum sequeremur, nónne consequens esset, ut hæc querelæ successio ad agnatos quoque transiret? quod à constitutionum sententia abhorret, & nemo opinor dixerit. sed & fortius eo mouemur, quia aut propter superioris exhæredationem inferiori querelam competere dicimus: & hoc à successionis natura dissidet, qua ex propria persona quis admittitur, non ex aliena: personalis quip D
pe iniuria est, aut eis querelam ex propria persona deferri malumus, tanquam ex superioris exhæredatione (quod Bartolus ait[t]) præteritis: & neque successionem esse arbitror, cum ex hoc edicto ad rem prius alteri delatam admittamur: querela autem hæc, quæ ex tacita exhæredatione oritur, nemini prius delata est, sed ab ipsis, qui eam intendunt, incipit. Igitur ut has ambages ipse tandem extricem, tres uarios casus separari oportere arbitror. primus est cũ plures exhæredati sunt, & unus expressim uel tacitè repudiat: & tum querelam illi competentem alijs accrescere Bartolus & pleriq; alij censuerunt[u]: ipse suprà ostendi non ius querelæ, sed portionem ipsam bonorum accrescere, utcunque disputabilis est propositio. sequens casus est, cum qui exhæredatus est moritur relicto hærede, isq; ex defuncti persona intendere querelam cupit, quod non nisi transmissionis iure fieri potest: in quo articulo solet dici, si querela præparata sit, in quemcunque hæredem transmitti[x]. si adhuc præparata non erat, non transmitti, nec in suum quidem olim hæredem: uidetur enim moriens eam iniuriam remittere. at hodie Iustiniani constitutionibus distinguitur, ut siue aditione hæredis inofficiosum testamentum confirmatum est[y], siue tacitè, uel expressè repudiata querela est, iuri ueteri adhæreamus, nulláque fiat transmissio. si uerò ante aditionem hæredis scripti exhæredatus decesserit, tum in nepotem suum transmittatur[z]. tertius casus est, quo nec de accrescendi, nec de transmissionis iure agitur, sed de successorio edicto, ut quia exhæredatus repudiat uel moritur, an sequens in gradu non ex persona defuncti (id enim non nisi transmissionis iure competit) sed ex propria succedere in iure querelæ possit, tanquam per præteritionem sibi facta sit iniuria: cuius ratio uidetur habenda, cum qui sibi obstabat autor suus de medio sublatus sit[a]: & uerius est, si iustè is autor exhæredatus erat, successioni in querela locum esse, quia tum ratio legis in hoc nos adigit: cum enim propter iustam causam is autor meritò exclusus sit, cõsequens est, subsequentem in gradu per præteritionẽ exhæredatũ censeri, meritoq; ex persona sua agere eum posse[b]. quòd si autor iniustè exhæredatus sit, tum successioni locus non erit, transmissioni erit: qui enim iniustè exhæredatus est, iuris censura bonã causam habet. ideo ex eius perso
na potest

n l. j. §. sciendũ. de succe. edict.
o l. si infanti. C. de iur. delib.
p Bar. in l. uetre.
q l. Papi. de inof. testa.
r glo. in l. j. C. unde uir.
s d. l. si qs filium.
t in l. pater filiũ. de inoffic. testa.
u l. si proponas in fi. de inoffi. test.
x l. scimus. §. fi. C. eo.
y l. cum mota. C. de trans. ubi doct.
z d. l. siquis filiũ.
a l. si is q in prin. de inof. test.
b l. pater filium. eo. tit. l. iij. §. si emanci. contra tab.

A na poteſt fieri tranſmiſſio[c]. ad ſucceſſorium uerò edictum non attendet, quod ex perſona propria ſequentem admittit, in quo hoc caſu ius nullum eſt. quapropter in Iuſtiniani conſtitutione, cum filius iniuſtè exhæredatus eſſet, nepos non niſi ex patris perſona iure tranſmiſſionis admitti potuit, ex ſua non potuit: quoniã ius omne ad patrem pertinebat. & hoc modo conciliari aduerſantia inuicem reſponſa ego nõ dubito: quæ ſi qui rectè perpenderint, noſtram ſententiã approbabunt. quòd ſi quis reclamauerit, is ſcio ca dicet quæ non intelliget. nec enim diffuſius huiuſmodi hoc libro declarari poſſunt, quæ latiore tractatu à nobis alibi ſunt diſputata. Illud non diffiteor, ſucceſſorium edictum hîc craſſa Minerua accipi, cum non idem ius ex eo nepoti deferatur, quod filio competit: quippe filius ex iniuria ſibi per exhæredationem facta, agere poterat, nepos ob iniuriam non paternæ, ſed propriæ exhæredationis ex præteritione ortam. erit igitur quoddam ſucceſſorij edicti inſtar. nam & ſucceſſorium edictum fauore creditorũ inductum eſt, ne uidelicet longior illis mora fieret. at in caſu noſtro nulla eis fieri poteſt mora, qui ab hærede ſcripto petere poſſint.

c d.l. ſi quis filium. l. ſcripta. in fi. und. lib.

LIBRI QVARTI FINIS.

ANDREAE ALCIATI PARADOXORVM IVRIS CIVILIS LIBER QVINTVS.

PROOEMIVM.



B NEQVAQVAM me latet, inuidioſam fortaſſe materiam, ſicut & huius operis titulum, fore: quòd uidelicet ſi qui ſint, qui ab alijs diuerſa docturos ſe profiteri auſint, hi tanquam fuci quidam, & in literaria palæſtra ſcioli exiſtimantur. & ut laudabilia quæcunque frequenter ſilentio tranſigimus, ſic obtreſtatio & liuor pronis auribus accipiuntur. Verumenimuero non idcirco deterreri debuimus, quominus, cum iam meta ipſa iam ferè in conſpectu foret, inceptum curſum proſequeremur. nec me multitudinis autoritas ita urgere poteſt, ut non Pythagorico ſymbolo potius, aliorumq́ teſtimonijs acquieſcam. per publicam uiam ingrediundum non eſſe ille cenſuit, ut quæ trita, cæteriſque omnibus communia ſunt, pertinaciter à nobis defendi non debere, (quod Hieronymus inquit) oſtenderet. nunquam enim cum humano genere tam rectè agitur, ut quæ optimà ſunt plurimis placeant. quocirca Prienenſis Bias, ſeptem ſapientium unus, plures malos eſſe, celebri dicterio narrare ſolitus traditur. Indignatur grauiſſimus autor Fabius, ineruditos quoſque uulgo ingenioſiores haberi. refert M. Vitruuius, in Alexandria cæterorum omnium ſententijs uictorem poëtam, rectiore unius Ariſtophanis arbitrio reprobatum. nam & Valerius tam parui æſtimatam ab Euripide multitudinem tradit, ut emendare eum uolentibus ſe, ut doceret, non addiſceret, in ſcenam prodijſſe atteſtaretur. quamobrem & in religionis noſtræ myſterijs proditum eſt, uiam latam in errorem nos plerunq; deducere: at quæ anguſtior ſit, æternitati peruiam eſſe. nihil igitur nobis fraudi eſſe debet, ſi horum exemplo ſequiores alios confutemus, noua ipſi excudere nitimur: quod hoc præſertim libro à nobis factum eſſe non diffiteor. Attende igitur humaniſſime lector, & rem æquis auribus accipe. quandoquidem & Iuſtinianus ex multitudine autorum quid melius æquiuś ue ſit, iudicandum eſſe non cenſet: cum poſſit unius, forſan & deterioris ſententia, & multos & maiores in aliqua parte ſuperare.

Ex pacto quod contractui inest, solam actionem ex contractu dari, nec præscriptis uerbis agi posse, contra omnium hactenus sententiam, & quamplurimæ leges aliter, quàm à cæteris declaratæ. Cap. I.

C



EX pacto, quod incontinenti factum contractui insit, duplicem actionem dari, unam ex contractu [a], itemq; præscriptis uerbis alteram, nemo est qui non affirmet. tradiditq; id Accursius, tum longo ordine pleriq; omnes: mirumq; est, in præsentem diem ita creditum, ut qui contradicat neminē reperias. at ipsi nos eam solum, quæ ex contractu oritur, actionē dari probauimus: quæ uerò extra ordinem præstatur, præscriptis uerbis non competere. quod quamuis nimis nouum esse uideri quibusdam possit, nobis certè nimis uerum uidetur. Et in primis communē sententiam oppugnat, quod uulgò traditur, cum deficiunt uulgaria atq; usitata actionum nomina, tunc præscriptis uerbis agendum [b]: tum & illud, quoties actio deficit, eam quæ incerti, & in factum dicitur concedi: quod in nostro casu minimè est, cum dubio procul sit, actionem ex contractu non deficere: illudq; usitatum & uulgare nomen esse, & coartari, cauilloq; restringi à Doctoribus has regulas, plus quàm euidenter constat, dum præscriptis uerbis actionem non dari intelligunt [c], quando alia exoritur, quæ ex eadem uerborum forma originē capiat: secus si ex diuersa. nam certè ex eodem pacto utraq; actio tam ex contractu quàm in factū datur: quod etiamsi ex diuersa forma oriri concedamus, nihilo tamen minus communibus regulis repugnamus, cum extraordinaria remedia non concedantur: quamuis diuerso fomite oriri possint, si unū factum sit, cui ordinario iure prouideatur: quamobrē qui beneficio prætoris esse hæres potest, mota status cōtrouersia, ex carboniano bonorū possessionē non habet, cum ordinariū illi remedium sufficiat [d]. regulariter quoq; post Bartolum dici solet, si ordinario iure agi potest, extraordinariū, quod non ita abunde prouidet, cessare [e]. cum ergò in proposita dubitatione multò plenius per actionē ex contractu bonæ fidei succurratur, cessare præscriptis uerbis, quam quidam stricti iuris esse opinantur [f], D saluis legalis disciplinæ præceptis admitti debet. nam & cū actio præscriptis uerbis pœnitentiā recipiat [g], & ab huiusmodi pacto recedi nō licere manifestum sit, in eam quoq; regulam cōmittimus: sed & cum concedamus, nihil magis fictionē, quàm ueritatē operari solere [h]: cur pactum quod fictè pars contractus dicitur [i], duas actiones parit, cum si uerè pars contractus esset, solum per actionē unam obseruetur? uerùm & nostrā hanc sententiam optimè ex Pomponij uerbis probari contenderim [k]: qui permisisti, inquit, cretā ex agro tuo eximere, ita ut dein eum replerē: exemi, nec repleo, pręscriptis uerbis agendum est: sin autē uendidisti cretam, ex uendito ages. En igit quemadmodum ex pacto, quod uenditioni inest, sola actio ex uendito datur? nā pręscriptis uerbis nō competere, ostendit cōiunctiua dictio: sin autē quæ solet in iure superioribus undiq; aduersari: ut exploratū mihi sit, sine calumnia argumentū id tolli non posse. Papiniani quoq; responsum pro nobis est [l], dum, si, inquit, prædium pro te obligauero, dein placuit inter nos, ut mihi fideiussorem præstares, melius esse dico præscriptis uerbis agi, nisi merces interueniat: nam si interuenit, ex locato esse actionem. quæ postrema uerba ostendunt, eo casu actionem præscriptis uerbis non esse, cum & exceptiua particula, nisi, diuersum ius à præcedentibus inducat. nam & non alia fortasse ratione à diuo Seuero statutum putauerim [m], ex pacto quod post donationē mox conceptum est, agi præscriptis uerbis, re euicta non posse, quàm quoniā ex huiusmodi conuentione ea actio non solet dari: quin & omnino mirū uideri debet, cum ex eo quod in contractu deductū est, unica actio oriat, ex pacto duplicē dari, accessoriūq; ipsum principali actione firmius fore [n]. Sed admissa hac nostra opinione, uidendum est quemadmodum contraria argumenta dissoluantur. Et primo Alexandri imperatoris constitutio quædam est [o], quæ facta uenditione, & apposito in ea pacto, de re uendita oblato precio quandoq; restituenda: si id minus fiat, cōpetere actionē uel ex uendito, uel præscriptis uerbis tradit. sed & Proculi responso cauetur [p], si uir uxori fundum uendiderit, cū pacto, ut diuortio secuto, si uellet, eodem precio eum mulier sibi transcriberet, ut id fiat, iudiciū incerti esse. Cæterum quoniā & Proculi hoc responsum Alexandri rescripto non parum aduersat, puto

a l. iurisgentium. §. quinimo. ubi Bar. ff. de pac.
b l. quotiens. de præscrip. uer.
c in d. §. quinimo
d l. cum fine. ff. de carb. edic.
e in l. in prouinciali. §. si uero. ff. de oper. no. nun.
f in l. pacta quæ cōtra. C. de pa.
g l. si pecuniam. ff. de cōd. ob ca.
h l. filio quem pater. ff. de liber. & post.
i l. lecta. si cert. petatur.
k in l. permisisti. ff. de præscrip. uerb.
l l. rogasti. §. fina. ff. de præscrip. uer.
m in l. ij. C. de euic.
n c. accessorium. de reg. iu. li. vj.
o l. ij. C. de pact. inter emp. & uend.
p l. si uir. de præscrip. uer.

A puto ita dicendum, ut quoties pactum de resoluendo, quandoq; contractu factum est, (quoniã durum est, ut quæ actio robur contractui dare solita est, in eius dissidium usui sit, & tamen æquum sit pacta seruari) actio præscriptis uerbis detur, tanquam pactum illud pars precij non sit, sed potius amicitiæ cuiusdam humanitatisq; intuitu initum. si uerò pars precij sit, ut quia propter id pactum res minore precio uendita sit, ex uendito agatur [q]. in dubio uerò utraq; actione agi possit, ex uendito propter regularem naturã pactorum, quæ actionem ex contractu informant: præscriptis uerbis, quando tale pactum legem contractui non dedit, quia pars precij non fuit, uel quia dubitetur, an fuerit [r]. Imperator itaq; Alexander utrunq; casum comprendit, siue ut in casu dubio quid iuris esset responderet, siue quòd in separatis clarisq; casibus necesse erat alterã omnino competere: quapropter disiunctiua [f] usus est. obesse etiam nostræ huic opinioni uidetur quod Labeo [s] scribit: si mihi bibliothecam uendideris, si decuriones locum concedant in quo eam reponerem, me quicq; ab illis non petente, actionẽ tibi præscriptis uerbis dari, sed & posse ex uendito agi, quasi impleta conditione, cum per me stet quo minus impleatur: sed hoc multifariam tolli potest, tum quòd ibi non de pacto agatur, quæ nostra est quæstio, sed de conditione: unde actio in factũ ex pacto ibi non conceditur, sed quia conditio uerè impleta nõ erat: tum quòd de subsidiaria quadam alia actione, non de ea quæ ex pacto oritur, loqui Labeonem Bartolus credidit [t]. sanè & ipse nostram sententiam ibi probari magis dixerim, dum eo respectu, quod per me stat, quominus conditio impleatur, agi ex uendito posse traditum est: nam recepta aliorũ opinione, eodem respectu debuisset posse etiam præscriptis uerbis agi. uerùm & quod Paulus scribit non parũ nobis negocij facit [u]: is, si conuenerit, inquit, ut res uendita si displicuisset redderetur, ex empto actio est, aut proxima actioni in factum. quod argumentum eadem responsione eliditur, qua & Alexandri imperatoris superius rescriptũ. nempe id in pacto rescisorio contractus specialiter suprascriptis rationibus inductum: quãuis etiam dici possit, huiusmodi contractum, tametsi uenditionis formam habeat, magis innominatæ conuentionis naturã imitari: quod Baldus & Alexander crediderũt [x]. Quamobrem actio in factum datur non tam ex pacto, quàm quòd propter illud pactũ contractus ille innominatis accedit. nam & Accursij sensu accipere possumus, precium uenditori non solutum, sed sub prædicta conditione promissum: qua de causa potest uenditor ex empto agere, tanquam nondum rescisso contractu, & præscriptis uerbis: ut si displicuisse sibi emptor dicat, illi actioni locus sit. cætera quæ contra nos adferri possent, perquam leuia sunt, & quæ ex se corruant: ueluti quodlibet pactum contractum innominatum esse, & ideo ex eo præscriptis uerbis agendum [y]. Item legibus tradi, ex pacto actionem nasci [z], non ex contractu, & id genus similia, certè friuola: cum pars contractus pactum sit, & nihil differat, utrum dicamus ex pacto, uel ex contractu agi: firmataq; proximitate cõtractus pactio minimè innominata dicenda sit [a]. Et ex his consequẽs est, ut quod Accursius aliquando dixit [b], actionẽ ex contractu subrogari iudicio in factum, uerũ sit, & idcirco recipiendum: quamuis nemo nõ Accursium hîc damnet. Verumenimuero & Iacobi Butricarij, & Alexandri noua quædam sententia procul abijcienda est [c]: existimauerunt enim non solum ex pacto incontinenti apposito oriri actionem unam præscriptis uerbis, sed & duas quoq; posse: ueluti cum per relationem pactionis ad contractum innominatus inducitur: alteram enim ex rei præstatione dari: quare si una uel præscriptione, uel iuramento, uel sententia sublata sit, noua supererit ad agendũ efficax. Hoc ego dubio procul semper falsum esse opinatus sum: tum quòd nusquam, ut arbitror, lectum est, duas actiones in factum in idem concedi: tum quòd ex Pomponij responso, etiam cõmuni aliorum sensu percepto, quod suprà retuli, conuincitur [d]. nam & recepta crebriore sententia, actionẽ præscriptis uerbis ex pacto, quod contractui inest, orientem, bonæ fidei esse, nemo iam ambigit [e]. at hæc actio, quæ ex rei præstatione oritur, stricti iuris est. quamobrem inducenda fuerit regula, quam Bartolus tradidit [f], & cæteri probauerunt, ex eodem contractu nunquam duas actiones nasci, quarum altera bonæ fidei, altera stricti iuris sit. quippe & omnes norunt, non debere eundem actum effectus contrarios parere [g].

q l. fundi partem. de cont. emp.
r l. j. de præ. uer.
f l. ij. §. j. uers. aut statim. ff. de uerb. obl.
s l. Labeo. ff. de contrah. emp.
t in l. si quis eum. in fi. ff. de iur. iur.
u in l. si conuenit. ff. de resc. uend.
x in l. iuris gẽtiũ. in prin. de pac. dum alleg. l. si apud Labeonẽ.
y l. j. de act. & obliga.
z d. § quinimo.
a l. fundi partem. de contrah. em.
b in d. §. quinim. & in d. l. pacta quæ contra.
c in l. in bonæ fidei. in pe. col. C. de pact.
d in d. l. permisi.
e in d. l. pacta quæ contra.
f in l. de diuisione §. fi. ff. solu. ma.
g l. qui hominem. §. fi. ff. de sol.

Lex, petens, in codicis titulo, de pactis, nouo intellectu declarata. Cap. II. C

a l. petens. C. de pact.



Onstitutio quædam in titulo, de pactis, hunc in modum legitur[a]: petens ex stipulatione, quæ placiti seruandi causa secuta est, seu anteceßit pactũ, seu pòst statim interpositum sit, rectè secundum se ferri sententiam postulat. Quam constitutionem uarijs modis interpretantur nostri Doctores, ut tamen fateantur, uoculam illam, statim, uel superfluam esse, uel rectius fuisse in primo membro collocandam. sed & ex alio intellectu admittunt, in contractu stricti iuris pacta incõtinenti facta inesse: quod sanè perquam dubium est. quapropter cogitaui quandoq;, an nouo aliquo sensu lex hæc accipi posset: & placuit ita intelligere, ut si à te hoc modo stipuler: promittis quod pacto nudo conuenisti? si prius quicquam conuenerat, etiam ex interuallo ualeat stipulatio. quòd si nil conuentum esset, ita ualeat, si statim post stipulationẽ cõtrahatur hæc conuentio, ut id in hac constitutione notabiliter colligatur, ea quæ incontinenti postea fiunt, censeri antea statim facta esse. nam & Alexander[b], & iuniores quidam autores sunt, si ex forma decurionũ ante filij contractum requiratur patris consensus, satis esse si incontinenti pòst interponatur. Quod igitur in lege municipali est, in stipulatione quoq; admittimus: præsertim cum alioqui contractus nõ subsisteret. & uulgò dicimus, multa solere induci, ut actus substineatur. nam si stipuler, quicquid te dare, facere oportet, non subinducetur, oportebitq;: quoniam absq; ea interpretatione fat & super stipulatio ualet[c]. Et hæc à nobis non quidem pro certis dicta sint, sed ut ex tam uarijs opinionibus doctior aliquis uerio rem eligat. quid enim obest, auido lectori uarias apposuisse epulas?

b in l. is qui hær. §. neq; filius. in ij. no. de acqui. hæred.

c l. si stip. fuerim illud. §. fin. de uerb. obli.

Videri indistinctè iure ciuili agi ex pacto posse: & quemadmodum in materia peccati, ius canonicum in foro ciuili obseruemus; tum confutata quorundam opinio in decretalibus. Cap. III.



Irmißima iuris ciuilis regula est, ex pacto nudo actionẽ nõ dari, sed solum ex prætoris edicto exceptionẽ cõpetere. at Pontificij canonis interpretes tametsi id ciuili lege probari fateantur, suis tamen decretis aliter esse opinati sunt: tum quòd seruari pactiones Pontifices uelint[a], tum quòd inter simplici loquela, uel conceptis uerbis iuratam promißionẽ, differentiam nullam deus agnoscat[b], sed & seruabo pacta (inquit) prætor[c], & tamen nulla actio ex eis oritur: & licet simplicem promißionem seruari non minus deo acceptum sit, quàm iuratam, efficaciorem tamen obligationem ex iureiurando nasci, etiam patrum decretis nemo dubitat[d]. Sequitur itaq;, ut frequens ea interpretũ opinio ualidis argumentis nõ subsistat, sed cum ita inoleuerit, ut minimè de ea amplius dubitare sit operæprecium: uideamus, ea admißa, quid iure ciuili affirmemus. nam quotiescunq; de aliquo aduersus deum delicto agitur, etiã in ciuili foro sacros canones obseruari debere constat[e]: quod etiamsi ueniale tantum modo peccatũ sit, procedere Antonius Butrius, Nicolaus Tudiscus, Ioannes ab Imola prodiderunt[f]. Igitur cum paciscens id de quo pepigit non obseruet, certè uanus & mendax est, delictoq; saltem ueniali fit reus. quamobrẽ ut delictum illud effugiatur, dicendum fuerit, in foro Cæsaris posse hunc Pontificia lege cõueniri: qua ratione omnis pactorũ tractatus subrueretur. Cogitaui itaq; sæpius, quemadmodum argumento huic intercederem: in primisq; eo adiuuari uidebamur, quoniã ratio cur ex pacto iure ciuili actio non nascebatur, ea tradita est, quod improuidè huiusmodi promißio facta præsumitur[g], cum plerique omnes his offerre soleant, quos non accepturos opinantur. qua de causa cum animum obligandi affuisse nõ credatur, qui promisso non steterit, nõ ideo tamen peccat, cum diuina lege sola mens consideret. quamuis itaq; Pontificio decreto ciuilis iuris prouisionẽ sublatã dicamus, permanere tamen adhuc legis rationẽ, fatendum est, qua peccati suspicio tollitur[h]: ut idcirco sacerdotali iudicio conueniri nõ debeamus. Sed & animaduertendũ est, ne Butrij, Tudisci, & Ioannis sententia uera nõ sit[i], & ueniale peccatũ à ciuili sanctione nos nõ dimoueat. nam & Pontifex Ro. Anglorũ regem (quia suæ iurisdictioni non subditus) in delicto criminali se iudicaturũ solum pollicetur[k]: similéq; huic argumentum ex ultimo præscriptionũ rescripto

a c. j. de pact.
b c. iuramenti. xxij. qu. v.
c l. iuris gentium. §. prætor.
d c. cũ contingat. extra. eo.
e Bar. in l. priuilegia. C. de sac. san. eccl.
f in c. fi. de præscrip.
g Alex. in rubri. de uerb. oblig.
h arg. no. per Archid. in c. Neophytus. lxj. di.
i in d. c. fi.
k c. nouit. de iudi.

A rescripto colligitur. Archidiaconus quoq; & Baldus non ualere pactum, quod ueniale peccatum inducat, tunc attestantur, cum ex contemptu mortale fieret[l]: quale illud, ne parentes alantur, & ne delubrum alicuius sancti uiri adeatur, & si qua similia. quin & Alexander uenialis delicti autorem pactionē iuramento confirmari probat[m]: hocq; optimis rationibus aduersus alios defendit. Ioannes Andreæ F. Pontifices Romanos in legem ciuilem ius nullum habere affirmat[n], præterquam ubi animæ periculum uertitur, quod utiq; solum in mortali peccato uertitur. Baldus nullius momenti municipalem eam legem esse ait, quæ impune aliquem interfici sinit[o]: quoniã homicidium æternæ mortis pœnam sortitur. quæ omnia satis indicant, in uenialibus à ciuili lege ad canones nil deferendum, sed in mortali (ut uocant) solum crimine eos attendi. In proposita ergo dubitatione sic respondendum est, ut distinguamus, an reus accipiendi afficiatur damno, & tunc etiam iure ciuili ex pactione agi potest[p], an nullum ei damnum paretur: & cum promissor in uenia digno reatu solum sit, non agetur: quoniam hoc casu ius quoque canonicum nihil attenditur.

l c. fi. de pact.

m in l. si alia. §. eleganter. ff. solu. matrim.

n de reg. iur. in regula, possessor.

o in d. c. fi.

p l. eleganter. §. seruus. de dolo.

Nouo intellectu declaratus textus in lege, Titia. §. fi. de manumissis testamento: tum aliorum interpretationes confutatæ. Cap. IIII.


Titia testamento ita cauit: Onesiphore, nisi rationes diligenter excusseris, liber ne esto[a]. quæsitum est, an ex his uerbis Onesiphorus libertatem sibi uendicare possit: & apud Scæuolam relatum est, ex his uerbis libertatem potius adimi, quàm dari. Iurisconsulti responsum istud quemadmodum sit intelligendum, magna quæstio inter interpretes uertitur[b]: & cum si testatrix dixisset, Onesiphore, si rationes excusseris, liber esto, dubio procul testamento libertas huic relicta esset, probabiliter dubitatũ est, cur nõ & suprascriptis uerbis idem foret, cum eandem contrariorũ disciplinam esse omnes dicant, tum eiusdem per se effectus propositum, cuius & oppositum dialectici quoq;, nedum Iurisperiti tradant[c]. Bartolus, atq; post eum fermè omnes[d], cum testamenti uerba futurum respiciant, liber ne esto, &c. negari potentiam actus solum putant: ut ea mens Titiæ existimetur, Onesiphorum nisi redditis rationibus liberum esse non posse. Quamobrem generaliter eam regulam inducunt, ut quoties futuri temporis uerba proferantur, potentiam: cum præsentis, actum denegari putent: & ideo in proposita quæstione, cum potentia denegetur dictio exceptiua, nõ nisi potentiæ respectu ponit. sed hæc omnino à uero abesse nos quandoq; disputationis gratia credidimus, cum indubitati iuris sit, hæc uerba, liber esto, actum inducere: ergo & illa, liber ne esto, actũ negare debent: & exceptio illa, nisi redditis rationibus, &c. actum inferre, ut redditis rationibus Onesiphorus liber sit. nam & ex cõmuni sententia dicendum foret, ante excussas rationes Onesiphorũ liberũ fieri nõ posse: quod generaliter acceptũ falsum est, cũ prohibitio hæc testatoris nõ nisi certis casibus admittat[e]. Baldus ex prædicto Scæuolæ responso promiscue tradidit, ex oratione negatiua sumptũ à cõtrario legis sensu argumentũ non ualere[f]: quod aliquando Alexander[g] probauit: quandoq; uerò rectius sentiẽs argumentis cõfutauit. quę ẽm ratio est, ut quod in oratione affirmatiua omnes dicimus, in negatiua non recipiamus? Igitur aliter declaranda Iurisconsulti ea uerba ipse arbitror, & in primis illud affirmandum, idẽ pollere, si dicamus: Onesiphorus nisi redditis rationibus, liber ne esto, ac si diceremus: si rationes reddideris Onesiphore, liber esto. sed in nostra quęstione dubium erat, num etiã ante redditas rationes libertatẽ adipisceret, deberetq; deinde reddere rationes: tanq; illa uerba, nisi rationes diligenter excusseris, modum, non autẽ conditionem faciant[h]. Nam si dixisset, liber esto, ita ut rationes reddas, statim manumittendus fuerat seruus[i]. quamobrẽ & in præscripta uerborũ formula idem dicendum uidebat: quoniam & si ita dixero, uendo hanc domum, nisi alius meliorem conditionẽ attulerit, emptio nõ suspenditur, sed statim perfecta est[k]: quòd si in cõtractibus sic agitur, quantò magis in legatis, in quibus accelerandæ libertatis fauor est. Quin & Ofilius Iurisconsultus existimauit[l] hæc uerba: hæres meus Titio, nisi mater mea morietur, centũ non dato: quæ æque ualent atq; illa; si mater morietur, centum dato: diem, non conditionem

a l. Titia. §. fi. ff. de manu. test.

b in l. actione. C. de transf. in l. si eum. §. fin. si quis cautio.

c l. fi. §. fi. de leg. iij.

d in d. l. actione. & in d. §. fin.

e l. fin. de manu. test.

f in l. ij. C. de condi. in ser.

g in d. §. fi. in l. j. in iiij. no. de of. eius cui.

h l. quibus dieb. §. ter milibus. de cõd. & dem.

i l. libertas. §. j. de man. test.

k l. ij. de in diẽ ad dict. & ibi glo.

l in d. l. quib. §. quidam Titio. in fin.

inducere, & ſtatim deberi centum, tametſi nondum perijſſet mater. quod dictum La- C beo reprobauit. Sicut igitur in eo Ofilius deceptus eſt, certè & non abſurdè pro Oneſiphoro ſimili caſu dubitari potuit. Iuriſconſultus tamen Scæuola decidit, ante excuſſas rationes liberũ non eſſe, cum exceptiua uox, niſi, conditionalis omnino ſit[m]: quamuis in contractibus, ubi de eorum reſolutione agitur, reſpiciat modum. quoniam contractus in dubio ita interpretamur, ut ſub modo, non ſub conditione factos dicamus[n]. Cum igitur interrogaretur Scæuola, num ex illis uerbis libertas Oneſiphoro danda eſſet, reſpondit, ex illis uerbis tantum non dandam: quoniã ea potius adimeretur ante excuſſas rationes, quàm daretur: quamobrem expectandum fuerit, ut reddat rationes: nam & ex illis uerbis, & ex facto, hoc eſt, ex rationũ calculo reddito tunc libertas competet. ſatis itaq; Iuriſconſulto uiſum eſt, ſecundũ ea quæ rogabatur reſpondere: num ex uerbis ſolis liber eſſet. quapropter non inconſultè interrogationis uerba in reſponſione replicauit. Neque dicat quiſquam, perquam breue conciſumq; reſponſum hoc pacto fore: nam ita ſolitum reſpondere Scæuolam, pluribus locis annotauimus[o]. Tametſi & ſat clarum hoc in loco eum eſſe magis probem: nam & nondum reddidiſſe rationes tunc ſeruum illum omnis admittet, qui contextis illic uerbis nihil ſubinducere uoluerit, & ſupraſcripta ad eam quoq; quæſtionem adduci poſſunt. an ſi uirgini quiſquam ita dixerit: non capiam aliam in uxorem præter te, contrahatur matrimonium: & Nicolaus Tudiſcus contrahi dixit[p]: quam ſententiam cõmunis ex prædicto reſponſo interpretatio acriter urgeret.

m Bar. in l. j. in iij qu. de condi. & demon.
n ut no. j. l. cũ mota. C. de tranſ.
o gl. in ij. cõſt. C. §. j. uerb. certas
p Abb. in c. ex parte. de ſponſalibus.

Legem, cum precum, in codice, de liberali cauſa, non rectè hactenus fuiſſe intellectam. Cap. V.



Diocletiani imperatoris conſtitutio quædam eſt in hæc uerba: Cum precũ tuarum conceptio, licet eum, contra quem ſupplicas, ex ancilla tua natũ eſſe expreſſerit, tamen nomini cognomen, quo liberi duntaxat cognominantur, addiderit: contra eum qui ſeruus non eſt, ſupplicaſſe te intelligis. D Reſcriptum hoc ita communi ſenſu interpretes accipiunt[a], ut generaliter cõcludant, confeſſionem in ſupplici libello ad principem ſcriptam, confitenti præiudicare. quod quamuis dubitatione non careat[b], admittendum tamen nec ipſe negauerim, dum tamen de enunciatiuis uerbis generaliter id diſpoſitum non accipiatur. In huiuſmodi enim enunciatis uerum id nõ eſſe, licet Accurſij interpretatio uix patiatur, attamen ratio ipſa, & uerborum proprietas luce clarius oſtendunt. exiſtimauit Accurſius[c] eius conſtitutionis talem cauſam fuiſſe: ſupplicauerat quidam aduerſus Titium, uti ſeruum ſuum, deinde in progreſſu libelli aſcriptitium, non ſeruum appellauerat: quamobrem ſanxit imperator, huic appellationi ſtandum eſſe, ne ſeruus ille cenſeat, ſed potius aſcriptitius. Verùm hæc declaratio minimè uerbis legis quadrare nobis uidetur, cum aſcriptitius cognomen non ſit, quo liberi duntaxat cognominentur: ſed potius nomen eſt appellatiuum, non cognomen[d]. Quare ſciendum eſt, apud antiquos qui ſerui erant, unico tantum nomine appellari ſolitos, ut Stichus, uel Eros, uel Dama: quòd ſi quandoq; manumitterentur, prænomen & cognomen patroni aſſumebant, & tum demum fiebant trinomines: oſtendit id Perſius:

Verterit hunc dominus, momento temporis exit
Marcus Dama.

Iuuenalis: Tanquam habeas tria nomina. Quanq; id carmen ad Catulli ſenariũ alludere uideatur: Niſi impudicus, & uorax, & helluo. Et Politianus in Miſcellaneis Capite XXXI. declarat. Igitur cum Proculus patronus Damam ſeruũ ſuum eſſe dixiſſet, deinde in ſupplici libello cognomine, quo liberi duntaxat appellantur, nuncupaſſet, puta C. Proculum Damam, confeſſionem hanc illi præiudicare imperator ſtatuit: quod quamuis ſubdurum uideatur, cum tamen fauore libertatis etiam adulatoria uerba diſponant[e], mirum eſſe non debet, ſi & idem ſit, hoc duntaxat caſu in enunciatiuis, quæ præſertim in libello ad principem referantur, cum debeat huiuſmodi uerborum forma conſultius concipi[f], ut in eis nihil ſuperfluat, nil ſit uel inconditè, uel barbarè ſcriptum[g].

a in l. cum te. C. de tranſact.
b de quo in l. edita. per moder. C. de eden.
c in d. l. cum precium.
d ut no. in l. j. de lib. & poſt.
e l. Paulus. §. fina. ff. de fideicom. lib.
f l. fi. C. de preci. impe. off.
g c. ad audientiã. de reſcrip.

Diſſolutus

A Dissolutus fortissimus obex, qui dispositioni legis, Cum mota, C. de transactionibus, aduersabatur: improbatæq; aliorum compositiones. Cap. VI.



Vm mota inofficiosi testamenti querela, transactio inter matrem & hæredes testatoris ita conuenit, ut pars bonorum matri daretur, & ea defuncta hæredes testatoris nil præstent, filijs matris actionẽ præscriptis uerbis cõpetere, ut placita obseruentur, imp. Alexander constituit: at Vlpianus [a]: si instituta, inquit, inofficiosi accusatione pacto transactũ est, nec fides præstatur, causam integram esse placuit. quæ responsa, cum inuicem pugnare uideantur, nostri Doctores uarijs modis ea conciliare adorti sunt: quidam transigenti ipsi restitui querelam: at eius hęredibus actionẽ præscriptis uerbis cõpetere, dixerunt: quod probabile non est, cum non soleat actio de testatore in hæredẽ mutari [b]: & cum prædicto casu mater certis limitibus suam transactionem artauerit: uidelicet si promissa ab hęredibus seruarentur, cum ipsa agere querela possit, certè & eius filij: alij in Alexandri rescripto transactionem sub modo factã, in Vlpiani responso sub cõditione: quamobrem actio sublata non est, nisi eueniente conditione, hoc est, ubi hæredes promissioni steterint: in Alexandri autẽ constitutione sub modo transactum fuisse, ex eo colligi, quòd in dubio modus præsumitur, non conditio: quod Cynus, Bartolus, Baldus, cæteriq; existimauerunt. Ipse nõ satis extrico, cum ablatiui absoluti eadẽ ratione in modum potius, quàm in conditionem resoluendi erant, & tamen conditionẽ ferè semper faciunt. nam & qui promittit, cum aliquid factũ fuerit, non sub modo, sed sub conditione promisisse, Cælsus autor est [c]; & tamen coniunctiua illa particula, potuit modum cõprendere: sed & quicquid hoc in articulo concludamus, diuinatione hæc solutio non caret. quidam apud Vlpianũ præparatã institutámue fuisse querelam aiunt, quod in Alexandri rescripto non acciderat, sed & hoc recentiores omnes improbant, cum ratione eius, cui ea cõpetit, præparamentũ aliquod nõ sit necessariũ: sicq; Alexandro ab Imola, Riminaldo
B Ferrariensi, alijsq; uidetur. at iuniores quidam, cum eorum lectioni adessem, Vlpiani legem digestorum iure locum sibi facere dixerunt, quo tempore à transactione recedi, passim concedebatur: quod posterioribus legibus in codice Iustiniani emendatũ est [d]; ut nouissimo hoc iure Alexandri cõstitutio obseruetur. uerùm id multipliciter confunditur, tum quòd Alexander imperator, & Vlpianus eodem tempore uixerunt, quin & à consilio Alexandri Vlpianus fuit, ut Aelius Lampridius autor est. quamobrem admittendum non est, alterius legem ab altero tanquã posteriore correctam: tum etiam quòd qui non licere à transactione discedere Diocletianus & Maximianus sanxerũt, longo temporis interuallo post Alexandrum imperauere: ut credibile non sit, de illorum cõstitutionibus Alexandrum rationem ullam duxisse. quamobrem aliter nos dissoluendum hunc nodum arbitramur. & idcirco in Vlpiani responso redire ad querelam licere dicimus: quoniã transactio ea pacto nudo facta erat. quapropter cum actio adhuc sublata non sit, si promissa non obseruentur [e], poterit quisquis ille accusationem ordiri: & si de transactionis pacto excipiatur, de contemptu hæredis replicabit, qui fidem non seruauit: & eo casu transactionem per pactum factam, Vlpiani uerba expressim ostendunt. at in Alexandri rescripto, transactio non pacto, sed renunciatione celebrata erat: quod Aretinus, Riminaldus, Socinus admittunt. renunciatio autem ipso iure actionem perimit: & hoc casu pacto longè efficacior est, ut etiam Decio uidetur [f]. nil ergo mirum, si semel sublata querela, ad subsidiariam præscriptis uerbis actionem diuertendum est: nam & mater ipsa, si uixisset, non alio remedio potuisset uti. nec nobis obstat, quod Accursius opinatus est, per pactũ ipso iure querelam tolli: nam & falsum est, & communi calculo reprobatur [g], quod ex interpretum recentum scriptis apparet. nec dicat quisquam non constare in prædicta Alexandri constitutione transactionem, pacto nudo factam non esse: nam satis hoc probari uidetur, dum querelam instaurari posse, negat: siquidem nisi perempta esset, de instauratione agendum non fuerat: cum propriè id sit instaurare, quod rem, quæ prius erat, in pristinum statum reducere. adhærendum itaq; huic responsioni est, qua aliud quoq; argumentũ eliditur: quod ex superiore titulo de pactis Accursius adducit [h]: & Bart. Aretinusq; multũ inde sese angunt.

a *l. si instituta. in prin. ff. de inof. testa.*

b *l. ij. §. ex his. de uerb. ob.*

c *l. qui promisit. de condi. inde.*

d *l. quamuis. C. de trans.*

e *l. cũ proponas. C. de pactis.*

f *Dec. in l. postquã. C. de pact.*

g *Alex. in d. l. cũ mota.*

h *l. actione. C. de pact. l. cum proponas.*

Paragraphum, quod si faciam, in l. naturalis, de præscriptis uerbis, uulgò malè accipi: & innominatos cõtractus ex forma, quam initio accipiunt, denominari: tametsi Bartolus & alij contrà. Cap. VII. C

a in l. naturalis. §. quod si faciã. de præscri. uer.



IN contractu innominato (inquit Paulus [a]) si faciam, ut des, & posteaquã feci, cessas dare, nulla erit ciuilis actio, & ideo de dolo dabitur. uidendum est, quemadmodum responsum id intelligendum sit: & Bart. quem cõmuniter alij sequunt̃, locum sibi uendicare eam dispositionẽ arbitratur, quando ex facto nihil illi adest, qui dare debuerat, quare alio casu præscriptis uerbis agendum esse. quæ interpretatio non iniuria quibusdam displicuit, ut Iurisconsulti uerba, quæ generaliter in formam regulæ proferuntur, rarissimo eo casu duntaxat intelligantur, cum ex facientis opera aliquid alteri cõtrahenti non adest. quamobrem Christophorus Castellioneus [b], & Fulgosius, Deciusq;, semper & indistinctè in ea contractus specie dari actionem de dolo, tradiderunt, sed & nihilominus præscriptis uerbis agi posse: quoniã pluribus id legibus testatũ est. nec Pauli uerba quicquam eos mouent, dum nullam esse actionẽ ciuilem dicit: nullam enim intelligũt specialem & nominatam, alioqui generalem quandam dari, quæ actioni de dolo coniungi possit: ciuilem itaq; actionem, id est nominatã exponũt. uerùm hanc opinionẽ impingit & expugnat Alexander [c], ut etiam ab ea, cum cauillo quoq; non careat, recedendum sit. Iuniores alij interpretes ex Alexandri rationibus in nouam sententiã iuerunt, ut dum dicitur, nulla erit ciuilis actio &c. de ea loqui Iurisconsultus credatur, quæ plenè prouideat: nam in alijs innominatis cõtractibus habet locum præscriptis uerbis actio, ut promissor adimpleat, uel conditio ob causam, ut si pœnituerit acceptũ restituat [d], sed in ea specie cõtractus, quando aliquid factum est, condici non potest, cum facta infecta fieri non possint: idcirco in locũ conditionis actio de dolo datur. uerùm & hoc nobis haudquaquã applaudit, cum cõditio possit in quibusdam quoq; factis intendi, ueluti in obligatione rem tradi. & si admiseris eo casu cum factum repeti ualeat, & condici, & præscriptis uerbis agi posse (quod Alexander existimauit [e]) non minus Iurisconsulti superiora uerba restrinxeris, quàm uel Bart. uel Fulgosius, uel quiuis alius fecerit. quamobrẽ generaliter nos illud responsum interpretamur, ut eo casu nunquam præscriptis uerbis agatur, sed solum doli mali iudiciũ intendi queat. & ratio cur nõ detur præscriptis uerbis actio, sicut in alijs contractibus esse potuit: quoniã cum facta utplurimũ repeti non possint, lex generaliter introduxit, ut agerẽ de dolo: tametsi quandoq; reperiantur casus speciales, sed ea non debuerũt generalem regulam impedire, cum huiusmodi regulæ habeãt locum etiam in casibus, qui tanta ratione non substinentur [f], cum item lex frequentiora respicere soleat, non quæ ex inopinato accidant [g]. probatur etiam nostra sententia ex Alexandri Imp. in titulo de transactionibus cõstitutione [h], atq; ex lege quarta in tractatu codicis de dolo malo [i], quæ generaliter in prædicto contractu actionem doli tribuũt: quãuis à Bart. & alijs maximo cauillo restringant̃, cum reo ex alterius facto nihil adest: nec in cõmunem sensum nos traxerint duo argumenta, quibus illi nituntur. prius est, quod Alexander Imp. cõstituit [k]: si in querela inofficiosi cum filio hæres scriptus transegerit, ut filius à lite discederet, & partem bonorũ susciperet, fide non seruata filio si stipulatio non interuenit ex stipulatu, alioqui præscriptis uerbis actionem dari. sed eo in casu non esse contractũ, facio ut des, sed potius, facio ut facias, crediderim: quod & Socinus in anteludijs rubricæ de uerborũ obligationibus probat [l], & nos confirmamus: quoniã nisi eo in textu hæres scriptus solum se ad tradendum obligasset, non actio ex stipulatu (ut uerba indicant) sed certi cõdictio cõpetijsset [m]. Posterius argumentũ ex Iuliani responso dependet, apud quem, si tibi promisero decem, si fugitiuum seruũ indicaueris, deinde ea non soluam, cõpetere aduersus me præscriptis uerbis iudiciũ tradi tur [n]: sed contractũ nos illum opinamur, qui sit, do ut facias: nõ, qui casus est noster, facio ut des. siquidẽ & contractus innominatos à forma ineundi denominari, magis placet [o]. quam sententiam Accursius ubiq; tuetur, & nos non rationibus tantum: sed & Iurisconsultorum uerbis probari, quandoq; animaduertimus. Nam si dedi tibi Stichum ut Pamphilum manumittas; manumisisti, euictus est Stichus; non actionem de dolo, sed

b in l. cum proponas. C. de dolo. Decius in d. l. cum mo.

c in d. l. cum proponas.

d l. si pecuniã. de cõditio. ob cau.

e in l. actione. in iij. col. C. de trans.

f l. ij. §. ex his. et ibi Soci. no. de uer. ob.

g l. iura. de lega.

h l. actione.

i l. cũ proponas.

k l. cum mota.

l Soci. in rubr. de uer. obliga. in xiiij. col.

m l. ubi autem. de uer. ob.

n l. solent. de præscrip. uerbis.

o ut per Bar. in d. l. cum mota.

D

A sed prescriptis uerbis dari, Vlpianus scribit[p]. certè si alios sequeremur, qui manumisit, agere de dolo malo potuisset, tanquã is contractus esset, cum facio ut des: nec Alexandri Imolensis responsio quicquã obest[q], distinguentis, an nihil datum sit, an aliquid, licet non plenè, ut primo casu de dolo agat, sequenti non item: nam cõuincitur id expressim, cum in contractibus innominatis non intersit, nihil præstes, an totũ non præstes[r]. neq; Pauli responsio adiuuatur Alexander, dum in prædicta quæstione dari actionem de dolo putat[s], si sciens alienũ Stichũ tibi dederim: nam ea actio de dolo subsidiaria est ex æquitate, ut Riminaldus existimat, non quæ ex contractu, facio ut des, oriatur. siquidem & nos adiuuat, quòd innominati contractus sub modo contrahuntur[t]: quamobrem etiam antequam aliquid cœptum sit, oritur obligatio. cur non igitur ab ea determinantur? sed & Bartoli opinio probabilis non est, dum ratione eius qui dedit, contractũ esse, do ut facias, ratione facientis, facio ut des, existimauit. nam si semel à me tibi datũ est, quomodo (quæso) tu facies ut dem, cum iam acceperis? quòd si qua huic sententiæ argumenta aduersentur, adeundus est Riminaldus[u], qui ea omnia diffusè & eleganter explicat. Cęterum cum locus hic omnis planè salebrosus sit, non puduit me quandoq; mutare sententiam, & in cõmentarijs de uerborum significatione Pauli Vlpianiq; responsa aliter interpretari[x], posterioribus semper, ut dici solet, melioribus.

p l. iurisgentium. uers. & ideo. ff. de pac.
q in d. l. cũ mota.
r l. j. ff. de rerum permu. gl. in d. l. iurisgentium. in uerbo, facias.
s in l. naturalis. §. at cũ do. uers. si. sed si dedi.
t Bar. in l. si quis cum debitor. ff. de iureiur.
u in d. l. cũ mota.
x l. Labeo. ij. de uerb. sig.

Cur in adulterij accusatione licita transactio non sit, efficax ratio assignata: & cæteræ ante nos traditæ, confutantur. Cap. VIII.



PRoloquium iuris firmissimum est, in criminibus, in quibus de pœna sanguinis agitur, pactionẽ transactionemq; permitti[a]: quoniã unicuiq; proprium sanguinem redimere licet: à qua regula adulterij crimen excipitur. dubitauerunt longis quæstionibus interpretes nostri, quæ nam huiusmodi dispositionis ratio fuerit: & alij aliter responderunt. quidam adulterium B grauissimũ crimen esse, & idcirco quo magis arceatur, quãcunq; pactionem prohiberi. sed grauiora eo quædam delicta plures annotauerunt[b]: & Baldus non admodum graue existimauit, quoniã huiusmodi ad facinora impellẽte natura, procliues sumus[c]. quapropter Romanus Pontifex, qui in grauibus delictis facultatem absoluendi sibi reseruat, de adulterijs, & alijs leuioribus criminibus ius indulgendi, reliquis episcopis relinquit[d]. Bartolus igitur, & alij quidam, in causa huius rei asserunt: quòd si pro comperto stupro pecuniam quisquam receptet, puniendum esse, legibus cauetur[e]: non itaque mirum si transigi non potest. Alexander Bartolum damnat: quoniã pacisci saltem liceret, cum sine pecunia simplex pactio procedat. sed dixerit aliquis, pactiones quoq; prohiberi, ne de lenocinio paciscens suspectum se faciat. uerùm quamuis pro comperto adulterio maritus, si uxorem non accuset, lenocinij reus sit[f]: non tamen idem esse quisquam probauerit, cum de crimine dubitatur. quid enim si deliquisse uxorem ambigens, eam accusauerim? cur ex hac ratione non debuit permitti pactio? sed & quid si extraneus accusauerit: num is lege Iulia lenocinij punietur[g]? nam & concedamus, pecuniam, ut crimen non deferat, acceptantem plecti, debuit saltem ualere transactio, cum & alibi legerimus, tametsi cõtrahentes puniantur, actum tamen ab eis gestum ualere[h]. at Salicetus, Fulgosius, Paulus Castrensis, Alexander, & cæteri iuniores, introductum id fauore matrimonij existimauerunt, ne uidelicet ignobili patre nati liberi, per adulteriũ generosis familijs inserantur[i]. sed cur non idem in stupro? cum ubi grauẽ sibi uterũ uel uidua, uel puella senserit, uerisimile est nupturam, ut citra famæ dispendium, tanquã ex marito conceperit pariat: & tamen in stupro idem non esse frequentior opinio est. nam & fauorabilior omnino causa uitæ humanę est, & tamen super homicidio transigit, ut fauorẽ hunc in causa huius rei nõ esse, facilè mihi persuadeã. Omissis itaq; aliorũ dictis, sciendũ est, iure ueteri adulteros pœna sanguinis non coërceri, sed potius deportari solitos[k]: quod Bart. & cæteri prodiderunt. Igit eo iure cum pœna sanguinis non irrogaret, transactio locũ non habebat: quia in huiusmodi criminibus, cũ publicè expediat scelera uindicari, suprascriptũ proloquiũ non procedit: & hoc ex prædicta ratione, ut crimina arceant. quæ ratio non omnino efficax, sed suasoria impulsiuaq; est[l].

a l. transigere. C. de transac.
b l. fina. §. j. ff. de pub.
c in c. at si cleri. §. j. de iud.
d in d. c. at si cler.
e l. auxilium. in fi. de mino.
f l. is cuius. in j. respon. ff. de adulte.
g l. j. in prin. de adult.
h Bar. in l. non dubiũ. C. de legib.
i l. super statu. de quæstio.
k l. si quis uiduã. de quæst. Bar. in l. Claudius. de his quibus ut indig.
l l. j. §. sexum. de postul.

Igit quamuis ea cesset, remanet adhuc dispositio: cessauit enim, cū posterioribus legibus capitalis pœna adulteris irrogata sit [m]; at non idcirco prior ipsa dispositio fuit tollenda. animaduertendum tamen est, quamuis præscripto casu pacisci nemini licet: odium tamen ultro, citroq; remittere, litigatores permittuntur, & ex pace inimicitijs modum statuere, quod Bart. Alexanderq; testati sunt, nemoq; quicquā his aduersari prodidit.

m l. quamuis. C. de adulte.

Cur in falso transigi liceat: itemq; explicatum, an in pœnalibus fiat extensio, quasi reipublicæ intersit reos puniri: noua quædam aduersus Bartoli Aretiniq; sententiam decisa. Cap. IX.



Ideamus nunc regulam superiori contrariam, quæ est; In criminibus, quę pœnam sanguinis non ingerūt, non permittit aut transactio, aut pactio [a], præterquam in crimine falsi. & huius pronunciati ratio est: quia publice expedit reos impunes non esse [b]. quod quamuis generaliter uerum sit, ex humaniore tamen regula, qua licere unicuiq; sanguinē suū redimere, traditum est [c], restringit ut non procedat, nisi cum de sanguinis pœna non agitur. sed & in eo dubitari solet, cur falsi crimen exceptū fuerit: & hoc esse propter eius atrocitatē, Doctores scripserunt. quippe homicidio grauius creditur [d], ut etiam sacerdotes eo delicto rei Pontificū decretis statim exautorandi, ciuiliū iudicum criminali sententiæ subiaceant. uerùm quicquid ab alijs traditū sit, non dubito grauiora delicta quædam esse, in quibus tamen transigi non licet. nam & uix cuiq; probabile fuerit, ut idcirco licita sit transactio, quoniā atrox crimen est: atqui tanto minus permitti debuerat. Bart. igit aliter sensit, qui, sicut in homicidio transactio concedit, ita & in falso, prodidit, cum hoc in crimine de hominis existimatione & fama agatur, quæ uitæ par est [e]: cum plerunq; grauiorē hanc causam uiri boni & prudentes uitæ periculo ducant. sed & hoc nobis non probabitur, cum ex hac ratione consequens esset, ut quoties de infamiæ nota ageretur, transigi posset, quod iuris autoritate uacillat. Ideo rectius nos sentire forsitan aliquis crediderit, nā in priuatis publicisq; criminibus idcirco transigere non licet: quoniā huiusmodi transigens pro confesso habetur. hoc Bart. hoc Baldus, id cæteri omnes probāt [f]. hæc autem confessio non uera est, sed odio in rempublicam delinquentis introducta: & idcirco ficta, præsumptaue: quod & pleriq; omnes tradunt. at nos id in crimine falsi speciale esse scimus, ut ex eo quantumlibet firmis præsumptionibus nemo condemnādus sit: quod Accursius, Baldus, Alexander, Iason testati sunt [g], & à Philippo Decio eleganter defenditur [h]. Nil igitur mirum, si in crimine falsi quilibet transigere potest, cum ex hoc condemnari uti confessus non possit. sed hæc hactenus. Dissoluenda nunc est ex supradictis proloquijs quædā dubitatio. quoties de nocentis alicuius pœna agitur, solent nostri Doctores, qui patrocinium reo exhibent, allegare in pœnis mitiorem interpretationē retinendam, restringendaq; huiusmodi odia. at qui actoris partes fouent, in primis Bartolum adducunt [i], qui dixerit admittendam extensionem: cum fauorabilis res sit, & reipublicæ expediat sontes damnari. quemadmodum quæso hæc simul non pugnant? Aretinus [k] Bartoli sententiam reprobat. uerùm nos ex supradictis ita opinamur, ut quoties pœna sanguinis ingerenda est, mitiora probanda sint: si uerò ea non indicatur, fauor reipublicæ præualeat.

a d. l. transigere.
b l. ita uulneratus. ff. ad l. Aquil.
c l. j. de bonis eorum.
d Inno. in c. nouimus. de uer. sig.
e l. iusta. de manu. uind.
f per l. fina. de præuari. l. eius qui de iur. fis.
g gl. in l. iurisgentium. §. quod fere. de pac.
h Dec. in c. porrecta. de confir. utili uel inut.
i in l. quemadmodū. C. de agri. & cens.
k in l. Gallus. §. quod si is. de libe. & posth.

Qua pœna stuprum iure ciuili puniatur, duo contraria responsa simul conciliata: & disputatum, an in stupro transigere liceat. Cap. X.



Vm superius à nobis disputatum sit, cur in adulterio transactio uel pactū, ut ab accusatione discedatur, nullius momenti sit, consequens est, ut uideamus quid iuris in stupro sit obseruandum: & quidam idem esse opinati sunt, quoniā adulterij appellatione etiam stuprum comprendatur, & lex Iulia promiscuè stuprum & adulteriū φθορὰν appellat, quod & nos probamus [a]. Sed quò nostra hæc sententia firmior sit, quærendum est, qua pœna stuprum puniretur: nam si ea ad gladij ius non pertinet, indubitatum profectò, quod opinamur, fuerit. Tribonianus in institutionum calce [b]; lege, inquit, Iulia stupri flagitium punitur, cum quis sine ui uel uirginem, uel uiduam honestè uiuentem stuprauerit. pœnā autem

a l. inter liberas. ff. de adulte.
b §. item lex Iulia insti. de publi. iud.

A autem eadem lex irrogat peccatoribus, si honesti sunt, publicationẽ partis dimidiæ bonorum: si humiles, corporis coërtionem cum relegatione. quæ uerba indicant, eo in delicto sanguinis ultionem non esse, quod memoratu dignum & singulare Matthesyllano uisum est [c]. cæterum dudum ipse animaduerti, Paulum de extraordinarijs criminibus supradictis aduersantia prodere [d]: Is, si quis uirginem interpellauerit, perfecto flagitio, capite puniendum: imperfecto, deportandum, autor est: tum comites qui pecunia corrupti opem dederint, trucidandos. nam & Baldus [e], si se iudice huiusmodi stupratores oblati fuissent, summum supplicium de illis sumpturum se dixit. quippe absurdum est, minus adulterio stuprum puniri, cum regulariter ęquiparari soleant. uerùm totius dubitationis cardo in hoc uertitur, quemadmodum Triboniani uerba elidi possint. Cotta uir planè doctus & diligens [f], corruptum institutionum codicem existimauit, & in eo non peccatoribus, sed prædicatoribus legendum: quod & humanitatis professores quidam censuerunt [g]: sed & hoc uix probauerim, cum atrocissimo illi delicto nimis leuis pœna hæc esset: alibi utique traditur, in uindictam armari iura gladio fuit, & cum precatoribus legerem, & interpretes hortatoresq́ sceleris intelligerem, quod etiam haudquaquam arridet. quamobrem uerius est, lege Iulia stupratoribus eam pœnam irrogari, sed extraordinario iudicio longè grauius eos plecti, nimirum pœna quam Paulus tradidit. nec enim nouum est, eiusdem criminis diuersis legibus, diuersas pœnas constitui potuisse.

c *in notabili. e.*
d *l. j. de extraor. cri.*
e *in l. si quis non dicam rapere. C. de epi. et cle.*
f *in memoralibus.*
g *Baptista Pius in annot. e. l. iij.*

Transactionem in causa sanguinis processui finem imponere, & nouo intellectu utcunq; exposita lex ij. C. de abolitionibus. Cap. XI.



SVperest ut uideamus, an transactio in accusatione criminali, cum fieri licitè potuit, iudiciario processui finẽ imponat: & imponere Bartolus alijq́; responderunt. nam si ubi transactum foret iudex extra ordinem inquirere
B permitteretur, nihil certè à legibus, quæ transactiones eo casu concedunt, iuuaremur. cum etiam quod quisquam pacisceretur, non tamen sanguinem suum redemisse dici posset. & quamuis publicè intersit, nocentes puniri: & graui atq; bono præsidi conueniat, in eos inquirere: de inquisitione generaliter facta intelligendum est: nam alioqui simul pugnantia facere præses uideretur. siquidem ab accusatore qui transegit ex Turpiliano senatusconsulto quinque libras auri exigere potest, quæ mulcta his indicitur, qui ab accusatione desistunt: quod utplurimum fit, deficientium probationũ metu, unde eas accipiens uidetur fateri accusatorem præuaricatum, & accusatus in dubio insons præsumitur: si igitur inquirat, de rei noxia adhuc agit. In contrariam tamen sententiam iuere Fulgosius, Riminaldus, & quidam alij, huiusq́; disputationis summa ex Constantini Imperatoris constitutione pendet [a]: Is, si accusator, inquit, per deceptionem uel pecunijs à reo corruptus ad postulandam abolitionem uenit, redemptæ miserationis uox minimè abmittatur, sed aduersus nocentẽ reum inquisitione facta, pœna cõpetens ingeratur. quæ uerba Bartolus solum procedere intellexit, cum transactũ est in illis casibus, in quibus iure transigi non potest: uidelicet cum de pœna sanguinis non tractatur: sed hoc subtiliter illi reprobant. quoniam in illis casibus transigens pro confesso habetur, aduersus quem inquisitio locũ non habet, nisi modica quædam inuestigatio, an delictum factum sit, & tamen inquiri lex iubet: quid affirmandum? Bartoli me plurimum & autoritas & ratio mouet [b], tum quòd & eius sententia humanior est. nouo itaq; intellectu accipiendam esse Constantini eam sanctionem putauerim: dum enim in ea scriptũ est, si accusator à reo pecunia corruptus desistat, uocẽ redemptę miserationis nõ admittendã, ita intelligendũ est, ut ipsi accusatori abolitio non concedatur: sed aduersus eum qui, quoniã destitit ab accusatione, factus est reus, inquisitione facta pœna cõpetens ingeratur, quę est, ut si destitit ab accusatione, quę pactione recipiebat, quinq; auri libris ex Turpiliano puniatur [c], alioqui pœna talionis [d]: & hoc sensu nihil de ipso primi criminis reo in cõstitutione dicitur: nam & solũ de accusatore eã loqui, is iudicaturus est, qui totam legerit. & hoc quidem modo Bartoli opinio defendi potest, tametsi non sine scrupulositate, & (quod uulgò dicitur) non citra puluerem.

a *l. ij. C. de aboli.*
b *in d. l. transigere.*
c *l. fi. C. de accus.*
d *l. qui crimen. C. qui accus. non pos. l. iij. de præuaric.*

Quatuor interpretationes, quæ in l. ubi pactũ, C. de tranſact. per Accurſium referuntur, omnes defendi poſſe, quod alij non putauerunt: tum in alia quęſtione ibidem aduerſus Bartoli ſententiam itum. Cap. XII. C



TAmoſiſſima eſt Imp. Gratiani, Valentiniani, & Theodoſij lex, in [a] hæc uerba: ubi pactum uel tranſactio ſcripta eſt, atq; Aquilianæ ſtipulationis & acceptilationis uinculis firmitas iuris innixa eſt, aut ſubſecutis ſecundum legem accõmodandus eſt conſenſus, aut pœna unà cum his quę data probant, ante cognitionem cauſæ, ſi aduerſarius hoc maluerit, inferenda eſt. ueſtigandum in primis fuerit, quo ſenſu conſtitutio hæc percipienda ſit. & Azo, quem Bart. crebriusq; cæteri ſecuti ſunt, ita interpretatur, ut is qui prędictæ tranſactioni contrafacit, & ab ea recedere uult, non ſolum accepta reſtituere, & pœnam ſoluere teneatur, ſed etiam agẽs nihilominus exceptione ſummoueri poſſit. at Petrus Cynus, Rainerius, Fulgoſius, & iuniores alij, prædicto caſu ſi accepta reſtituta ſint, & ſoluta pœna, exceptioni locum non eſſe arbitrati ſunt. quæ ſententia uerbis legis defenditur, dum aut promiſſioni ſtandum, aut ſupraſcripta exoluenda eſſe tradunt. cum enim per diſiunctiuam uoculam concepta ſint, ſufficit ſi alterum interueniat [b], ut nemo non euidenter calumniatum Alexandrum deprendat: dum quamuis diſiunctiue uerba prolata ſint, non idcirco tamen negare exiſtimat, quin coniunctim ea remedia competant, quaſi qui per diſiunctiuã promittit, coniunctim ea ſe daturum non neget [c]. ſed & aliter reſpondere alij nituntur, quorum dicta quoniam recentiores [d] confutant, iterũ ſub incudẽ reuocare, præſentis inſtituti non eſt: nã & præter Fulgoſij argumenta illud quoq; communem ſententiam impellit, quòd ſi ea in tranſactione iuramentũ interueniſſet, grauior aliqua pecuniaria pœna non infligeretur [e]: & illa opinione recepta nihil periurium uindicaretur, præterquam ſimplici infamia: cum tamen eas omneis pœnas ſe ſtatuere in peierationis uindictã Imperatores declarẽt. ſiquidem ecquis quæſo tam mentis inops eſſet, ut ſi Bartolus probetur, tranſactioni contraueniat: cum & accepta, & pœnam reddere cogeretur: & tamen nihilomagis quicq; ex priſtina actione conſequi poſſet. exibilanda igitur hæc eſt interpretatio, quæ & inhumana eſt, & non ueriſimilis, & uerbis legis repugnat. cæterum cum per acceptilationem actio ſublata ſit, uidendum eſt, quemadmodum rurſus agi poſſit. & quatuor antiquorum ſunt ſententiæ, quas cõmuniter noſtri Doctores damnant, & eas omnes defendi poſſe nos opinamur. & in primis gloſſematum ſcriptor Albertus, ſuſcitari directam actionem dixit, ne pœnã & res datas cum cæteris bonis reus habeat, quod Bartolo Alexandroq; non uidet: cum etiã ſi hoc expreſſè ageretur, non tamen contrahentes facere poſſent, ut extincta actio reuiuiſceret. uerùm generaliter ego animaduerti omnes contractus diſſolui, ſi per omnia contrarium agatur [f], quamobrẽ etiam quòd per contrariam acceptilationẽ præcedens acceptilatio non pereat [g]: quoniã, ut uulgò ſcimus, negationes nihil ponunt, ſi tamen agant partes, ut ceſſante acceptilatione, prior obligatio duret, nihil opinor oberit quominus directa ſuſcitetur [h]. cum igit non utrunq; remedium, ſed alterum tantũ reo competat, ſi pœnam recipit, & data repetijt, id agere uidetur, ut actio rurſus oriat. quamobrem ex legis diſpoſitione ſatis admitti poteſt, priorem actionẽ actori indulgeri, & hoc ſuadente æquitate, ne omnia reus habeat. cętera quæ aduerſus hanc interpretationem referuntur, quoniam ſatis leuia ſunt, piget adſcribere: alij utilem renaſci actionem magis probant. nam quum iniquum ſit res retinere, & pœnã petere [i]: ubi actor pœnam, & res receptas ſoluerit, reſtitutionẽ in integrũ ex clauſula generali poterit petere, quapropter actio illi à prætore decernetur, quæ utilis eſt. nam & aduerſus tranſactionem reſtitutionem cõpetere, ex legibus ſatis & ſuper conſtat [k]. & hęc expoſitio ratione utiq; non caret: tametſi Bartolus & poſt eum alij aliter Accurſij uerba perceperint, quò facilius in ſua ipſi ſententia perſiſterent. quidam nullam actionẽ renaſci maluerunt, ſed potius condictionem ſine cauſa dari: quæ ſententia omniũ maximè probabilis eſt. ſed & hoc ijdem Doctores oppugnant, quoniã cum cauſa propter actoris culpã ceſſet, non debet actionẽ conſequi, ne ex proprio dolo locupletet. uerùm & hoc argumentũ perq; leue eſt: cum enim remedia illa diſiunctim competant, falſum eſt actorem delinquere, qui

D (right margin, at "tis inops eſſet")

a l. ubi pactũ. C. de tranſac.

b l. hæc uerba. ff. de uer. ſig.

c l. j. §. ſi qs ſimpliciter. ff. de. uerb. obliga.

d Rimin. & alij.

e in l. ſi quis maior. C. de tranſact.

f l. ab emptione. ff. de pact.

g gl. in l. ſi unus. §. pactus ne peteret. ff. e.

h arg. l. quamuis. §. quoties ad Vellei.

i l. apud Celſum. §. Labeo. ff. de doli excep.

k l. j. & ij. C. ſi adu. tranſ.

qui facultate sibi à lege concessa utitur [l]. Igitur absurdum non est, si condicere potest, ut se reus in antiquam obligationem reponat: dummodo enim æquitas subsit, condictio sine causa locũ habet [m], tametsi qualisqualis culpa arguatur: alioqui si absq; causa decem promisero, condicere non possem, cum uerum sit me fidem fallere. nam & si quid in re mala fide possessa utiliter prædo impenderit, repetitionem impendij illi dari, iure Romano cautum est [n]. poterit itaq; actor de facto agere: & si reus pœnam & res datas petierit, tunc ut in pristinam obligationem restituatur, condicet. Quarta sententia aliorum est, quam Petrus Fulgosius, & Paulus Castrensis probant, dicentium, de facto agi posse [o]. nam generalis regula est, reo uolente huiuscemodi actionẽ admittendam: quapropter cum remedia illa disiunctim competant, reus qui res datas & pœnam accepit, necessariò uelle uidetur, ut agere actor possit: quoniam si primus actus spontaneus est, qui necessariò inde cõsequens est, æquè uoluntarius censetur [p]. & hanc interpretationẽ si ita declaraueris, Bartoli & Alexandri uelitationes nihil eam impedient. neque dicat quisquam, posse hunc actorem ex officio iudicis repelli, cum sine actione experiatur: nam cum reus ipse nõ possit, ex æquitate nec iudex potest, ut fusius Riminaldus, recentioresq; alij explicant.

l l. Graecus. C. de adulte.

m l. qui sine. ff. de cõdi. sine causa.

n l. plane. ff. de peti. hæredi.

o l. Iulianus. §. quantum. ff. ad exhib.

p l. & ideo. in prin. de cond. furt. Aret. in l. is potest. in fin. de acqui. hære.

Qui promissioni suæ de facto contrafacit, quemadmodum teneatur, improbata Bartoli Aretiniq; sententia: & nouo intellectu dilucidata lex, ea quidem, C. si mancip. ita fuerit alien. Cap. XIII.



SI quicq; non facere sub pœna promiseris, deinde perperam & irrito modo feceris, dubitatur num cõmitti pœnam dicamus: & Bartolus [a] distinguendum putat, ut si stipulator lædatur, dicamus cõmitti, alioqui non cõmitti: sed cũ dubij sumus, an incõmodum pati possit, idem existimandum esse, ut soluenda sit pœna. Itaq; si in mancipij uenditione eam legẽ dixero [b], ut nunq; manumitti possit, & stipulatus sim pœnam, si emptor manumiserit, non cõmittitur pœna: quoniã manumissio ea nullius momenti est, & uenditor nullum dispendiũ inde patitur. Cæterũ distinctio hæc dubio apud me non caret, cum prædicto casu uenditoris interesse possit, ne seruus manumittatur, cum etiam in contractibus bonæ fidei, ratio affectionis non modica habeatur [c]. sed & quid uenditoris dispendium illud consideremus, cũ manifestum sit, in pœnis quicq; quod intersit non considerari [d]? Aretinus dum se ex hac nassa eximere uult, distinguendum putat [e], ut si quicq; his quę ex proprietate sermonis in conditione stipulationis pœnalis continentũ, quoquo modo contrafactum sit, pœna omnino cõmittatur: alioqui cum ex proprietate non continentur, si stipulatoris intersit cõmitti, aliter nõ committi. sed uerba hæc Aretini hauquaq; nobis uera esse uisum est, cũ lex [f] dicat, ubi transactio per acceptilationẽ facta est, si contrà quàm cautum sit, fiat, & pœnam solui, & data reddi: & tamen eo casu non nisi perperam agi potest: nec lex explicat, an uerba propriè accipiantur, uel impropriè: quid enim si eo casu expressim cautum esset, ne actor etiam de facto cõtraueniret, nónne quãuis non interesset, cõmitteretur? quod tamen Bartolus negat. nónne etiam generaliter dici solet, contrahentiũ uerba, quæ de iure intelligi non possunt, ad solum factum, ut actus subsistineatur, referenda [g]? quod etiam in his quæ stricti iuris sunt procedit, ut ètiam iudicia ea interpretatione adiuuentur [h], ne ad nihilum reducantur. Itaq; sciendum est, stipulationes pœnales duplici de causa apponi solitas, ut cõtemptum ulciscanũ, & ut id quod intereſt resarciant. qua de causa si directè illis contrafactum sit, tota pœna committitur, si ex intercapedine & obliquè, tunc nisi quatenus interest exoluitur [i]. Igitur in proposita quæstione, si stipulationis uerba eum sensum patiantur, ut etiam de facto contrauenientem comprendere possint, idq; actum uerisimile sit, tunc pœnam committi censeo. quòd si per obliquum contrafiat, si intersit, eatenus committi, quatenus interest. nec uideo quemadmodum dubium esse possit, an intersit, cum aut stipulator probabit, & contrafaciens punietur: actore autem non probante reus absoluetur [k]. Nec ab hac sententia nos dimouebit Gordiani Imperatoris [l] constitutio, qui in prædicto casu, cum seruus sub conditione, ne manumitteret, uenit, si manumissus sit, nõ tamen cõmitti stipu-

a in l. ubi pactũ. C. de trans.

b l. ea quidem. C. si mã. ita fu. ali.

c gl. in l. fideiuss. ff. de pact.

d l. stipulatio ista §. alteri. ff. de uerb. obl.

e in l. continuus. §. cum quis. ff. de uerb. obl.

f d. l. ubi pactum.

g l. stip. ista habere. §. hi qui. ff. de uerb. obli.

h l. solemus. ff. de iud.

i Bar. in l. ij. §. item si in facto. ff. de uerb. obl.

k l. qui accusare. C. de eden.

l d. l. ea quidem.

lationem pœnalem sanxit: existimo enim intelligendam, cum non primus, sed secun- C
dus aliquis emptor manumisit: quod cōstitutionis ipsius finis ostendit. quamuis enim ex facto primi emptoris contrafactum sit: quia nisi alteri uendidisset mancipium illud, liberum non foret: quia tamen directò non contrafecit petitioni, pœnæ locus non est. & hanc legem ita accipiendam, Accursius censet: & id quidem in ultima interpretatione, quæ prioribus præuertere solet [m]. neq; obstat Iurisconsulti responsum, quo promissorem sub conditione, si res sacra uenderetur, non incidere in pœnam uulgò tradi dicitur: quoniam ea Iurisconsulti uerba aliter accipienda sunt [n]: neq; enim ibi mentio ulla de pœnali stipulatione habetur, sed solum is casus attingitur. Finge Titiū mihi promisisse X. si ecclesia uenderetur, nullius momenti hæc est promissio, quoniam sub conditione impossibili facta: atq; item cōtra bonos mores: quod & ibidem Ioannes ab Imola interpretatus est: omnino enim responsum illud nihil aduersus nos nouat.

m Iason in l. pacta nouiss. C. de pa.
n in d. l. cōtinuus. §. cum quis.

Alio sensu, quàm cæteri hucusque fecerint, perceptus uersiculus ultimus in l. cum filio, de leg. primo. Cap. XIIII.



Voties pater fideicommisso grauatus est, filio à testatore instituto, restituere hæreditatem non ut hæres, sed ut pater grauatus esse intelligitur. quapropter ex Falcidia lege quicquam detrahere prohibetur: quod Papinianus scripsit, cuius uerba hæc subsequūtur, intellectu admodum difficilia. Ideo si filio rogatus sit pater post mortē suam, quod ad se peruenit, ex legato uel hæreditate filio relictis restituere, isq; uiuo patre decedat, omnimodo patrem id retenturum, quoniam fideicommissum ex persona patris sui uires recepit. quæ uerba ex contrario sensu indicant, si extraneo rogatus sit pater restituere, & extraneus interim moriatur, patrem non retenturum fideicommissum: quod uix defendi potest, sitq; potissimum, ut quod in directo sensu dicitur, indubitabile sit: quoniam regula est, fideicommissum conditionale nō transmitti: quod uerò tacitè colligitur, falsum, cum nec extra- D
neus transmittat, sed tum quoq; apud hæredē permaneat. Accursius, Iacobus ab Arena, Bartolus, Petrus Besutius uarijs modis, ut gryphum hunc dissoluerent, Iurisconsulti uerba declarauerunt. sed quoniam eorum expositiones ab Iasone acutissimè confutantur, silentio eas transigendas duxi, cum uideam satis esse, si Pauli Castrensis, quem Aretinus & Iason ipse sequitur, sententiam legi non conuenire conuicerim. Igitur Paulus ita suprascripta uerba accipit, ut si extraneo grauatus sit pater post mortem suam restituere hæreditatem, & ille interim decedat, fideicōmissum ad filium deuoluatur, qui effectus erat sui iuris, tempore quo ante patrē extraneus decessit: quod latius Iason refert & exponit. Sed scire uelim, quomodo ex eo uerborum contextu inducant, filium uiuente patre sui iuris effectum fuisse: euidenter quippe uerba contorquentur, & illud inducitur, de quo in lege uerbum est nullum, & regulæ repugnat, qua traditur, emancipationem nisi apertissimis probationibus constet, subinducendam non esse [a]. quamobrem nos aliter ea uerba Iurisconsulti interpretamur: recto enim sensu non dubitauerim uerum esse, si filius antequam fideicommissum sibi restituatur, decedat, non transmitti, sed apud patrem omnimodo remanere: at si ex obliquo extraneum inducamus, tunc quoq; concesserim, si is moriatur, remanere apud patrē, sed non omnimodo. nam cum quidam casus enumerentur, quibus fideicommissa transmitti possunt, ueluti cum mentionem mortis non propter conditionem, sed ut solam moram respiciat, expressè factam constaret [b]: uel cum is qui moritur filios relinquit, ad quos coniectari possit testatorem uoluisse fideicommissum deuolui [c], his quoq; & similibus casibus ad patrem fideicommissum pertinet: quamuis in extraneo sit contrà: & ratio est: quia cum pater rogatus est restituere, uti pater, mortuo filio, non ad eius hæredes, sed ad se bona pertinent: quod paternę pietatis causa inductum uidetur: quapropter aliæ coniecturæ, quę filij hæredes adiuuare possent, non admittuntur: quæ ratio in extraneis locum non habet. & hoc sensu dictio illa, omnimodo, maximam emphasim habet, quæ, si aliorum interpretationes sequeremur, in Papiniani uerbis superflueret [d].

a l. si emancipati. C. de collationibus.
b l. si cum hæres. ff. quando di. leg. ced.
c Corn. in l. unica. in glo. fi. C. de his qui ante aper. ta.
d Bal. in rubr. C. de cōtrab. emp. in vij. quæst.

Legem

A Legem municipalem, seu quamcunq; aliam dispositionem, tametsi nihil noui inducat, non ita interpretatione adiuuandam, ut antiquiora corrigat, quod plerinq; omnes arbitrati sunt. Cap. XV.



Ritissima iuris regula est: uerba in quacunque dispositione ita debere interpretatione ampliari, ut aliquid operentur [a]: quod Raphaël Comensis [b] intellexit, etiamsi perquam impropriè accipiatur. quamobrem ne dispositio nihil inducat, etiam pupillum intelligemus, qui XXV. annis minor est: & si quis priuilegio suo renunciauerit, etiam communi iuri renunciasse, ex hac regula Decius tradidit [c]: quam & recentiores uberrimè sic declarant, ut nihil sit ea diffusius tractatum. Inter cætera & illud communiter probatur, ut quamuis facultas alicui à lege concessa, secundum leges interpretari debeat, si tamen nihil noui induceret, ita extēdenda sit, ut cōtra ius cōmune accipiatur: quod & suffragio suo Baldus [d]: item consilio quodam Ancharanus, adiuuant [e], & alij retulerunt: qua in re, quod equidem sciam, solus ego anceps, uix extrico: in primisq; animaduerti, ex Iurisconsultorū responsis aliter probari. nam cum conditiones, quæ tacitè insunt, uim suam amittāt, dubitatum est, si Titio hærede instituto, ita legauerim: si Titius hæres erit, centū Seio dato, num conditionale legatum sit. & iuris autor respondit [f], non esse: tametsi uerba illa, si Titius hæres erit, nullius effectus sint. cum ergo potius superfluere uerba existimenť, quàm conditionē inducere, nónne & multò magis idem dicendum est, ne legum correctio utiq; odiosissima inferatur? sed & ex Pontificis Max. decretali epistola, eandem sententiam comprobari dixerim [g]. sacerdotes, qui à proprio templo recedant, eius reditus & uindemias amittere, generaliter cautum iure cōmuni est: præterq; si inter Romani Pontificis Palatinos sint, uel suo archiflamini deseruiant. Fingamus sacerdotum collegio constitutum inter se fuisse, ne absentibus quicquam reditus nomine præstetur, an si quis in Pontificū, antistitis'ue sui officio sit, excusabitur? & excusari traditum est. ui-
B den' ergo, constitutionē eam non solum ius cōmune non corrigere, sed & nihil omnino operari, nec in specialibus illis casibus quicq; mutare? & tamen facilius quæ ex interpretatione derogatio fit (limitationem uocant) conceditur, quàm correctio. Accursij quoque expositione perceptum Iurisconsulti responsum, idem indicat [h]. si enim municipalis lex sit iuri Romano conformis, nimirum ut in ordine digniores præferantur, quamuis nihil ulterius inducatur, ex iure tamen communi intelligenda est, ut uidelicet idonei tantum præferantur, cum tamen generalitēr declarata alicuius effectus esse possit: quod & ex secunda constitutione de noxalibus Salicetus prodidit: quin & Innocentius dixisse traditur [i]: quoties in mandato id exprimitur, quod iure communi inerat, toties interpretandum nouam formam illi non esse datam: quod etiam Baldus frequenter scripsit. Quamobrem si delegata iudici causa, ut iusticiam faciat, mandem, & ille non fecerit, nihilominus tamen sententia in rem iudicatam transit: nec uidetur aduersus mandati formam lata. & quanquam diu hac in re à ueteribus disceptatum sit, in præsentiarū tamen nemo est qui non Innocentiū sequatur, aduersariorumq; sententia crebriore calculo reprobatur [k]. uerùm & Bartolum nobis addicere opinor: is, si constitutione municipum caueatur, ut effractarius centum soluat: deinde alia constitutione rursus dicatur, ut quinquagena tantum pendat, primam non corrigi existimauit [l], sed potius posteriorem hanc legem irritam esse: idemq; Ancharano & Alexandro, alijsq; uisum est: tametsi ex iunioribus alij eo argumento Bartolum damnent [m]: quod nos falsum esse disputamus. Superest ut contraria argumenta dissoluam: & quamuis plura soleant adduci: quoniam tamen leuia sunt, & ex aliorū scriptis conuincuntur, ea tollere necessariū magis uisum est, quæ fortiter aduersari uideantur: quorū prius ex iure ciuili est, posterius decretalibus epistolis introducitur. Cum Cn. Pompeius Ponticis debellatis, eorum regionem in prouinciæ formam redegisset, hoc illis indulsit, ut qui Pontica matre nasceref, Ponticus esset: quod Iureconsulti quidam ad solos uulgò quæsitos pertinere credebāt. at Celsus Vlpianusq; nō probauerūt [n]: nec enim debere id caueri, cum iure cōmuni idem esset. quare ad eos trahendum est, qui ex diuersarū ciuitatū parentibus orirenť. sed id ego ita interpretatū crediderim; quia qualia essent priuile-

a l. etiā. in prin. de bon. lib.
b l. cum filio. ff. de leg. iij.
c in c. j. de iud. per glo. in l. j. ff. si quis in ius uoc. non ierit.
d in l. nullus. C. ad l. Iul. maiest.
e in cōs. clxxxvj.
f l. in conditionibus. §. j. de con di. & demonst.
g c. ad audientiā. de clerico nō r.
h in l. ut gradatim. §. & si lege ff. de mu. & ho.
i in c. prudentiā. in iij. col. de offic. dele.
k Feli. in c. causam quæ. de re. iud.
l Bar. in l. iij. §. cū Titio. de adi. le. & Alex. in l. si constante solu ma.
m Ias in d. l. si constante. & in alijs locis.
n l. j. in fi. ad municip.

gij uerba expressim non constabat: quamobrē ea inducta est interpretatio: sed si qualis forma diplomatū sit, appareat, expressimq́ nihil quod ad ueteris iuris correctionē spectet, in eis legatur, tunc potius ad literam uerba accipienda sunt, quàm ita extendenda ut aliquid nouent. Pontifex uerò Romanus cum quibusdam ex Francisci fraternitate concessisset, ut ubicunq; forent, cum altari uiatorio mystica sacra celebrare possent, ita interpretandum priuilegiū asserit [o], ut etiam absq; præsulum licentia id facere eis concedatur, cum alioquin ea necessaria esset: sed hoc me nō mouerit. cum enim constaret Pontificis eam mentem esse, ut eis indulgentiam aliquā faceret, nisi ea interpretatio admitteretur, nihil concessisset: at nostra quæstio tunc dubitabilis est, cum nescimus, qui statuentiū animus fuerit: nam & maximū fuisset illis incommodum, si à tot præsulibus licentia accipienda fuisset: & hoc modo indulgentia illa in damnum, fastidiumq́ fratribus uertisset [p]; præsertim ubi de celebratione missarū agit̃, quę perq́ fauorabiles sunt.

o c. in his. de priuilegijs.
p Abb. ibi.

Quæ sint de substantia, de forma, de solennitate actus, & quemadmodum hæc simul differant, solereq́ hæc ab ineruditioribus non discerni: tum quædam alia scitu non indigna. Cap. XVI.


Olent nostri temporis Doctores, ea quæ formam, uel substantiam, uel solennitatē alicuius actus respiciūt, simul cōiungere, & nihil differre arbitrari. uideamus paulò diligentius, quali differentia discernantur: & Baldus [a] formam sic definiendam putat, ut ea sit ordinata series, rem ad substantiā deducens. quam sententiam autoritate Nicolai Abbatis confirmari crediderim [b]; is, ut denunciatio, quam euangelicā uocant, ualeat, quinq; seriatim requiri tradidit: quæ si minus interueniant, actus ille non subsistit. sed & idem Baldus [c], eius efficaciæ formam scripsit, ut ex ea quælibet dispositio essentiam suam capiat: si nō interuenerit, nullius momenti sit: & quoties in eadem materia diuersam esse formam proponatur, non unū actum, sed diuersos esse. Ioannes Andreæ F. Bononiensis [d], tripliciter formam diuidi scripsit: aliam enim uerbis consistere, ut in stipulatione, quòd præcedat interrogatio, & sequatur responsio: aliam rationalem esse, ut in contractibus, testamentisq́ consensum: aliam legalem, ut in usufructus seruitute personā. uerùm is non satis propriè formam accipit, sicut & Bartolus [e], dum ex consensu formā stipulationis constare opinatus est: si enim propriè loquamur, Baldi definitionem probandam esse non dubitauerim, ut illud rectè de forma sit, quod seriem quandam ordinemq́ denotat: quæ si in aliquo actu requiratur, & minus interueniat, in causa est, ut ipso iure is actus deficiat: quod eò usque fortiter defenditur, ut etiam contractus alioqui fauorabiles, non subsistant [f]. quin & si culpa notarij in instrumento aliquid ad formam pertinens omissum sit, damnum ad contrahentes in tantum pertinet, ut frustra egisse iudicentur [g]. sed & si non solum quæ necessariò requiruntur interuenerint, uerùm & aliquid ulterius, uitiari pariter contractum, quidam arbitrati sunt [h]. Quamobrem cum municipum lege in testamentis tribulis sacerdos, quem parochianum uocant, adesse teneretur, & duos quidam aduocasset, testamentum irritum esse aliqui responderunt, quasi contrà quàm lex uelit, factum fuerit: unum enim requiri, non duos: sed id magis ad solennitatem spectat, & non æquitati solum repugnare, sed & iure ciuili falsum esse aliquando admonui. Cæterum supradicta omnia eo casu non procedunt, cum forma illa, quæ requiritur, leuis est: tametsi enim ea remoueatur, nihilominus quæ aguntur, ualida sunt [i]. quemadmodum autem dignoscamus, quæ sit leuis forma, ostendit in decretalium præfationem Baldus [k], ut quoties alteri actui, quàm qui fit, forma illa conuenit, leuis dicatur. quamobrem in doctorum nostri temporis designatione, libri datio iustam formam respicit: at osculum, & chirotheca, & tegmen capitis, leuem: cum ea nihil ad doctrinam spectent. Id uerum est, eundem Baldum existimasse, formam quę à lege traditur, in dubio interpretandam, ut maximum pondus habeat, quod & Aretino, & Iasoni uisum est [l]. Sequitur ut de substantia disputemus: & Baldus: substantia, inquit, est, quæ primam rei essentiam præstat [m]: quod Alexander, & Decius probant [n]. uariauit idem, & alibi substantialia esse tradidit [o], quæ in ipso faciendi contractus

a in c. j. de no. for. fidel.
b in c. nouit. de iudic.
c in d. c. j. de no. for. fi.
d in c. fin. de baptism.
e in l. ita stip. de uerb. oblig. in opp. & in l. j. de condi. indeb.
f l. qui Romæ. §. Flauius. de uerbor. obl.
g c. super eo. de elec. & Mod. in l. ambiguitatem C. de testa.
h per l. diuus. §. licet ff de iure codi. Ias. in l. si mihi. §. in legat. in ij. lec. de lega. j.
i l. j. §. fin. ff. de uentre inspici.
k in iij. col. in rubri. extra.
l in l. ij. §. si prius. ff. de uul. & pup.
m in l. etiā. C. de exe. rei iu.
n in rubri. extra. de appellat.
o in l. uniuersa. ubi etiam Ias. C. de prec. impe. offe.

A tractus tempore interueniunt: sicut accidentalia, quę post contractū inseruntur: quandoquidem accidentalia esse definiuit[p], quæ præter naturam contractus inducuntur, ut pactio eundi Romā: naturalia, quæ, etiamsi non expressè agatur, insunt, ut in emptione euictio: substantialia, sine quibus actus non ualet, quale in uenditione preciū. quapropter si agamus, ut emptio absque precio consistat, nihil tamen agimus. Accursius quoq; credidit, non posse legem facere, ut contractus, cui substantia desit, ualeat[q]: nam pugnantia simul hæc essent[r], actum ualere, & in substantia deficere: qua ratione si pupillus aduersus debitorem sibi ex tutoris contractu obligatum agat, & in libello tutorē se habuisse neget, intentio hæc ipso iure nulla est, quoniam sibijpsi aduersatur, cum ex tutoris contractu libellus subsistat, & ipse tutorem neget: & ita in facti quæstione Baldus respondit[s]: quæ res Aretini quoq; calculo confirmatur. sed & Baldus[t] non ualere legem tradidit, quæ sententiam confirmet, omni remota substantia prolatam. Veruntamen animaduertendum arbitror, ut quæ pro substantia in contractu iure ciuili requiruntur, possint à lege tolli: si de iure gentium, secus: alioquin inconsultè Iurisconsultus dubitasset, an emptio sine precio procedat[u]: alibi Baldus substantiæ cōtractus illud esse appellauit, quod naturam eius necessariò & immutabiliter amplectitur: quod uerò immutari uel extingui potest, hoc non substantiæ, sed qualitatis esse[x]. uerū & idem interpres aliquando sic distinxit, ut triplicem esse substantiam opinaretur[y]: unam formę, aliam materiæ, tertiam consensus: quæ si in primis casibus desit, negocium omni iure reijcitur: sed si cōsensus simplicis solum defectus proponatur, licet à principio actus pereat, deinde tamen potest conualescere[z]. quæ Baldi pronunciata uera esse existimo, quamuis in hac distinctione substantia non admodum propriè accipiatur: nam hæc differre nec ipse ignorauit, dum aliud esse de consuetudinis forma, aliud de substantia arbitratus est[a]. Sed & Ioannes Andreæ facilius formam tolli, quàm substantiam tradidit[b]: tametsi Zenzelinus mutata forma monetæ, mutari & substantiam affirmet[c]. hoc

B amplius scripsit Angelus, quæ de forma sunt, post actum expediri non posse: quæ de substantia, posse: contrà Baldus[d] etiam quæ substantiā spectant, eodem tempore cum actu induci debere[e]. sed ego in Nelli sententiam pedibus iuerim[f], ut si negocium sit, quod unico contextu fieri debeat, ut contractus sunt & testamenta, Baldo acquiescam: alioqui si interuallum admittat, Angelum sequar. Verùm dubitauerit quispiam, quem admodum secernamus aliquid de substantia esse: & Baldus[g] ea quæ in definitione dicuntur, eius dictionis substantialia esse autumat: quod & Aretinus & Iason probauerunt[h]: ipse quandoq; dubitaui, quoniam iurisdictio est potestas de publico introducta cum necessitate iuris dicendi, & æquitatis statuendæ[i]: & tamen constitutio boni & æqui ad substantiam iurisdictionis non pertinet: quippe etiā iniusta sententia ex iurisdictione non deficit. sed & plerunq; Iurisconsulti aliquam rem ex effectu definiunt, ut in bonorum poss. uidimus, cum nemo dubitet, substantiam ab effectu differre. quamobrem quod ex prædicta opinione argumentū colligeretur, probabile crederem esse, nō quod necessario concluderet. Nunc ad ultimū transeamus: & Baldus: solennitas, inquit, modus est, seu qualitas quędam rei accidens, qua actus sit solennis[k]. sed Bartolus solennitatē à substantia nō differre sensisse uideri potest[l]: quod uerū est, si lata significatione eas uoceams intelligus: nam differentiā propriè loquendo Innocētius agnouit[m], qui tripliciter electionē accipi dixit: latè, ut cum iure naturali tantū ualet: propriè, ut si in ea substantialia tantū interuenerint: significantius & magis propriè, cum & substantialia & solennia eius facta esse proponit: nā & promiscuè atq; indistinctè solennia lege ciuili auferri possunt, cū tamen substantialia nequeāt[n]. quin & si substantiā testamenti ꝓbare uoluerimus, septē testes requiri nemo ignorat: si solennitatē, duos satis esse, Bartoli autoritate docemur[o]. solenniū duplicē esse speciē, idem scripsit[p]: alia enim substantiam respicere, ut cum aliter contractū negociū lex irritat, alia probationē: in prima autem specie renunciationē non admitti: quod ego non procedere opinor, cum ea solennitas fauore priuato inducitur[q]: tunc enim à partibus remitti potest: quapropter ualet cōuentio, ut etiā iuratæ testationi stetur: itē filij consensus, ut paternis tabulis prætereatur[r], & si qui similes casus: sed & si lex interuenisse solennitatem fingat, idem iuris

p in l. pacta. de cō trah. emp.
q in l. ij. ff. de usu fru. earū rerū.
r Angel. cons. clxxvij.
s Bald. cons. clxxxj. in ij.
t in l. prolatā. C. de senten.
u in l. j. de emp. & uendi.
x in d. l. prolatā.
y in l. unica. in iij. col. C. si ser. extero.
z l. fi. C. ad mace.
a in c. fi. in v. col. de consue.
b in c. super eo. de sen. excom.
c in ex̄. cum ad sacrosāctæ, in uerbo, taxetur.
d in cōsi. lxxxvij. incip. pro decisione.
e in rubri. C. de rescin. uend.
f in tract. de test. uersic. xx.
g in l. cū quis. in iiij. col. C. de iu. & fac. ign.
h in l. ij. in ij. no. de uul. & pup.
i in l. nemo potest. de leg. j.
k l. j. de iurisdict. om. iud.
l in l. etiā. C. de exec. rei iu.
m in d. l. nemo potest.
n in c. quod sicut. in ij. col. de elect.
o Innocent. in c. cum dilectus. de consuetu.
p in l. ij. C. de contra tab.
q in l. j. de cond. indeb.
r c. tuis. de testibus.
s Bar. in l. nō dubiū. C. de testa.

est, ut actus ualeat: quod Baldo Aretinoq́ [s] scriptum est: & hæc uera sunt ratione efficacis obligationis. nam quamuis in aliquo casu solennitas propriè accepta deficiat, oriri obligationem naturalem magis est. quocirca pupillus sine tutoris autoritate naturaliter obligatur [t]: quod in his quæ sunt de substantia, uel forma, secus est: & ita sensisse Baldum aliquoties annotaui [u]. Sed & fortasse non falsò dixeris, contractus stricti iuris ipso iure ex defectu solennium infectos nō esse. cuius opinionis id mihi argumentum est: nam omissis solennibus negocium ipso iure cur corruat, ea ratio traditur, quoniam mala fide id actum præsumitur, ut Bartolus sensit [x], & Pontanus non damnat, dum notarium, qui instrumentum nō solenne conficiat, lege Cornelia falsi reum esse testatur: at mala fides suprascriptos contractus ipso iure non uitiat [y]. cæterum his contraria scripsisse Baldum, me non latet [z], dum electionem cassam esse, uel ex solennium, uel ex personæ defectu cum tradidisset, subiunxit, in dubijs ne dolus præsumatur, existimandum esse, solennia potius defecisse: quod & nobis placet. quapropter & Bartoli eam rationem nequaquam probo.

s in l. ex facto. in xiij. col. de uul. & pup.
t l. obligari. §. tutor. ff. de auct.
u in l. ad executionē. C. de dot. prom.
x in l. j. C. de fid. inst. li. x. Rom. de ope. no. nun. l. j.
y l. eleganter. de dolo.
z in c. super eo. de elec.

Testes, qui in testamento requiruntur, probationis, non substantiæ ergò introductos: & id aduersus cæteros noua ratione defensum. Cap. XVII.



Probabiliter dubitari consueuit, an testes, qui septem in testamento necessariò aduocantur, testamenti ipsius substantiam respiciant, an probationis causa solum requirantur. & Accursius, Baldus, Iason, & communiter alij [a] de solennitate substantiali esse arbitrantur. Quā sententiā cum quandoq́ sequerer, eo rescripto adiuuabam, quo testatū est [b], si testamento sex tantum testes adfuerint, illud iure deficere: de his autem quæ interlita sunt, non ad iuris solennitatem, sed fidei quæstionem pertinere: nam aduersatiua dictiuncula, autem, ostendit superiorem casum ipsum ad solennitatē spectare. sed tamen respondendum est, & concludendum, ad solennitatem, nō quidem substantialem, sed probatoriā pertinere: cum & Baldus [c], autor sit, in dubio ita fieri solere interpretationē, ut testes probationis ergò, non causa solennitatis inducti credantur. curēt quoq́, Venuleius inquit [d], magistratus testari uolentibus, ne desint testes, ut probatio rerum salua sit. neq́ dixerit quisquam, nō ex probatione solum, sed ex solennitate quoq́ id dici. Nam cum maius damnum inferat, si omittatur, quod ad solennitatem, quàm quod ad probationem spectat [e], non est uerisimile, iuris autorem quæ magis referunt, silentio inuoluisse, ut minora diceret: nec id citra culpam facere potuisset. Iustinianus [f] etiam in testamento cæci, multorū testium conspectum requirere se tradit, ut nullum locum relinquant insidijs, tot oculis spectata, tot insinuata sensibus, tot insuper in tuto locata manibus: quę omnia non ad aliud, quàm ad probationem pertinent: quin etiam idem Augustus alibi [g]: lex, inquit, ne quicquam falsitatis incurrat, maiorem numerum testium expostulat: ut per ampliores homines perfectissima ueritas reueletur. & hanc sententiam non prædictis legibus tantum, sed & ratione confirmauerim. cur enim contractum, etiamsi de mille philippeis periclitarer, duobus probare possum, at testamentum quantumuis minimi precij, per septem testes necessariò asserere debeo? nónne ut Baldus existimat [h], quoniam in testamento de eius uoluntate agitur, qui in rerū natura non est, & quid iuris sui sit exprimere non potest? quod in contractibus regulariter non accidit, ut hęc quoq́ ratio ad probationes tendat. Vt igitur hanc sententiā tuear, scire debemus, testes quidem in testamento probationem solam respicere: sed si legitimus numerus non adfuerit, testamentum deficere: non quòd probari non possit, sed quoniā mutatam testatoris uoluntatem lex firmiter præsumit. nam cum quilibet leges nosse credatur, quæ hoc disponunt, ut septem testes adsint, si quis sex tantum adhibuerit, uidetur elusoriū actum conficere uoluisse: quod & pluribus comprobari potest. nam si quis condiderit testamentum, quod non nisi iure codicillorum substineatur, cur, nisi clausula codicillorum addatur, omnino perit, cum etiam contractus ualeant? ut ualere possunt, non alia certè ratio est, quàm quòd præsumitur, testatorem uoluisse frustra agere: alioqui contractus testamenus fauorabiliores essent; in quo Iason ualde dubitauit [i]. sed & Christophorus Castellioneus

a in l. nemo potest. de leg. j.
b l. si unus. C. de test.
c in c. j. in ultim. col quid sit in uestitu.
d in l. curent. ff. de testib.
e Bar. in l. an inutilis. ff. de accep til.
f in l. hac consultißima. §. fin. C. qui test. fac.
g in l. fin. C. de fideicom.
h in c. ij. de inuestitu. inter dom.
i in l. fin. in iij. col. C. de codi. per illum tex.

A Castellioneus, quotiescunque à facto testatoris conditio pendet, si non illi pareat, pœnituisse eum præsumi tradidit: quod & Iason [k] sequitur. Paulus quoque Castrensis, si testator instituat hæredes, dein incipiat legata relinquere, & non perficiat, testamentum nō subsistere opinatur: quoniā tametsi testamenta absque legatis uires suas exerceant, quod tamen legata non perficit, mutasse totam uoluntatē præsumitur: idemque Aretinus probat [l]. generaliter quoque ex regula dici solet: ubi quisquam actum non perficit, quē perficere potuisset, pœnituisse eum uideri [m]. Accursius quæ ante testamenti finem inconsultē deleta sunt, non deberi scripsit: quoniam si testator ea præstari uoluisset, credibile est iterum eadem scripturum fuisse [n]; quod cum nequaquam factum sit, uidetur pœnituisse, & à pristina sententia decessisse. huc accedit quod Baldus affirmat [o], si decreto decurionum caueatur, ne eorum rescripta, nisi sub certa forma ualeant, dein aliquid statutum sit, ea nō seruata, non ualere decretum, quia consensus deesse præsumitur. nam in nostro casu cum septem testes necessarij sint, si non allegentur, in testamento consensus pariter deesse præsumi debet: quamobrem nec obligationem naturalem oriri inde crediderim: in quo tamen Doctores certant [p], & adhuc sub iudice lis est.

k in l. Stichū qui meus. in v. col. de leg. j.
l in l. si is qui. de testa.
m in d. l. si is qui.
n in l. j. §. sed si legi. ff. de his quæ in test. del.
o in l. humanum. in ij. col. C. de legib.
p in l. j. de condi. indebi.

Cur iure ueteri l. Falcidia prohiberi non poterat, uetera confutantur: & disputatum, an in codicillis hodie prohiberi quadrantis deductio ex Trebel. possit. Cap. XVIII.



QVæsitum est, qua ratione introducta sit lex Falcidia, quam tribunus plebis Falcidius, ut in chronicis Hieronymus testatur, tulit: & Bartolus, in fauorem testatorum latam, autor est [a], ne uidelicet absque hærede morerentur: quamobrem cum Iustinianus statuisset, hærede non adeunte ad cohæredes, uel substitutos, aut legatarios, uel fideicommissarios hæreditatem deuolui [b]: quoniam tunc prædicta ratio cessabat, consequenter induxit, ut testator prohi-
B bere posset, ne in suo testamento Falcidiæ locus esset: quam opinionem meritò improbari opinor: quoniam aut sensit Bartolus, Falcidiam prohiberi posse, quasi testamentū omnino substineatur, uel per ius accrescendi, uel ex substitutione: & cum idem iure ueteri esset, non uideo cur Iustinianus illud induxerit [c]: aut quia etiam singularibus legatarijs fideicommissarijsque locum in successione fieri constituit: & nec hoc sufficere crediderim, cum etiam iure ueteri legitimi hæredes, qui ab intestato succedant, fideicommissarijs legatarijsque præferantur [d]: & tamen Falcidiæ legis portio reijci non poterat, tametsi hærede nō adeunte legitimi successissent: & sicut hi in testamento nuncupati nō sunt, sed solum tacita uoluntate admittuntur: ita legatarij ipsi respectu hæreditatis præteriti dicuntur, & solum legis dispositione quibusdam potiores sunt [e]. Alia itaque ratio affertur, iure ueteri institutos hæredes, non nisi lucri causa adire solitos, at postque Christiana religio inualuit, humaniores factos solius pietatis gratia adire debere, Iustinianū existimasse: quæ ratio friuola est. & ut alia omittam, an qui actionem ex pacto non dedit, delictumque mendacij ultus non est, tam leuem pietatem considerasse credetur? quamobrem arbitror Falcidiæ legi iure ueteri renunciari nō potuisse, ex regula qua admonemur, à lege, quæ aliquid fieri uetet, recedi nō posse [f]. uerùm Iustinianus hic noster induxit, ut hoc casu posset, tum ut testatorum uoluntates ampliaret, tum quòd ad ius antiquum reuertebatur, cum Falcidius legem XII. tabularum correxerit. Cæterū si Bartoli rationes sequeremur, dubitabilis admodum esset illa quæstio, an Trebelliani beneficio hæredi debitus quadrans in codicillis per testatorem ne detrahatur, prohiberi possit: nam posse dicendum esset, cum etiam quòd hæres nō adeat codicilli substineantur: & hæreditas ad eos pertinebit, qui in testamento cohæredes, uel substituti, uel legatarij sint. quam sententiam Aretinus quodam consilio uidetur approbasse [g], & recentiores sequuntur: quoniam in Iustiniani lege, de hac remissione uerba faciente, expressim cauetur, ea in omnibus ultimis uoluntatibus locum sibi uendicare [h]. at dubium non est, quin codicilli ultimis uoluntatibus attributi sint: uerùm in contrariam sententiam euntem Baldum animaduertisse memini [i], quam & nos probamus, cum quadrans (de quo agimus) iure institutionis ab hærede capiatur: igitur per codicillos remitti non potest:

a in l. nemo potest. de leg. j.
b §. si uero. in auth. de hæred. & Falcid.
c l. unica. §. si uero. C. de cadu. tol.
d l. conficiuntur. ff. de iure codic.
e §. eadem. insti. de hæred. quæ ab intest.
f glo. in rubr. C. no. fid. dot.
g consi. xij. in ca. Nicolai.
h §. fin. in auth. de hær. & Fal.
i cōs. cccclxxiiij. ad euidentiam. in secundo uol.

quoniam non debet id in codicillis auferri, quod in eis præstari non potuisset: nam & ita sequeretur, omnem hæreditatē codicillis dari. quid enim si legitimo hæredi fideicōmittam, ut hęreditatem Titio cum quadrante restituat: neq; obest uerba legis esse, ut ea in omnibus ultimis uoluntatibus procedant: nam quamuis generalis clausula ad ea restringitur, in quibus ratio sibi locum facit [k]: sed cum hærede scripto non adeunte fideicommissum uniuersale non substineatur, ut Iacobus Beluisius, Baldus, Alexander, Iason opinantur [l]: nō potest dici remissionē hanc codicillis fieri posse: & hoc, si Bartoli primam rationē sequamur, quam suprà retulimus, argumentū admodum probabile est.

k l. cum pater. §. dulcißimis. de leg. ij.
l in d. l. nemo potest. Ias. in l. eā qu. i. xij. col. C. de fideicom.

An testator quod supra dodrantem est, ex Trebelliano, quò minus detrahatur, prohibere possit, minus frequentem sententiam ueriorem uideri, & quomodo intelligatur, uniuscuiusque uoluntatem legibus concordem præsumi. Cap. XIX.



SEd subsequens quæstio est, an uerum sit, quadrantem ex Trebelliano debitum, non deduci, cum testator uetuit. nam Iustinianus in lege Falcidia solum corrigit [a]: & communiter dici solere annotaui, in hoc differentiam non esse, cum quadrans ex Falcidia iure antiquo illi æquiparetur, qui ex Trebelliano senatusconsulto deducitur [b]. sed animaduertendum est, contrariam sententiā, quam quandoq; Bartolus [c] probauit, esse uerioreē, siquidem frequentiore calculo probatur, Falcidiam legem inductam fuisse fauore testatoris, ut qui in testamento ab eo scriptus est, facilius ad hæreditatem adeundam animum applicet. Senatus autē consultū Trebellianum, non idcirco scriptum est, ut hęres adeat, cum possit cogi, sed ne directæ actiones incassum hæredi, uel contra hæredem competerent. Igitur quamuis de Falcidia aliquid à Iustiniano mutatū sit, nō sequitur idem esse in Trebelliano, cuius autoritas diuersa ratione subnixa est: cum id principaliter hæredis fauorē, ea testatorem respiciat: faciliusq; fauori suo renunciare cuilibet permittendum est, quàm beneficio quod hæredis causa inducitur [d]. cum itaq; nihil hoc casu mutatum sit, consequens est, ut concedamus, etiamnum eam Trebelliani portionem contra uoluntatem testatoris detrahi [e]: quæ uerò ex Falcidia sit, non detrahi: tametsi ante Iustinianum etiā legis Falcidiæ dodrans aduersus testatoris sententiā resecaretur [f]: quod & Alexander & Ioannes ab Imola, aliiq; approbauerūt. uerùm quandoq; dubitaui, quonam pacto id defendi possit, cum nihil sit in iure uulgatius, quàm testatorum contrahentiumq; uoluntates secundum legis dispositionem interpretari [g]; & quemlibet præsumi idem uelle, quod etiā lex uelit. Quamobrem ita arbitror in præcedenti regula distinguendum, ut si lex aliqua sit, cui renunciari possit, nisi expressim constet renunciatū fuisse, eadem præsumatur contrahentis dispositio, quæ & legis est: sed si aliquid fieri omnino lex iubeat, tunc metu legis magis quàm sponte actum credi: nam & Vlpianus [h], uelle, inquit, non creditur, qui obsequitur imperio patris uel domini. cuis rei ratio est, quia cum cogi possent, uidentur timore ducti uoluisse: ut non parum dubitem, si agnati simpliciter compromittant, uideatur'ne timore idem disponentis decreti, an sponte id (ut communiter probatur [i]) factum: & magis est, ut à communi sententia discedam, & ex hac distinctione dilucidè admodum prædicta quæstio intelligi potest: quamuis Barbatius [k], recentioresq; [l] alij uix extricent.

a in §. si uero expreßim in authen. de hæred. & Falcid.
b in l. Marcellus. ff. ad Trebel.
c in d. l. nemo potest.
d Bar. in l. damni §. Sabini. ff. de dam. infe.
e c. Rainaldus in fi. de test.
f in l. Titia. ff. ad leg. Falcid.
g l. quidam. ff. de uerb. obl.
h in l. iiij. de reg. iur.
i Alexand. in l. si quis maior. C. de transact.
k in d. c. Rainaldus. in xxx. charta.
l Picus in l. in quartam. in xxviij. col.

Si testator decem annua leget, donec legatum soluatur, ualere legatum: nec decē ea aliquid ad fœnus pertinere, quod alij opinati sunt. Cap. XX.



CVm Titius testamentum conderet, Sempronio centū legauit, & hęredem damnauit illi in annos singulos sex dare, donec omnem summam solueret: dubitatum fuit, an legatum id ita, uti factum est, ualeret: an uerò ea sex quæ quotannis exhibentur, sorti sint imputanda. dubitationis ea ratio est, quòd manifestū est, iure, quo hodie utimur, omne fœnus prohiberi: nec concedendum uidetur, ut testator possit facere, ut hæres cuiquam usuras soluat: quippe rem inhonestam, & quæ bonis moribus aduersaretur, iuberet: usuram autem hanc esse, Vlpiani responsum id ostendit: si cui certa quantitas legetur, & quoad præstetur, in singulos

A in singulos annos certum aliquid, ueluti usuras iusserit testator præstari, legatum ualet[a],&c. & hanc opinionem non Bartolus solum & Iason secuti sunt, sed in facti quæstione Petrus Ancharanus, Iacobus Puteus, atq; Aretinus ita esse responderunt[b]: ipse contrariam sententiam potius cum Socino defendendam arbitror[c]: quoniam in proposito casu interpretari potest, uoluisse testatorẽ annua illa sex potius ex legato, quàm iure fœnoris præstari. si enim in confesso est, posse quemlibet tot annua legare, donec illud aut illud factum sit, nónne idem & hoc casu admittendum æquitas admonet? ueluti cum dictum fuerit, donec illi centũ dederis, tot annua hæres meus dato: siquidem & usura ea est, cũ ab inuito quis extorquet pecunias ob moram: at nostra quæstio tunc procedit, cum pecuniæ ab inuito non exiguntur: hæres enim non ex sua, sed ex defuncti persona tenetur, & eius uoluntatem exequitur: ut hæc præstatio eodem iure censeri debeat, atq; si testator ipse pecuniam repræsentaret: quo casu fœnus nõ est, cum sponte soluitur[d]: sed & utiq; hæres, qui annua illa soluit, non de suo soluere, sed de testatoris ære creditur: quam legem suis rebus imponere eum potuisse, nõ dubitauerim. his accedit, omnes leges quæ usuras exerceri prohibent, de his loqui, quæ ex contractu debitoris, pactióne ue aliqua debentur: quod hîc dici non potest. quod ergo mutatũ non est, cur prohibetur stare[e]? nec Vlpiani responsum efficaciter aliorum sententiam adiuuat: tum quòd ex eo tacitè probatur, posse certũ aliquid in singulos annos dari, quod usura non erit, tametsi detur, donec sors omnis soluatur: alioqui generalis clausula unico exemplo restringeretur: quod inconcinnũ esse nemo non dixerit: tum etiã, quòd si expressum sit, deberi illa annua pro usuris, non ambigam usuras esse: sed si earũ mentio facta non fuerit, aliud iuris est: & tunc nostræ sententiæ locus erit: expressa enim nocent: non expressa, non nocent. quamobrem si in contractu iurauerim soluere tot nomine usurarum, nullam omnino obligationem oriri, Baldus[f] scripsit: cum tamen, si nil de usuris dicatur, non dubitemus agi posse.

a *l. iij. §. fin. de annu. leg.*
b *in l. j. C. de summa trini. & fi. cath.*
c *in l. ij. de his quæ pœnæ nomine.*
d *c. consuluit. ubi glo. de usur.*
e *arg. l. præcipimus.*
f *in c. j. in iij. col. de iur. iu.*

B QVINTI LIBRI FINIS.

ANDREAE ALCIATI PARADOXORVM IVRIS CIVILIS LIBER SEXTVS.

PROOEMIVM.



RGENTIBVS iam calcem, & metam tenentibus, afferenda excusatio est, quæ uel in carceribus ipsis, uel saltẽ in stadij initio facienda fuerat. Quis enim nõ auersetur eum de iure disceptantẽ, qui si læsus esset, ex edicto uti minor posset restitui? quiq; si paterna res administranda illi foret, uix ætatis ueniam iustis annis potuisset impetrare? cum & Homerus iuuenum leuissima esse consilia, at contrà seniorum grauia, autor sit. qua de causa Lycurgus, qui Lacedæmonijs leges scripsit, omnium primum instituit, ut XXVIII. seniores semper principibus Laconum assisterent: quod in eius uita Plutarchus refert. Queritur in Epigrammatis Posidippus, iuuenes stultitia, opinionumq; uanitate affici. & debiliter uitulos, fortius boues lassos pedes figere, Hieronymus attestatur. quod & Vergilius noster in Darete, Entelloq; eleganter ostendit: quã ad rem in Casina Plautus allusit, dum, qui utuntur, inquit, uino uetere, sapientes puto. cæterum tametsi horum grauissima est autoritas, non tamen usquequaq; reijcienda iuuenum opera existimandum est: quandoquidem & adolescens hæc ætas suarum laudum quamplurimos assertores habet. quamobrem in problematis Aristoteles dubitauit, cur ingenij celeritate, efficaciaq; promptiores senioribus iuuenes essent. Ausoniusq; poëta ad Paulinum inquit:

Non quia mille annos uiuit Gangeticus ales,
Vincit centum oculos regia pauo tuos,
Cedimus ingenio, quantum præcedimus æuo.

a l. 3. de postul. Nam & Nerua filius, Vlpiano autore [a], traditur decimo & septimo anno publicè de iure respondisse. Mitto Celsum, qui ubiq; adolescens appellatur, cum ea ætate ius ciuile interpretatus fuisset. siquidem & Papinianum constat, tanti nominis uirum, iuuenem admodum decessisse. Celebratur in patriæ nostræ monumentis C. Valerius Petronianus, qui annos tres & uiginti natus, diuina humanaq; iura calluerit, nihilominus medicinam politicaq; professus, legationeq; urbica & peregrina quinquies functus: quapropter Græca appellatione δρόμος dictus, quòd breui multa percurrisset: nam & causidicus Veiento iam ætate grauior, cum à Cæcilio secundo superaretur, Homerico carmine senum imbecillitatem consolatus est:

ὦ γέρον ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί.

Te senior iuuenes pugnaces acriter urgent.

Quid memorem in re militari celebres admodum Imperatores? nonne Cn. Pompeius decimooctauo anno, & decimonono C. Octauius ciuilia bella sustinuerunt? an Alexandrum Seuerum præteream, in cuius consilio Vlpianus, Paulus, Modestinus, alijq; Iurisconsulti fuere, cum tamen & ipse consultissimus esset? num eius ætate minor Gordianus adolescens fuit? cuius auspicio nõ solum feliciter foris disciplina populi Romani, sed & domi leges seruatæ sunt. conspiciunturq; etiamnum in codice quamplurimæ sanctiones ab eo latæ. uerùm quid quæso magis nos adiuuat, quàm Impp. Diocletiani Maximianiq; constitutio? qua qui liberalibus studijs, iuriq; ciuili incumbunt, uacationem munerum usq; ad uigesimumquintum annum habent: quoniam eo transacto

b in l. 1. prima. C. qui profess. li. x. tempore, nemo (ut Bartolus inquit [b]) addiscere adhuc posse præsumitur. & hæc quidem in iuuentutis nostræ excusationem satis & super.

Perplexa quædam enucleata, & lex, æquissimum, ff. ad Tertul. cum quibusdam alijs responsis, nõ hactenus à professoribus extricata, nunc declarata (nisi fallor) optimè. Cap. I.

a in l. æquiss. ad Tertul.



PAuli uerba sunt [a]: Si ex filio nepotẽ auus manumiserit, isq; patre, & auo, & matre superstitibus decesserit, potest quæri, quis potior esse debeat. nã si mater excluserit auũ manumissorẽ, qui patri anteponit, edicto prætoris inducetur pater defuncti: quo admisso definit senatuscõsulto locus esse, & rursus auus uocabitur. itaq; rectius est, auo ius suũ conseruare, qui & contra scriptos hæredes bonorum possessionem accipere solet. & cum huius responsi interpretatione nihil mihi uideatur difficilius, quærendum est, cur non aliter Iurisconsultus suum hunc ordinem deduxerit. nam eodem modo & sibi mater hæreditatẽ uendicare poterit, quasi auus patrem, ipsa auum uincat: quod argumentũ pro patre quoq; deduci posset, cum mater auo, ipse potior matre sit. quemadmodum ergo extricamus?

b in l. 1. §. qui habebat. ff. de bo. poss. cõtra tab. & Bartolus [b] Angelusq; idcirco prædicto casu matrẽ excludi opinantur: quoniã auus non ex persona sua, sed in locum patris succedens hæreditatem petat, pater autem matrem remouet. sed his ego non annuero, cum probandum id sit, auum in patris locum succedere. atqui contrarium uulgò dicitur, in ascendentiũ successionibus alterum alterius sedem non ingredi [c]. Cyrillus Homodeus eius legis rationem eam esse scribit [d], ut circuitũ euitemus. nam cum auus patrem uincat, & pater matrem, ut breuius res expediatur, auus quoq; matre ipsa potior esse debet. sed & hoc dilemma est, cum mater uincat auũ, auus patrem, cur eadem ratione matrẽ non adiuuamus? Philippus Corneus [e] pro eo pronunciandum putat, qui in discretis casibus iure potentiori utatur. quamobrem cum pater iura efficaciora habeat, meritò matri anteponitur. uerùm & hoc quoq; telum ipse retorserim, cum dubiũ nequaq; sit, ualidiores matris esse rationes, quàm sint aui: & tamen auus superior est. Baldus [f] uincere eos tradit, qui primã suæ uictoriæ & exclusionis alienæ causam tenent. quamobrem idcirco auum potentiorẽ, quoniam primus ipse patrẽ excludat, à quo mater submouetur. quod eisdem rationibus conuincitur, quibus & proximæ opiniones. siquidem & pater ipse primus matrẽ excludit. & tamen remotus auo locum facit. Quid igitur censendum? & si me non lateat, tam scabrũ salebrosumq; hunc casum esse, quàm ullus in iure ciuili alius sit, licet admodũ anceps, ita finien-

c ut in auth. defuncto. C. ad Tertul.
d in repe. l. si ego. de inius to rupt.
e in l. fin. C. ad Tertul.
f in d. l. fin.

A ita finiendum puto, ut primum gradum consideremus, & qui in eo cedit, semper excluditur. quamobrē cum in prædicti nepotis successione, primus gradus patris & matris sit, mater à parente exclusa, non amplius se cōmittit, sed perpetuò remouetur: & auus qui patre potior est, succedit. & hoc pro uero accipiendum est, cum is qui succedit, eadem semita progreditur, ex qua præcedentis gradus hæres est: alioqui si diuerso stipite sint, tunc qui antiquiore & magis simili causa succedunt, primi computantur: & dein sequens admittitur, si illis iure potior est. quapropter si sit agnatus defuncti, & naturalis pater sit in adoptiua familia, matrem admittimus [g]: quoniam patrē agnatus excludit, agnato autem potior mater est: nam cum pater & agnatus iure ueteri uocarentur, primò de illis agendum fuit: eo igitur iure patrē agnatus deturbat. unde ex Tertulliano senatusconsulto inducitur mater, quæ agnatum ipsum uincit. cum enim senatusconsultum Tertullianum factum est, idcirco inductum est, ut matri, non alijs prouideretur: at in suprascripto Pauli responso [h] nō ita est: quippe auus simul cum matre non inducit̄, quia cum eodem ordine, quo pater ueniat, inducendus primò fuit pater, à quo mater ipsa uicta est. Itaq; si in municipio statuatur à fratribus patruelibus matrem excludi, & aliquis patruelibus matre & amita superstitibus, moriatur, puto patrueles tantum admittendos. nam quamuis amita in gradu patruelibus propinquior sit, & uerbis legis nouæ non comprendatur, cum tamen omnes diuerso iure hæreditatem petant, & iure ueteri mater amitam uincat: inducuntur deinde ex statuto patrueles, qui matrem ipsam remoueant: quod etiam, licet alijs rationibus, sensit Baldus [i]. at si aliqua sit persona, quę omnino non excludatur, tunc ea cum collegis suis admittitur. quare si sit cōsanguinea soror defuncti, & mater sit, atq; item pater adoptati, ea cum matre reiecto patre succedit [k]. Hinc si ex lege filia dotata per patruū excludatur, attamen poterit unà cum indotata admitti, quæ omnino succedit, cum nec iure communi, nec municipali lege abdicetur, ut ex Cornei consilio quodam annotaui [l].

g *l.ij.§.si sit agnatus.ff.ad Ter.*
h *in d.l. æquißimum.*
i *in d.l.fi.*
k *d.l.ij.§.si sit cō sang.*
l *Corn.in d.l.fi.*

B

Legem, si is qui pro emptore, de usucapionibus, non uideri rectè intellectam esse: quamobrem alio sensu enodata. Cap. II.



FAmosissima Pauli Iurisconsulti lex est, in hæc uerba: Si is qui pro emptore possidebat antè usucapionē, ab hostibus captus sit, uidendum est, an hęredi eius procedat usucapio: nam interrumpit̄ usucapio: & si ipsi reuerso non prodest, quemadmodum hæredi eius proderit: sed uerum est eum in uita sua desijsse possidere, ideoq; nec postliminium ei prodest: quòd si seruus eius emerit, in pendēti esse usucapionē, Iulianus ait, &c. Marcellus, posse plenius fictionē legis Corneliæ accipi. quemadmodum enim postliminio reuersus plus iuris habere potest in his, quę serui egerunt, quàm quę per se, uel per seruū possidebat: nam hæreditates in quibusdam uice personæ fung, receptum est: ideoq; in successoribus locum habere usucapionē. In huius responsi interpretatione si alios sequamur, & in primis eius in cōmentationibus uerbosissimos, Bartolum, recentioresq;, notabiliter bis diuinandum est, semelq; atq; etiam iterum uerba textus inuertenda sunt: & cum hac in lege de bonis ex peculio per seruos cōparatis, ne mentio quidem sit, nihilominus in uersiculo, quòd si seruus, de eis uerba Iurisconsultū facere, in principio non facere prodiderunt: tum in uersiculo, quēadmodum Iulianū loqui, qui Marcelli argumento dein respondeat: cum tamen posterior ex Spartiano, & Lampridio Marcellus Iuliano tradatur. quamobrē Iacobus ab Arena, rei absurditate perterritus, impossibilem esse scholasticis huius legis interpretationē professus est: cęterùm nos admodum clarā semper opinati sumus: & si rectè accipiatur, nihil esse quod meritò quenq; angere diu possit. sciendum itaq; est, inter Iulianum Marcellumq; olim id cōtrouersiæ fuisse, quòd Iulianus tradiderat [a], ab hostibus capto eo, qui pro emptore usucapiat, usucapionē interrumpi: quòd si interim serui eius aliquid emissent, uel anteq; caperetur, possiderent, usucapionem in eo nō interrumpi, Marcellus nihil interesse dicebat: & idcirco neq; in primo casu, cum ipse dominus possideret, usucapionē interrumpi: quam controuersiā ita fuisse, in tractatu de captiuis Triphonius refert [b]. Igitur in nostro textu talem quæstionē eue-

a *l.in bello.§.factæ.ff.de captiuis.*
b *in d.§.factæ.*

nisse fingendum est, cum pro emptore usucaperem, & captus ab hostibus ibi decessissem, tractatum est, an hæredi procedat usucapio: & non procedere certum est, cum etiam si ipse redijssem, ius postliminij in eo mihi non profuisset: quare & de lege Cornelia idem iuris est. sed quid si non ipse, sed seruus meus emerit, & possederit? & tunc usucapionem locum habere, ex Iuliani sententia constat, solúmque illud in pendenti est, cui acquiratur per seruum: siquidem me reuerso, mihi acquisiuisse uidetur: alioqui dubium est, an hæredi ex lege Cornelia acquisiuerit: & hæc à Paulo Iurisconsulto ex Iuliani sententia referuntur. nunc Marcelli opinio, quæ ad nostram quæstionem facit, recitanda est. Is plenius legis Corneliæ fictionem accipiendam putauit: quapropter dum Iulianus procedere usucapionem à seruo factam existimabat, & iure postliminij acquiri: sed quam dominus per semetipsum perficiebat, interrumpi: mini mè hanc sententiam probauit. quemadmodum enim plus iuris postliminio reuersus dominus in re, quàm seruus possidebat, habere potest: quàm in re, quam ipse possideret, cum omnis eorum potestas à domino pendeat? Igitur quod ad principalem quæstionem attinet, cum hæreditates in quibusdam uice personæ fungi receptum sit, & legis Corneliæ uerba plenius accipienda sint: dicendum est contrà quàm Iulianus opinaretur: & ex eius sententia Paulus in principio dixerit, in successoribus locum habere usucapionem. nam negatiuam hoc loco nullam esse, ostendunt antiqui codices, quorum duos ego ante Accursium scriptos offendi: sed & ipse Accursius in quibusdam se libris ita legisse attestatur. tametsi etiamsi negatiuam hîc admittamus, possit tamen nostra hæc interpretatio defendi. Igitur ut hunc intellectum tueamur, illud in primis asseuerandum est: eandem hic attingi opinionem Iuliani, Marcellique, quam & alibi Triphonius recensuerit: quamuis ipse clarius in Iuliani sententiam, Marcello reiecto, eat: sed hîc noster Paulus, cum quæstionem ex Iuliani sententia determinet, eiúsque distinctionem referat, & tacitè ei adhæreat, Marcellum demum contraria sententem describit, quem nec probare, nec expressim reprobare audet: quapropter Triphonio adhærendum est. & hęc pro legis intellectu sint satis. nam quæ argumenta nos uel adiuuent, uel confutent, uix discernas, cum admodum dubitabilia esse Iason ostendat, quale illud: an peculiaria bona ab alijs, quæ serui possident, secernãtur usucapionis causa: item & an differentia sit, acquisita ne ex peculio ante domini captiuitatem à seruo bona sint, an postquam hostiũ potestatis factus est: tametsi ipse putauerim, cum prius à seruo quæsita sunt bona per captiuitatem domini usucapionem interrumpi, siue ex peculio sint, siue non sint: at post captiuitatem peculium in seruo cõsiderari, quoniam illud administratione suum est, cætera uero minimè.

in d. §. factæ.

D

Paragraphum, si pignora, in l. à diuo Pio, de re iudic. alio intellectu declarandum, quàm hactenus factum sit. Cap. III.



Vlpiani uerba hæc sunt: Si pignora, quæ capta sunt, emptorem non inueniant, addicantur ipsi, cui quis condemnatus est: addicantur utique pro quantitate, quæ debetur. nam & si creditor maluerit pignora in creditum possidere, hísq; esse contentus, rescriptum est, non posse eum quid amplius, quàm quod sibi debetur petere. quia uelut pacto transegisse de cætero uidetur, qui contentus fuit pignora possidere: nec posse eum in certam quantitatem pignora tenere, & superfluum petere. dubitauit admodum, cum eius lectioni adessem, ætatis nostræ maximus Iurisconsultus Iason, quemadmodum secunda huius responsi pars intelligi, saluis Iurisconsulti uerbis posset. siquidem interpretum nostrorum Bartoli, Alberici, Alexandri, & id genus similes expositiones, scabræ & parum conuenire illi uidebantur: tametsi nihil ipse ex suo penu illic deprompserit: commune omnium interpretamentũ hoc traditur. Si creditor nolit pignora capta sibi adiudicari, sed malit ea tantum possidere, & dominium penes debitorem relinquere: debet hoc contentus esse, etiam si minor sit huius possessionis reditus, quàm id quod sua interesse posset, debitum non solui: nam de cætero transegisse uidetur. cæterùm ut argumenta, quæ ex uoculis impropriè acceptis, omittam, non uideo quomodo non absurda

A surda sit hæc interpretatio. quis enim credat à Iurisconsulto Vlpiano consideratum eum casum fuisse, cum creditor sibi adiudicari pignora negat, sed mauult possessione sola contentus esse? cum enim fructus percepti in sortem computarentur, quis quæso, tam demens, & sui prodigus esset, qui non malit addici, quàm possidere? fingamus debere te mihi mille, & pignora precij mille, & centum aureorum capta fuisse: nónne etiam si pignora quingenta tantum ualerent, satius esset ea iure dominij nunc retinere, quàm fructibus esse contentum? cum intra uiginti fortasse annos consumptis fructibus tua pignora restituere deín cogi possim. quamobrem aliter nos suprascripta uerba accipi debere existimamus: & quoniam scribentis mens intelligi non potest, nisi ex uerbis: attendendum primò est, quid propriè significet, addicere. & Laurentius Valla, & humaniorum literarum professores cæteri, in iure ciuili in eam significationē id uerbum capi tradunt, cum rem aliquam auctionamur, & alius alio maius precium offert: nam tali modo uendere, addicere est. uideamus nunc, quid significet in creditum possidere: & ego existimauerim id esse, cum ex causa crediti à iudice nulla facta addictione rem nobis concessam in solutū accipimus, nec idcirco minus dominij translatio fit. In creditū enim ire apud Iurisconsultos significat[a], cum ex causa crediti à debitore rem aliquam peto, ut eam non tradat solum, sed etiam det; quo sensu pluribus in locis capitur: & quamuis nec ire, nec possidere quicquam ad dominium faciant, quoniam tamen creditum ad translationem dominij propriè pertinet, non simplicem traditionem, sed dationem accipimus. Igitur in hoc responso sic ponendus est casus: cum deberem tibi centum ex re iudicata, & iudex pignora capi iussisset, cum in auctione exposita emptorem non reperirent, qui tanti ea empturus esset, quantum tibi debeo, addicenda à iudice tibi esse pro omni debito, Vlpianus censet, siue pluris, siue minoris ualeant: quòd si omissa auctione ea à me ex causa crediti petas, egóque simpliciter dederim, idem iuris est: quia illis contentus esse debes, solumq; hic à superiore casus differt, quia B si maius sit æs quod credidisti, petendo pignora uideris de cætero transegisse: at priore casu, cum addictio per iudicem fiat, & actus necessarius sit, non potest uideri factam transactionē, magisq; tunc aliquid ulterius petere iudicis autoritate prohiberis, quàm quod transegisse uideare. Igitur posteriore hoc casu non poteris pignora retinere, & superfluum petere: quoniam de hoc superfluo transactio facta intelligitur: & hoc cum simpliciter in creditum, in pignora ieris, alioqui si expressè aliud ageretur, lex contractus seruanda esset: & uerbum, addicantur, in textu geminatum, maiorem emphasim facit[b]: mirum quippe illud uidebatur.

a *in l.ij. si cer. pe.*

b *arg. in l. balista. ad Trebel.*

Rationes legis, in quartam, ff. ad legem Falcid. alias esse, quàm quæ hactenus à professoribus relatæ sint: tum uersiculus, sed & quod implendæ, nouo sensu à cæterorum errore uendicatus. Cap. IIII.



I Martiani Iurisconsulti responso traditū est[a], quadranti, qui ex lege Falcidia deducit̄ non cōputari, nisi quod iure hereditario acceptum est: quamobrem neq; præceptiones, neq; quicq; causa conditionis implendæ acceptum legatarijs prodesse, quominus integrum quadrantē heres deducat. sed in Trebelliano senatusconsulto aliud est: in eius enim portionē omne imputari, quod ex iudicio testatoris heres habeat, dūmodo uniformiter habeat: quãobrem in legato à cohærede relicto dimidium computari: quoniam illud iure hereditario habeat: aliud dimidium non computari, ne biformē (ut ita dixerim) portionem accipiat. Videndum est, quæ sit huiusce rei ratio. cum enim in fideicommissis uniuersalibus quadrans ex Pegasiano senatusconsulto, perinde atq; ex lege Falcidia, deducatur[b], nō fuerat absq; magna aliqua ratione differentia hæc admittenda. & Bart.[c] hanc rationē tradit, in lege Falcid. caueri, ut is quadrans de hereditate deducat̄: quamobrem non nisi quod hæreditario iure accipit̄ deduci: at in Trebelliano, cui Pegasiani senatusconsulti uires attributę sunt, de hæreditate nil dici, sed solum illud cautum esse, ut de fideicommisso quarta portio retineatur: & idcirco tam uariè inductum, quoniam cum in legatis particularibus plus grauet̄ hæres (in legatarios quippe onus æris alieni non transit,

a *l. in quartā. ad l. Falcid.*

b *§. postea uero. instit. de fid. hæred.*

c *in d. l. in quartam.*

quod in fideicommisso uniuersali non est) in uno grauatus, adiuuari in alio debuit. sed hanc rationem & recentiores reprobant: & nobis haud satis facit: quoniam cum uterque quadrans lege ueteri æquiparetur [d], quod in uno dicitur, ad alium quoque trahendum est. & quamuis accidere possit, dictionem, perinde & sicut, & si quæ similes, eandem similitudinem prorsus non inducere, regulariter tamen inducunt: & nisi expressim differentia constituatur, idem omnino iuris habent. cum itaque ex Pegasiani uerbis nulla diuersitas inducatur, non admiserim, nisi aliud constet, rationem hanc esse ueram: quamuis neque multum applaudat, grauari hæredem, quia in legatarios æs alienum non transit: quod enim onus considerari debet, cum quadrans hic ex lege Falcidia deducto omni ære alieno detrahatur [e]: Baldus aliam rationem refert [f], quòd Falcidia res hæreditatis respicit: senatusconsultum uerò non bona ipsa, sed uniuersitatem quandam, quamobrem in eo particularia non perpendi: & ideo quodlibet in quadrante imputari, quod testatoris iudicio datum sit. sed & hoc multifariam improbant recentiores, quos tute adire poteris [g]. Matthesyllanus fauorem fideicommissi uniuersalis id operari tradidit [h], ut multò plura computentur in eius quarta, quàm in particularibus relictis: quod & iuniores alij probauerunt. nam nisi fauorabiliora essent uniuersalia fideicommissa, non cogeretur hæres adire: uerùm hoc haud multum nos mouet: cum enim cogatur, cur potius non ei succurritur, qui cogi potest, quàm qui sponte adit [i]: nam & ita demum fideicommissa particularibus legatis fauore præualent, cum aliqua hoc specialis ratio suadet: quam in hac dubitatione certè non reperimus: alioquin & plures casus annotare est, in quibus legatis magis, quàm fideicommisso indulgemus: ut ex Bartoli commentarijs, in lege prima, de legatis primo constat [k]. Alij in legatis non deduci, nisi quid iure hæreditario accipitur, existimarunt [l]: quoniam legata non nisi in testamentis iure digestorum relinqui poterant, quod in fideicommissis contrà est. uerùm nec hoc autori sat placet, & multominus mihi, cum pronunciatum illud falsum sit: & crebrior sententia probetur, etiam in codicillis eo iure legari potuisse [m]: tametsi uel eo admisso, non satis consequens ea ratio sit. quid enim cum in testamento fideicommissum relinquitur, an idcirco quod possit in codicillis, ampliandum fuit in legitimi hæredis detrimentum? cæterùm nostra tandem opinio recitanda est, siquidem in Falcidia non computari, nisi quod hæreditario iure accipitur, inductum esse non à Martiano Iurisconsulto, sed ab ipso autore legis Falcidio magis crediderim: & huius rei autorem habeo diuum Hieronymum in Eusebij chronica, cuius hæc uerba sunt: Imperante Augusto C. Falcidius tribunus plebis legem tulit, ne quis plus testamento legaret, quàm ut quarta pars hæredibus superesset, si quatuor, aut minus essent: si autem plus quatuor, medietas: eo tenore, ut siue liberis, siue propinquis, idem exteris pater sua legaret: illa pars, quam Falcidius constituit, nisi pater interdixerit, & legatis fruentibus, & hisdem carentibus, æquanimiter partiretur: nam si æqualiter quadrantem cohæredes deducturi sunt, tam qui præceptiones habent, quàm qui non habent: certè sequitur, uoluisse Falcidium præceptiones non computari: quod & ex eo efficaciter probatur, quod Falcidius induxit, ne plus quàm hæreditatis dodrans testamento legari posset [n]. Igitur qui superest quadrans, portio hæreditatis esse debet, & iure hæreditario capi. cum enim legis XII. tabularum uerba ita essent latissimè concepta, is uti legasset rei suæ, ita ius esto [o], per Falcidium potestas hæc coangustata est, ut non nisi intra dodrantem ualerent legata. quamobrem quod supra dodrantem in hæreditate esset, id iure hæreditario ad hæredem pertinere debuit: & hoc in causa est, ut nec præceptiones, nec data implendæ conditionis causa in Falcidiam imputentur: at in Pegasiano senatusconsulto aliud iuris est, quandoquidem illud non prohibuit ultra dodrantem fideicommitti, sed solum constituit, ut si fideicommissum foret, quarta portio deduceret [p]. Nil itaque mirum, si etiam quod iure hæreditario non acquiritur, in ea portione computatur. satis enim senatusconsulto fit, si perinde quadrans apud hæredem permaneat, sicut in lege Falcidia remaneret: quamuis non eadem prorsus forma remaneret: & hoc supradicta ratione, quam nec Bart. nec eius complices satis perspexerunt. quòd si quæras, cur Falcidius hoc in lege expresserit, senatusconsultum uerò non expresserit: In senatusconsulto, respondere possumus, uoluisse amplissimum ordinem hæredi consulere, & tamen quam minimum

d Bar. in l. ij. de leg. j.
e in l. imponenda. ad l. Falcid.
f in l. filium quem habentem.
g Picus in l. in quartam. col. xl.
h in d. l. filium.
i l. si fideiussor. §. si necessaria. ff. qui satis. cog.
k in col. iij.
l Picus in d. l. in quartam.
m in l. j. de legi.
n l. j. ad l. Falc.
o l. uerbis. ff. de uerb. sig.
p d. §. postea uero.

A minimum posset fideicommissario præiudicare: quid autem in Falcidio efficaciter dicam, uix suppetit: & cum uerba legis qualia fuerint, satis ex Hieronymo constet, non arbitror adhuc inquirendum: potuit enim legislator persuasiua aliqua ratione moueri, & legẽ ferre, quam populus sciuerit: ueluti si iustum existimauit, ut qui in testamento hæres scriptus esset, saltem quadrantem iure hæreditario haberet: quod & simili casu in filijs fere Iustinianus introduxit[q], ut uidelicet teneat̃ pater iure institutionis quadrantem filio relinquere: uidetur enim Falcidij legem imitatus, dum etiã constituit, ut si plures quatuor liberi essent, semissem pro legitima habeant[r]: quod & Falcidium statuisse, Hieronymus ostendit: quamuis hucusq;, quod equidem sciam, animaduerterit nemo. Videamus nunc, cur in fideicõmissaria hæreditate, si cohæres suum aliquẽ fundum præstet, ab hærede totus in quadrantem computetur: si uerò fundus iste hæreditarius sit, portio solum hęreditaria, puta dimidia, imputanda sit. & Accursius, quem Bartolus[s] sequitur, id introductum tradit, ne eadem res diuerso iure censeatur: quæ ratio meritò recentioribus omnibus displicuit[t], cum hoc casu potissimum eadem res uariè accipiatur: quippe pars una Falcidiæ imputatur, alia non imputat̃. quidam, rei alienæ legatum non tanta interpretatione adiuuari, sicut propriæ, scribunt. quamobrem legatario incumbit onus probandi, cognitum fuisse testatori, rem esse alienam. Igitur cum cohæres fideicommissa rei non hæreditariæ præstat, ut uoluntas hæc perstringatur, omne quod præstat, Falcidiæ imputari debet: cum uerò hæreditaria res est, latiori interpretatione sola portio computatur. Verùm nec id ego probauerim, cum ex pronunciatis Bartoli[u] constet, non aliam interpretationem fieri solere, cum res hæredis legatur, quàm cum propria relinquitur: sed & si falsum id esset, ex eorum tamen ratione cõtrarium asserendum fuerat. cum enim Falcidia aduersus testatoris uoluntatem detrahatur[x], quo magis fideicõmissario fauetur, eo amplius testatoris sententiam adiuuamus: fauetur autem maximè, cum tota res aliena legata Falcidiæ imputatur. sed & tametsi

B onus probandi legatario incumbat, non ideo minus legatum rei alienæ interpretatione protendi dicendum est, cum argumentum de probatione ad substantiam rei nihil inferat[y]. quid erit si hęres hic, cui huiusmodi legatum factum est, sit filius testatoris, uel consanguineus? tunc enim quicquam probare opus non est: quamobrẽ fortasse in Baldi sententiam eundum fuerit[z]. scire enim debemus, tam in Falcidiæ legis, quàm in senatusconsulti portione id imputari, quod uoluisse testator credit̃: cauit utiq; id expressè Falcidius, & ex Iureconsultorum quoq; responsis palàm est[a]. Igitur ordinatio testatoris, eiusdem rei diuersos titulos constituentis, confundi non debuit. & sicut quod accipitur iure prælegati, differt ab eo, quod iure hæreditario accipimus, ita etiam in computatione faciundũ fuit: & hoc tametsi frigidè, utcunq; defendi potest, quando nec Alexandri[b] argumenta quicquam urgeant. sed quid si ratione noua ipsi nodum hunc dissoluimus? ut enim suprà uisum est, induxit Pegasianum senatusconsultũ, ut hæres retinere quartã fideicõmissi, hæreditatis ue posset: at cum fundum hæreditariũ dari cohęredis fideicõmissum est, pars hæreditaria imputat̃: quia uerè pars hæreditatis est, reliqua non est, & idcirco non imputat̃: nec obstat, quòd datum causa conditionis implendæ, uel rei propriæ ipsius hæredis legatũ imputatur: quoniam illud subrogari loco quartæ portionis fideicommissi uidetur: sed in nostro casu pars non hæreditaria fingi non potest in ea portione subrogari[c]: cum enim idcirco legatum hoc ualeat, quia à parte eius hæredis, cui præstari debet, separatur, non debuit fingi pertinere ad eius hæreditatem posse, ne à se sibi legatũ uideatur[d], & unà cum cæteris omnino corruat. Et ex hac ratione bellissimè infert̃ ad sequentes Iurisconsulti Martiani decisiones. cum enim rei hæreditariæ portio, quæ ad cohæredem spectat, nõ possit fingi pars esse hæreditatis alterius, idcirco non imputat̃: quid si legatum hoc cõsistat in pecunia? & tunc secus est, cum nil fictioni repugnet: quoniam in genere suo pecunia functionẽ recipit[e]. Subsequitur, quid in fideicommisso dato causa cõditionis implendæ? ueluti si testator me, & Titium hæredes instituat: & grauet ut Titio partem meam, si fundum mihi ille dederit, restituam: dein Titio fideicõmittat, ut fundum mihi ipsum det: uidet̃ hic fundũ, quia hæreditarius, nisi pro parte imputari debere: contrà ostendit̃ ex uoluntate defuncti, qui uoluit

q §. aliud quoq;. in auth. ut cum. de ap.
r auth. nouissi. C. de inoffi. test.
s in d. l. in quartam.
t Mod. in d. l. filium quem. col. xxxiiij.
u in l. nemo potest. in iij. op. de lega. j.
x l. Titia. ad l. Falcid.
y l. duo sunt. de testa. tut. Bal. in l. cum quis. C. de iur. & fact. ign.
z in d. l. filium.
a l. cum quo. §. fi. ad l. Fal.
b in d. l. in quartam.
c gl. in l. talis. de lega. j.
d l. legatum. §. j. de leg. j.
e l. ij. si cer. pe.

dari causa conditionis implendæ: cum quæ eo modo dantur, integrè computari soleant: & hoc magis Iurisconsulto uisum est. ponit itaque regulam, à qua duos casus excipit, cum pecunia præstatur, uel cum fideicommissum causa adimplendæ conditionis datur. Et hoc sensu puto accipienda eius uerba: interpretationes enim Doctorum perquam calumniosæ sunt[f]: quarum prima est, fideicommissum hæredi datur, id est, dandum iniungitur: quod meritò recentioribus displicuit[g]: quapropter alij, fideicommissum appellari posse, quod causa implendæ conditionis datur, lata & impropria significatione autumant: quæ responsio seipsam ostendit, ut confutatione non egeat. Alij aliter, & ineptè, ut huiusmodi affamiæ quibusdam ante nos improbatæ sint[h]: alij ab uno dari, puta X. causa conditionis implendæ, ab alio fideicommissum malunt, quod uerbis Iurisconsulti non congruit.

f Bar. Alex. ibi.
g Mod. Perusin. ibi.
h in l. filiũ quem habentem.

Intellectus omnes qui hactenus dati sint l. filium quem habentem, C. famil. hercis. probabiles non esse, quare aliter quàm à cæteris declarata: & nil differre deductionẽ ab alijs legatis. Cap. V.



Filium, quem habentem fundum portionem hæreditatis fratribus & quibusdam alijs, sub cõditione uerbis precarijs restituere, sanxit testator, post eius conditionis euentum hæreditaria parte prædij in quartæ ratione retenta: compensato præterea quod à cohæredibus uice mutua percepit, & si quid deest in supplementum deducto, quod à cæteris in eo fundo soluitur, supra quartam habens, reddere compellitur. Sacratissimorum Impp. Diocletiani Maximianiꝗ; hoc rescriptum[a] tam difficile intellectu, tam horridum tractatu, tam confusum interpretamentis existimatur, ut non aliud simile forsan in iure ciuili reperias. uideamus nos igitur, quo sensu accipiendum sit: & in Accursiana paraphrasi tres expositiones afferuntur, quæ eò tendunt, ut fideicommissum uniuersale, adueniente conditione deducta quarta restituatur, in qua hæreditaria portio fundi computetur, quem fundum in peculium datum ueteres crediderunt. Ioannes prælegatum mauult, Azo mortis causa filio donatum. quæ declarationes & textum peruertũt, & etiam iure non probantur: nam cur fundum hunc in peculium datum dicamus, uel mortis causa donatũ, cum id in rescripto non exprimatur? sed & concedamus hoc exprimi, cur in quadrante fideicommissario cõputari debet, si non ex iudicio testatoris accipitur? ea enim quæ donantur in quartam cõputari non debent[b]: item quæ in peculiũ filijs conceduntur, post mortem patris non retinenda, sed communicanda sunt[c]: quod in dubio cum effectu intelligendum est, cum & id dicatur propriè ad communionem reuocari, cuius pars ad unum, pars ad alium, uel pertinet, uel pertinere potest. neque dicat mihi quisquam, ex Bartoli sententia fundum hunc filio ex causa omnem adiudicatũ fuisse: quoniam & hoc extra rescripti uerba inducitur: & à quibusdam etiam alijs modis confutatur[d]: quam aleã Ioannis quoꝗ; interpretatio subit, quòd uidelicet textus uerba multifariam transferat, & quædam impropriè accipiat, quamobrẽ Cynus improbabilem eam appellat, & meritò ab aula, ut eius uerbis utar, reiectam. In quam sententiã & Bart. & uno consensu alij scribunt. fuit & noua interpretatio Matthesyllani, quam cum expugnatã, confutatamꝗ; Politus Senensis, me hercule & diligens & bene doctus Iurisconsultus, relinquat, illi acquiescendum duco. disputemus interim, an quod ipse ex suo penore interpretamentũ affert, defendi possit: is huiusmodi casum in rescripto afferendũ opinatẽ, ut pater tribus filijs, uel fortasse quibusdam alijs etiã institutis, unũ ex filijs sub conditione rogauerit portionẽ suam restituere: retento tamen & deducto sibi fundo hęreditario, eueniente cõditione tractatũ est, quemadmodũ ratio legis Falcidiæ ineunda esset: & responderẽ, debere eum portionẽ hæreditariam fundi computare, tum etiam si quid iure legati, uel fideicõmissi à cohæredibus accepit, & si adhuc ad quartã desit, suppleat ex hæreditate: illud autem quod in fundo habet, non hæreditarium, sed ex cohæredum portione, hoc non imputetur, sed supra quartam habeat. & licet hæc interpretatio mihi quandoꝗ; applauserit, duo tamen maximè nunc uidentur illi aduersari. nam si diuinandum non est, ut certè nõ est, quomodo in textu probabitur, uoluisse testatorem, ut

a l. filium. C. famil. hercis.
b l. in quartam.
c l. certum. C. fami. hercis.
d Politus in d. l. filium.

A rem, ut filius retineret fundum: de hoc utiq; in quo huius declarationis cardo conſiſtit, in reſcripto uerbum eſt nullum: ſed cum à teſtatore dictum non conſtaret, & Imperator retineri iubeat, Bartolus ut multò minus ariolaretur, induci id ex tacita uoluntate teſtatoris tradidit: quæ ex eo præſumitur, quòd fundus is in peculium illi datus fuerat. Secundum argumentũ ex Pauli epiſtola ad Neſennium Apollinarem colligit[e]. cum enim quartam ex ſenatuſconſulto filius hic deducat, non uidetur quòd portionem tantũmodo hęreditariam in eo fundo computare debeat, ſed aduerſus cohęredes omnem potius. neq; mihi ſatis arridet illa diſtinctio, ut ſecernamus, an teſtator à cohærede fideicommiſſario legauerit, uel fideicõmiſerit, ut tunc epiſtola Pauli obſeruetur: an uerò iuſſerit hæredem deducere, ut hoc caſu hæreditaria ſolum portio deducatur. nam ſi Dynum, Bartolum, concordesq; aliorum traditiones ſequamur[f], contrariũ potius dicendum foret, cum illud quod deducitur facilius totum computetur, quàm quod ab alio accipitur: exemplum in pecunia, quam ſi hæres ex ſeipſo deducere iuſſus eſt, totam imputat, alioqui non imputat. Sed & non crediderim probabilem hanc eſſe differentiã, cum indubitati iuris ſit, in legatis uerba non conſiderari: ut ſiue hæredi dictum ſit, accipias fundum, ſiue lego tibi fundum[g]: niſi expreſſim à Iuriſconſultis animaduerſum id offendam, nihil referre arbitrer. nam & ſi deductio hæc à legato differret, debuit utiq; à Iureconſulto nominari: quòd ſi legati ſpecies eſt, tunc Iuſtinianũ obijciam, qui legata ſinendi modo nihil ab alijs differre, itidem & præceptiones ex conſtitutione diuorum fratrum oſtendit[h]. Sed & Papiniani reſponſum, quod ſuæ opinionis argumentum habet, pro noſtra & communi ſententia induci poteſt[i]: cum enim pecuniam omnem imputari in Falcidiam docuiſſet: diuerſa (inquit ille) cauſa eſt prædiorum pro hæreditaria parte retentorum: quippe pecunia omnis de portione retineri poteſt: prædiorũ autem alia portio non niſi à cohærede, qui dominium habeat, accipitur. nam cum de pecunia ſcribens, utatur Iuriſconſultus uerbo retentionis, deinde aduerſatiuè loquendo de fun-

B di portione, accipitur, inquiat, à cohærede, oſtendit non poſſe hæredem propria autoritate deducere, & nihil deductionem hanc à legato differre. uerùm nec uerborum ui differentia hæc, quod ille opinatur, ſatis probari poteſt. Si enim ſcriptũ in teſtamento ſit, deducto fundo fili hæreditatẽ reſtituas, non propterea fundus in Falcidia cõputandus non eſt: alioqui ſi hoc obſeruaremus, nec hæreditaria pars deduceretur, quod textus noſter iubet: nam & in legatis dicitur, ut hęres accipiat, uel hæredi detur: & tamen in effectu integrè non accipit, cum teneatur reddere. præterea quibus ex uerbis conſtet in textu noſtro de deductione actum, uelim Politus ipſe uiderit: ſimplicitur enim ſcriptum eſt, fundum habentẽ, cur non alio potius iure, quàm deductionis? atqui uerbum, habere, latiſſimum eſt[k]: ut ita coanguſtari non debeat. Confutatis igitur aliorum expoſitionibus tempeſtiuum eſt, ut quod ipſe ſentio, in medium adducam: non quòd ſententiã noſtrã probari poſtulem, aut maleuolis uitilitigandi anſam præſtare uelim: ſed ut qualemqualem offam ſtudioſis potius obijciam. itaq; ſic me interprete fingendũ eſt de facto eueniſſe. Teſtator pluribus filijs hæredibus inſtitutis, uni prælegauit fundũ per legatum uendicationis, quod fiebat hoc modo: fili mi talem fundum tibi habe, uel preſume, uel uendica, ut Caius in inſtitutionibus ſub rubr. de legatis ſcribit. Idem teſtator eum rogauit ut hęreditatẽ fratribus, ſi nauis ex Aſia ueniret, reſtitueret, mandauitq; ut ipſi fratres uice mutua decẽ illi darent: ea conditione eueniente, quærit quid quartæ ex ſenatuſconſulto Trebelliano deducendæ imputandũ ſit: & ſi hæreditas reſtituenda centũ æſtimet, XXV. erunt pro ea quarta retinenda: quæ computatio ſic inibitur, ut in primis portionẽ hæreditariã fundi imputet, quę, ſi fundus XXIIII. ualeat, cum tres hæredes ſcripti proponant, erit VIII. rurſus decem quoq; illa quę à cohæredibus uice mutua percipit compenſet: quod uerò ad quartam deeſt, nempe VII. ex eo quod reſtituere debet, ſibi ſuppleat. reliquas enim partes fundi ſupra quartam habet, nec imputat: & reddit hoc modo ſenſus clariſſimus, & dictio illa, habentem, ad legatum uendicationis refertur, quod ſolebat eo uerbo concipi: tametſi etiam nihil impedit, eam uocem ad reſtituendi uerbum referre, quaſi eo tempore habeat quo reſtituit: ne exiſtimemus (quod alij arbitrantur) eum habuiſſe fundum uiuente patre. Nec me mouet Neſennij

e *l. Neſennius. ff. ad l. Falci.*

f *in l. in quartã. in ſeptima oppoſi.*

g *l. ij. C. communia, de leg.*

h *inſt. de leg. in princi.*

i *in l. deducta. §. numis. ff. ad Trebel.*

k *l. ſtipulatio iſta habere. de uer. oblig.*

consultatio, qua tradit, aduersus cohęredem omne legatũ cõputari: quoniam eo casu loquitur, quo hæres grauatus à cohærede legatũ petit: erit enim cohæres cõuentus exceptione doli tutus, nisi ille huiusmodi legatum Falcidię imputauerit: at nos loquimur in hærede qui non ipse quicquam petit, sed ab eo petitur: cum enim fundus per uendicationem sibi sit prælegatus, non compellitur eum petere, sed propria autoritate ex seipso accipit, ut Caius attestatur: sicq; uocula illa, habentem, perquam ἐμφατικῶς ea in constitutione accipitur: nec nouũ est, æquitatem, de qua in Nesennij consultatione, soli exceptioni sufficere, & adeò efficacem non esse, ut inde actio produci possit. totum enim id uoluntas testatoris facit, qui legando per uendicationem magis fauere honorato uoluisse uideri potest: & quamuis hodie sublata sit differentia legatorum uendicationis, damnationis sinendi modo, & præceptionis, hoc procedit quantũ ad actiones, quæ eædem quibuslibet conceduntur, non quantum ad alios effectus, qui ex mente testatoris proueniunt, quæ potissimum attendi debet: quod pluribus exemplis probare possum, sed duo sufficiant. si testator per damnationem nurui suę adhuc in matrimonio agenti, ius petendæ dotis prælegauerit, nihil agit [l]. si hæredem sinendi modo grauauerit, ut sinat se conueniri ab ipsa, quamuis de facto, utile legatũ est, idq; frequentiore calculo Alexander probat [m]. rursus si per uendicationẽ testator dixerit, Titius talem fundum accipiat, sibi habeat, uidetur etiam hodie concessa facultas propria autoritate sumendi [n], cum alioquin de manu hæredis petenda sint regulariter legata. quod & in ea specie respondit Modestinus, cũ testator filio dixisset, uolo ipsum à seipso præcipuum accipere, σύγκτησιν ἀμνοφόρον κομιάνων σὺν αἷς ἔχει ἐνθήκαις πάσαις, latifundiũ agniferum comianum cum omnibus quæ habet instrumentis [o]. Adde quòd Iustinianus in legatorum fauorem quatuor illas species exæquauit, ut minimè uerisimile sit, manus iniectionem, quæ ex legato uendicationis concedebatur, ab eo sublatam: ne quod fauore indultum fuit, in odium retorqueatur.

l l.ij. de dot. præleg.

m l. si Titius. de uerb. oblig.

n doct. l. cẽturio.

o l. Titia cum. §. j. de leg. ij.

Africani Iurisconsulti responsum in l. qui CCCC. §. qui CC. ff. ad l. Falcid. à recentiorum calumnia defenditur, qui errasse Iurisconsultum in computatione asseuerabant. Cap. VI.



Vm quidam ducenta in bonis habens, Titium hæredem instituisset, mihi centum purè, Seio centum sub conditione legauit: interim dum conditio euenit, ex legati fructibus XXV. percepit, dubitatum est quemadmodum legis Falcidiæ ratio ducat: & Africanus Iurisconsultus respondit [a]: quoniam tanto minus meo legato Seij legatum est, quanto fructus interim collecti æstimari possunt: censeri centum mihi, Seio LXXV. legata esse: quare septem partes fieri debere, ut tres Seius, quatuor ego soluam: quæ decisio quampluri mis uisa est iniusta, & calculi errore facta. & memini, cum adhuc Iustinianus nouus essem, uixq; liminarem digestorum pagellam euoluissem, fuisse quendam magni nominis scholasticum, qui publicè ostensurum se proposuerit, maximum hac in computatione Africani errorem: quamobrem, tametsi etiam tum disciplinæ huius admodum rudis, dolebam tamen tanti uiri memoriam lacerari. aliquo pòst tempore ęditus tractatus est, non eius quidem arrogantis uiri, sed perquã consummati Iurisconsulti, qui ut uerbis modestior est, ita rationibus efficacioribus pugnat [b]: is inquit, siue tempus quo conditio existit, consideremus, siue tempus mortis cum superiore iunctum, utroq; casu uideri aliter computandum fuisse. nam cum, ubi extitit conditio, dominus legati puri centum uigintiquinq; habeat (ex fructibus enim XXV. illi acquisita sunt) cui uerò sub conditione legatum fuit, centum teneat: non septem partes, sed nouem faciendæ fuerant: non enim quarta amplius, sed quinta in legato puro est, cũ ego centũ XXV. Seius centum acceperit: quòd si aliud tempus, nimirum mortis, cõsideremus, ego centum habui, Seius non æquè centum, sed tanto minus, quantum potuisset interim ex fructibus acquiri, donec centũ fierent: quæ summa LXXX. esse potest, cum ex centum lucrer XXV. eadem ratione ex octoginta, XX. Igitur perinde est, ac si à principio ego centum, Seius LXXX. habuisset, qua ratione in nouem quoq; partes diuidundum

a in l. qui cccc. §. qui cc. ff. ad l. Falc.

b repe. l. filium. C. fami. hæred.

A dundum fuit, quod conferendum erat. Cæterùm quoniam uerisimile non est, Iurisconsultum Africanum errasse, uideamus an defendi sua hæc computatio possit. & crediderim, si tempus quo conditio existit, respiciamus, non posse dici, eum cui purè legatum est, CXXV. habere, ut ille existimauit, sed centena tantum: nam cum is sua centũ statim habuit, confusa sunt proprijs bonis, factaq; sunt pars patrimonij ipsius legatarij [c], & ideo fructus inde collecti amplius non computantur: ut idcirco augeri legatum dicere possimus, cum illi fructus sint rei iam suæ: at in fructibus legati conditionalis aliter est, quia hæres eos in quẽcunq; euentum de re hæreditaria capit, quapropter utrique computat, censeturq; illo minus in eo legato esse. Igitur meritò mihi centum legata cõputantur, Seio LXXV. & in VII. partes fit deductio: neq; à tẽpore mortis ex altero argumẽti capite fieri computatio debuit, cum si Seius LXXX. tantũ haberet, XX. illa sibi soli acquireret, sed in nostro casu LXX. hæc V. collecta nõ Seio tantum, sed & mihi prosunt [d]: ut tandem nobis in hoc applaudam, quòd eius sentẽtiæ semper fuerim, ut magis me Iurisconsultos ingenij debilitate non intelligere faterer, quàm eis erroris aut negligentiæ notam inurerem: non quòd & ipsi homines non fuerint, sed quòd nos ita illis inferiores, ut discernere ubi lapsi sint nequeamus: si tamen quandoq; dormitauerunt, quod non opinor.

c l. sed & si plures. §. filio. ff. de uulga. & pupil.

d l. in ratione. eo. tit.

Intellectum Hugolini in l. re coniuncti, de leg. iij. non rectè à recentioribus defendi, tametsi uerus sit: quamobrem disputatũ, an alijs modis substineri possit. Cap. VII.



Ifficilis est Pauli illa lex, qua qui sint coniuncti, uel re uel uerbis, explicatũ est: idq; siue materiam expositiones ue Doctorum respicias, siue etiam Iurisconsulti uerba: præfertur enim (inquit) cæteris, qui re & uerbis coniunctus est: quòd si re tantũ coniunctus sit, constat non esse potiorem: si uerò B uerbis quidem coniunctus sit, re autem non, quæstionis est, an cõiunctus potior sit, & magis est ut ipse præferatur: dubitatum fuit, quo intellectu uersiculus hic ultimus accipiendus esset: & quoniam ueteres maiorum opiniones, Ioannis, Roglerij, Azonis, & id genus cæterorum referre, cum ab omnibus recentioribus confutentur, operæpreciũ non est, uideamus an Hugolini interpretatio, quæ dubio procul uerbis legis admodum cõgruit, uera sit, & quomodo defendatur. existimauit is, à Iurisconsulto in ultimo responso quæri, num coniunctus uerbis tantum, præferatur illi, qui re solum coniungitur, & responderi præferendum: & profectò cum præmodum contextis uerbis congruat hæc expositio, nõ arbitror futuros fuisse unquã aliquos, qui cum Hugolino nõ sentirent: nisi Iurisconsulti quodam responso arcerentur, quo hoc uidelicet traditum est, eos qui uerborũ complexu iunguntur, & qui re connexi sunt, æqualiter succedere, nec alterum alteri præferri: Pomponij [a] enim in tractatu de hæredibus instituendis uerba hæc sunt. Si ita quis hæredes instituerit: Titius hæres esto, Caius & Mæuius, ex æquis partibus hæredes sunto, quamuis, &, syllaba coniunctionem faciat: si quis tamen ex his decedat, non alteri soli pars accrescit, sed omnibus hæredibus pro hæreditarijs portionibus: quia non tam coniunxisse, quàm celeriter dixisse uideatur. Petrus ex Genabo, quam Aureliam dicunt, & alij quidam Gallici Doctores [b] negant Titium in proposito exemplo re tantum coniungi. atqui ex eorum sententia, inter primam institutionem, & secundam addendum fuit punctum, quod æquè pollet atque copula, & idcirco etiam uerbis coniungit. sed hæc responsio nemini non reprobatur: ubi enim necessaria est copulatiua illa uox, uel subinducitur, uel ex puncto colligitur: at in nostro casu nemo eam ad rectam locutionem quicquam facere fatebitur. Salicetus distinguendum putauit, ut si cõiunctus re, alios uerbis coniunctos præcedat, quod in superiore casu est, tunc pariter succedant, ex præsumptione legis, quæ testatorẽ magis uoluisse celeriter scribere, quàm cõiungere, arbitraĩ. perinde igitur est, ac si omnes re coniungere uoluisset. at uerò si è conuerso scriptũ sit, & coniuncti uerbis ordine scripturæ eum antecedant, qui re coniungitur, secus esse, cum eo casu quicquam de celeritate non fingatur: Iason id improbat [c], tanquam in textu ordo ille non consideretur,

a l. si ita quis. ff. de hæredi. institu.

b in d. l. re coniuncti.

c in d. l. re coniuncti.

quod parũ me mouerit: fortius ex eo urgeor, quoniã si testator re coniungere uoluisset, non instituisset eo addito, se æquis portionibus instituere: quo casu etiã celerius dixisset. sed & hac admissa opinione, præferendi erant, uel Caius uel Mæuius, quòd etiam uerbis cõiuncti forent. Petrus Besutius [d] nunc cõiungi eos uerbis negat: quippe nõ ut coniungeret, sed ut celeriter diceret, appositã à testatore copulam: nunc Titiũ re quoque disiunctum opinatur, tanquã uerba illa, æquis portionibus, ad eum quoque referri debeant. sed utranque expositionem argutissimè Iason confutat: cur enim uox hæc, æquis partibus, ad Titium referatur, cum quæ in aliena clausula dicta sunt, ad præcedentem referri non debeant? aut cur coniunctos Caium, & Mæuium nõ dicamus, qui una oratione positi, etiam remota copula coniunguntur? Iason cum se ualde notabiliter respondere testatus esset, Titium asseuerauit neque re coniungi: cum enim in principio absque partibus hæres institutus sit, censetur institutus in totum. quamobrẽ ubi Caium, Mæuiumque testator addidit, existimandus est ad dupondium transisse. Cum igitur diuersis assibus instituti sint, non potest credi ius accrescendi inter eos, tanquam re cõiunctos, esse. sed & Caius Mæuio non coniungitur, quoniam non tam coniunxisse, quàm celeriter dixisse testator uidetur. Cæterùm & hæc Iasonis interpretatio minimè mihi satisfacit: cum, si ratio celeritatis cessaret, præsupponit textus Titium alijs coniungi, ergo ad dupondium transgressum nõ est: quod & Ioannes ab Imola satis perspicuè ostendit [e]. nam & cur Caium Mæuio iungi negem? quasi testator duas orationes facere, separatimque eos scribere uoluerit, sed celeritatis causa, una clausula utrunque instituerit: uidetur utique nobis hoc non sat congruere: quis enim Iurisconsulto hanc testatoris uoluntatem manifestam fecit, ut ex ea à communibus regulis recederet? ex uerbis certè non constat: ergo obseruanda non fuit, sed potius ex ui uerborum respondendum fuerat, Caium aut Mæium Titio præferri. Quid censendum? existimarem in casu claro, cum constat testatorem expressè egisse, ut unus uerbis cõiungeretur, alius re tantũ, eum qui coniunctus uerbis est, præferri: quod ex Hugolini interpretatione constat: alioquin in dubijs tantæ efficaciæ non esse coniunctiuam copulam, ut propter eam disiuncti excludantur: quamobrem censeri potius, gratia celeritatis appositam, eo scilicet respectu, ut etiam disiunctus simul admittatur, non ut coniunctum uerbis tantum, quasi non coniunctũ excludat: & hoc in hæredibus præsertim in quibus ut æquales portiones fiant, legibus admodum placuit.

d in repet. d. l. re.

e in d. l. si ita qs.

Lex, mulieri & Titio, de condit. & demonst. declarata: & ab Raph. Soci. Ias. argumentis defensa: & noua ratione dicendum ex ea probari, tametsi speciali iure succedatur ius accresc. esse posse. Cap. VIII.



MVlieri & Titio usufructus, si nõ nupserit mulier, relictus est: si mulier nupserit, quandiu Titius aduiuet, & in eodem statu erit, partem usufructus habebit: tantum enim beneficio legis ex legato mulieri cõcessum esse, intelligendum est, quantum haberet si cõditioni paruisset: nec si Titius qui conditione defectus est, legatum repudiet, ea res mulieri proderit. Ex hac Papiniani lege eam conclusionẽ collegit Bartolus [a], ut quoties aliquis iure speciali aduersus testatoris uoluntatem legato fruitur, in coniuncti portione ius accrescendi non habeat: cuius rei uariæ rationes à Baldo diuersis locis referũtur, quæ à Socino Iasoneque collectæ, omnibus ad manus sunt. cæterùm uidendum est, an communis intellectus defendi possit: existimauerunt enim Raphaël Comensis, & recentiores alij [b], non solũ Bartoli eam conclusionem ibi non probari, sed potius contrariæ sententiæ argumenta duo efficacia colligi: primum est, dum dicitur, quandiu Titius uiuit, & in eodem statu erit, partem usufructus habiturũ: si igitur non uiuet, uel in eodem statu non erit, usufructus ad mulierem pertinebit. sed argumentum hoc haud ita ego admiserim: quoniam si Titius in eodem statu non erit, sequitur eum non habiturum usumfructum, non tamen concedendum est, ad mulierem deferendum: atqui ad proprietarium potius ex regula pertinebit [c]. quamobrem, quod Iason adfert, uerba illa nihil operari, explodendum est: operantur enim, ut Titius usufructu deturbetur, & dominus proprietatis eũ capiat.

a in l. re cõiuncti.

b Raph. & Soci. in d. l. mulieri. Ias. in l. re coniuncti. col. liij.

c l. si Titio usufr. ff. de usufru.

A capiat. Secundum argumentũ ex ratione legis deducitur: inquit enim Papinianus, tantum ex beneficio legis mulier cõsequetur, quantũ haberet, si conditioni paruisset: sed si paruisset, iure accrescẽdi toto usufructu frueretur: cur ergo cõtra? uerùm & hic respondendum puto, uerba ea accipi secundum legis casum oportere: cũ enim Iuriscõsultus, quando Titius legatum acceperat, locutus esset, subiunxit illam rationẽ, quæ eo casu perquam uera est: sed ubi Titius repudiaret, tunc ea ratio inducenda non est. nec obijciat mihi quisquam rationem generalem esse [d], & ideo extra casum trahi, quoniam tametsi hoc peruulgatum sit nimis, & indistinctè uerum esse omnes admittant: possunt tamen plures leges adduci, quæ huius pronunciati falsitatem ostendunt. sed & Bartolus id intellexit, si commodè ad alios casus ratio produci possit [e], nõ aliter: Baldus uerò hoc admittit, cum in generali clausula ratio recitatur, nõ si in speciali, uel (ut uerbis eius utar) discretiua [f], quod in nostro casu est. et hæc ad communem intellectum defendendum satis. Cæterùm aliam huius responsi rationem esse opinor, quàm uel Baldus, uel alius quisquam tradiderit: fauore enim matrimonij in suprascripta quęstione admittebatur mulier, etiam contra uoluntatem testatoris: sed postquam iam nupta est, cessat pauxillum ille fauor (nõ enim quæ nupta est, aliud matrimoniũ sperare debet) quamobrem priuilegium cessat, & id ex regula, cum acquisitionis causa amplius non subest, licet quæsita permaneant, acquirenda desinere [g]. Igitur aduersus Bartolum existimauerim etiam inter succedentes iure speciali ius accrescendi esse: si tamen specialis illius iuris, & gratiæ causa adhuc supersit: sed si non superest, neq; iuri non decrescendi locũ esse. nam si Bartolum generaliter sequamur, illud falsò dixerimus, iuri non decrescendi etiam inter speciali indulgentia succedentes, semper locũ esse: in prædicto enim responso, mulier Titio non uerbis tantum, sed & re coniungitur: quapropter & ius non decrescendi utiq; illi competeret, & tamen non succedit.

d *l. regula. ff. de iur. & fac. ign.*

e *in l. metum. §. animaduertere. ff. quod met. cau.*

f *in c. secundo requiris, extra. de ap.*

g *l. j. in prin. ubi Cor. C. de cadu. tol.*

B Num definitionẽ generaliter procedere sit satis: Accursij, Angeli, Alexandri, Aretini, Abbatis sententiã ueram non uideri. Cap. IX.



QVæsitum est, an definitio ea substinenda sit, quæ non omnes casus comprendit, sed regulæ tantum adhæret, atque generalia complectitur: & Accursius substinendam esse arbitratus est [a], neque ex speciali iure aduersus definitionem probabile argumentum esse. quamobrem Nicolaus Tudiscus, Aretinus, Decius [b] eam iudicij definitionẽ probarũt, ut sit actus triũ personarũ in iudicio contendentiũ: tametsi enim quãdoq; absq; actore iudiciũ sit, quale est inquisitionis: satis tamen esse opinãtur, si quæ frequentiora sunt, describãtur. Alexander [c] quoq; in dote illud in definitione probat, ut detur propter onera matrimonij: quamuis aliquando accidat, ut ex pacto teneat mulier, ea onera de suo substinere, non uir ex dotalibus bonis. sed & Aretinus de testamẽti substãtia esse hæredis institutionẽ scripsit [d], quanquam speciali casu miles in codicillis instituat. Angelus [e] quoq; filij definitionem Iurisconsulto Vlpiano traditam probat, ut is sit, qui ex uiro & eius uxore nascitur, licet & alij filij sint, non ex uxore nati: ueluti legitimati, ut uocant, qui ab illis iuris æstimatione non differũt. Sed satis fuit generaliter finire, quod & ex Papiniani responso probatur [f], qui: lex, inquit, commune præceptum est, cum tamen priuatæ quoq; leges sint. Vlpianus [g]: puto, inquit, conditionem, quæ in potestate est, generaliter rectè definiri: facti potestas est: potest enim hæc, si Alexandriam peruenerit, non esse in arbitrio propter hyemem: quare ad generalem definitionem recurrendum est. Cæterùm licet me horum autoritas plurimum moueat, non dubitauerim tamen contrariæ opinionis assertorẽ me præbere: & ut ab alijs discedam, efficacioribus utiq; rationibus adducor. nam nemo, opinor, negauerit, cui rei id quod in definitione dicitur, nõ competit, nec definitionẽ congruere [h]: quod si ita est, sequeretur, ut speciales casus impropriè appellarentur: alioqui definitio cũ definito non conuerteretur: nec esset quod Græci dicunt ἀντιστροφή: itaq; iudiciũ inquisitionis, iudiciũ non esset: dos, in qua onera matrimonij non substinerentur, dotis nomenclaturam propriè non haberet, & id genus cætera: quod certè nimis nouum est. Siquidem & quod Iurisconsultus in regula iuris tradit,

a *in l. omnis. de regu. iur.*

b *in rubri. extra. de iud.*

c *in rub. ff. sol. mat. col. x.*

d *in l. j. de test. col. pe.*

e *in consi. lxxj.*

f *in l. j. de legib.*

g *in l. suus quoq;. §. puto. ff. de hære. insti.*

h *l. quintus. §. cui aurũ. ff. de aur. & ar. leg.*

i l.omnis. de reg. iur. omnem definitionem periculosam esse[i], quoniam facilè subuerti potest, falsum esset: si enim satis foret generaliter definire, quæ quæso difficultas est in terminãda regula? nulla utique, ut Iason ait[k]. Celsus, regula, inquit, Catoniana sic definit[l]: quòd si testamenti facti tempore decessisset testator, inutile foret legatum, id quandocunque decesserit, non ualere: quæ definitio in quibusdam falsa est. uiden' igitur definitionem, qua generalia tantum describimus, idcirco reprendi, quoniam in quibusdam deficiat? neque oberit, si ex Bartoli testimonio eam nõ definitionem, sed descriptionem esse dixeris[m]: quoniam si descriptio, quæ facilius substineri solet, eo argumento cõfunditur, quanto hercle magis definitio? nam & Vlpianus Seruij definitionem in dolo reprobat[n]: quæ tametsi generaliter uera sit (rarò enim fit, ut citra simulationẽ dolus inducatur) quia tamen etiam sine simulatione id agi posse Labeo ait, Labeonis definitionẽ uti magis ueram probat. Accursius[o] quoque, si cautio in definitione ususfructus esset, non posse absque ea usumfructum dici, autor est: ut inde expressim ostendat, omnia quæ in definitione dicuntur, requiri, ut definita res nomen suum habeat, & uel speciales casus comprendi. et nostræ huic sententiæ non aduersatur suprascriptum Papiniani responsum[p]: quoniam eo nõ tam lex definitur, quàm simpliciter describitur: quod recentioribus quoque quibusdam uisum est: sed & Vlpiani autoritati[q], quo minus respondeã, in causa est, quod in utranque partem adduci posse uideo, licet efficaciter neutram probari.

k in rub. so. ma.
l l.j. de reg. Cat.
m in d. l. j.
n l. j. de dolo.
o in rubri. ff. de usufru.
p in d. l. j. de legib.
q in d. §. puto.

Canonem pontificium à synodali nihil differre, & probabilem non esse huius rei disceptationem. Cap. X.



TRadunt canonicæ legis periti, duplex esse constitutionum genus: alias enim Pontificias esse: alias quæ à sacerdotum generali conuentu synodales conciliares'ue dicuntur[a]. qua in re, ut cõmunem sententiam tueamur, ex doctiorum annotationibus quædam axiomata affirmanda sunt, in primisque illud: ut constitutio in cõuentu generali facta, tametsi illi interfit Romanus pontifex, tamen conciliaris dicatur, si à concilio originẽ tractatus trahit: cognoscimusque id, cum in constitutionis titulo solum ex concilio promulgatã scribitur: alioqui si suppresso sacrosanctæ synodi nomine solus Pontifex inscribatur, pontificiã esse constat. quòd si proponatur dictũ, Iulius Pontifex de consensu concilij, Nicolaus Tudiscus oratione quadam, conciliarem esse asseruit: recentiores Felinus, & Decius contrà[b]: quoniam iuris regula est: solere res gestas facientibus attribui, non ijs qui consentiunt tantũ. sed sciendum est, in quibusdam contractibus requiri quorundam consensum, ad quos contractus ipse non pertinet: & non dubitauerim suprascriptæ regulæ adhærendum: sed cum is qui facit, & ille qui consentit, etiam separatim potestatem faciendi habent, cum par hoc casu sit utriusque conditio, fortiori titulũ rei gestæ attribuimus: quamobrem & cum generalis sacrorum antistitũ conuentus, legem promulgandi ius habeat, & nihilominus idem Pontifex possit, in dubijs fortiori adhærendum fuerit: præualere autem concilium non ambigã[c]. quòd si non generalis synodus, sed conuentus aliorum, puta Cardinales cõsenserint, Pontifici negociũ omne adscribemus[d]. Hinc si Pontifex se legẽ ferre asserat, uel autoritate concilij, uel decernente simul sacrosancta synodo, conciliaris ea lex appellabitur[e]. Sed quid si inscriptum sit, Iulius Pontifex sacro approbante concilio? pontificalem esse traditum est, cum potuerit à Iulio prius fieri, deinde à synodo approbari. sed quorsum hæc? num de titiuillitio, caprináue lana disputamus? minimè uerò: nam in hoc utilis quæstio est, quia difficilius aduersus constitutionem synodalem admittitur dispensatio, quàm aduersus Pontificis legem[f]. quæ enim à pluribus fiunt, maiori firmitate nituntur[g]: & hæc ex aliorum sententia, cui nos nequaquam subscribemus. hæc enim ratio sacrosanctæ apostolicæ sedi iniuriam facit, quasi in sanctionibus, ex ea diuulgatis, perfecta cognitio non adhibeatur. nam & cum imperator legem promulgat, si in consultationem quamplurimos consistorianos adhibet, & uniuersis approbantibus, tum demum se legem ferre attestatur: cur eandem diligentiam in Pontifice Romano non præsumimus[h]? atqui non ita sensit Gratianus[i]: qui, decretales, inquit, epistolæ canonibus conciliorum pari iure exæquantur:

a Abb. & Mod. in c. j. de spõsa.
b Feli. in c. j. de spon. Dec. in c. j. de iud.
c gl. in c. si Papa. xl. distin.
d c. j. de ren. lib. sexto.
e c. nimis. de iure iur. c. fin. ij. q. j.
f Scrib. in c. at si clerici. §. j. de iudi.
g c. prudentiam. de off. deleg.
h l. humanum. l. fin. C. de. ll.
i xx. distin. in princi.

A quantur: nam & si id admittimus, consequens esset, constitutionibus senatusconsulta præuortere, quod nemo dixerit: sed & cum Pontifex approbante concilio sancit, cur hanc rationem non producimus? probabilem itaque tot interpretum superiorem quæstionem non arbitror: inutilis quippe est, & quæ nullo usui esse possit.

PARADOXORVM FINIS.

CLARISS. ET OPT. VIRO DN. IOANNI SELVAE, REGII SENATVS MEdiol. præsidi, Andreas Alciatus Iurisconsul. S. D.



CVM in omni disciplina maximo nominis sui periculo hi agãt, qui uetere, & multis seculis probata lectione, immutata, nouas ipsi res substituunt: tum illi nobis uidentur temere magis facere, qui in sacrosancta iuris ciuilis uolumina id moliri ausint. quippe cum in cæteris ferè artibus, si mystica & medicinam demas, nullo humani generis incommodo peccetur (nec enim multùm refert, inemẽdatus circumferatur alicuius historici, poëtæ, musici, astronomi, huiusque professionis autoris quisquã liber) in legibus ipsis si quod uerbum uel excidat, uel malè percipiatur, maximum in humanis opibus detrimentum affert. quapropter quæ mei muneris partes esse deberent, satis hoc ipso admonitus, non sine summa trepidatione quicquã innouare ausus fui, etiã si certissimis ferè rationibus adducerer: donec emendatissimis quoque codicibus nostras annotationes cõprobari posse cognouissem. cum igitur & plura à nobis collata exemplaria fuissent, cum item Hetruscorum Pandectas obiter, ceu per transennam, legere B mihi datum esset: decreui pauculas aliquas de multis, insigniores tamen, in codicillum obseruationes redigere: mediastinisque seruolis, qui in alienum locum impudenter obrepserant, de familia eiectis, ordinarios restituere: & quantum in me esset, in libertatem asserere. quod num satis legitimè à nobis factum sit, id omne, uelim nolim, ad lectoris iudicium pertinet: in cuius notione cum tergiuersari nequeam, solum illud relictũ est, ut facilem candidique pectoris sortiri desiderem: qua in re optima me spe plenũ, merita certa nostra constituunt. cum enim nõ ambitioni opus id scripserim, cum & superbiæ multò minus à me tribuatur: quid est quòd dubitem, ne non humanum, modestumque habere contingat? cum item delator ipse neminem in ius uocem, famæque aliorum per me nihil detractum sit: nõ est quòd uerear, ne crabrones dicar excitasse. accedit his minimè ampullosus titulus, demissæque sub illum disputatiunculæ, quas etiam si uiderit Momus, minimè operæpretium facturus est: si uerum est, summa petere liuorem, & rapidissimis uentis inconcussa radice stare harundines. non hîc magnam eruditionem quisquam requirat, minusque à leguleo sermonis nitorem, & styli candorem expectet: rebus solum ipsis pugnamus, idque ne frustra membranæ occuparentur, quanto paucioribus uerbis fieri potuit. nõ opisthographa, & uel in tergo (quod ille ait) Orestem scriptum multi facimus: agellus noster minor est, & qui uilioribus solum holusculis luxuriet. desideret quisquam lepidum dicendi characterem, exquirat eruditionem (non nostrum hoc onus) is alios adeat, uel certè miscellaneis immoretur. exoptet, nescio quis plurimarũ obseruationum ingentẽ syluam, res ipsas curet, stylum quamuis ineptum non auersetur, poterit & hoc ab aliquibus accipere. exierunt & dignæ lectu aliæ annotationes, in quibus & bonam frugem colligere studiosi possunt, & recentium autorum ingenia admirari: eos ipse imitatus in iuris ciuilis disciplina composui, quæ illi in alia professione factitauerant. sed in eo mihi durius certamen fuit, quòd nemo est tam infelicis ingenij, qui non paucos apud quemcunque autorem locos possit uel emendare, uel diuersa à cæteris sententia interpretari: & id etiam, si dijs placet, sine ulla præuaricationis noxia: at qui de uno codice idipsum faciat, nõ passim, ut opinor, reperietur. extitere qui ante nos paucas quasdam notulas hoc tractatu uulgauerint, sed illi quidem,

non dicam aridi, & ieiuni (quandoquidem id à nobis etiam ultrò affectatum est) sed nullius planè iudicij literaturæque fuerunt: ut non iniuria temeritatem damnes, ea quæ ipsi ignorant, publicæ editioni mandantium: contrà & alios cernere est perquam eruditos, qui tamen quòd ferè omnia ad humanitatis studia deflectant, Iurisconsultis ipsis non æquè magno sunt usui. uerùm hoc in re literaria frequens uitiū est, quòd uidelicet cæca ambitione omnes ducamur: neque est quisquam, quem non in aliqua re uidere Suffenum possis. quamobrem & fortasse nos, nostraque suspendet naso aliquis, præsertim cum tam libère ausus fuerim etiam præiudicij præscriptione reiecta, annotatiunculis hisce nostris, contra receptas à maioribus sententias pronunciare. sed hi uelim sciāt, quæ à nobis affirmantur, non eo animo dici, quòd lectorem etiam reluctantem in nostram sententiam uelimus pertrahere: liberum unicuique iudicium sinimus: & uelut in apparatissimo conuiuio plurima fercula apponuntur, ex quibus quod magis sapiat, uocati eligant: ita & honestioris ocij studiosis pro ferculo hic exhibetur liber, quem is demum legat, probetque, ad cuius stomachum hæc lectio fecerit. ego quidem ad utranque subeundam aleam paratus, constanter qualecunque iudicium tulero: ut si forte populari aura exceptus, multorumque manibus tritus fuerit, non idcirco exultem, cristam'ue tollam, cum plures malos Bias existimauerit: uel econuerso si rarissimum quenque eius lectio retinuerit, hac causa mihi displiceam, cum deserto ab omnibus auditoribus discipulo, Antigenidas musicus: mihi, dixerit, & musis cane: cuius exemplū imitatus Augustus, cum omnium cauillis obnoxium Tiberium ipse approbaret, ἐμοὶ, inquit, καὶ ταῖς μούσαις στρατηγῶν Tiberi: ut meritò, quacunque huius nostri cœpti se alea uerterit, etiam clarissimorum uirorum exemplo habeam, unde causam tueri possim: & his quidem ipse satis aduersus caninam facundiam firmū me præparaui. minus certè negocij exhibebunt, quos togatos uulturios uerè appellaueris, qui non alia fine iuri ciuili assiduam dant operam, quàm ut assidui fiant, hocque potissimū studio sint locupletes. nam hi utplurimum solis interpretum uulgatissimorū scholijs immersi, cum Latinè tria uerba effari non possint, non est quòd dubitem aduersus illos etiam intra teli iactū nudus progredi. Intendi animum iandiu, in diesque & horas hoc ipsum ago, ut Bartoli, cæterorumque sententias optimè teneam: quo in studio nec recentiorū uolumina auersor: adlubescūt mihi ea omnia, autoresque ipsos ob ingenij quandam perspicaciam, acumenque, non modica in ueneratione habeo. cæterùm uix æquo eos animo possum ferre, cum optimè Iurisconsultorum responsa se interpretaturos prædicantes, omnia potius comminiscuntur, quàm quæ ad Dionysium, ut in prouerbio est, faciant: quos tamen non dubito, si nostras hasce pauculas interpretationes uidissent, de sua sententia in nostram quandoque transituros: quod minimè nostrates isti recentiores facturi sunt, qui ubi paulò elegantiorem libellum uiderint, attoniti, tanquam ueteres illi barbari, Romanā aciem uix oculis sustinent: quin etiam ueluti magica manibus deturbant: quod & si mihi contingat, nō iniquo tamen animo laturus sum. quandoquidem Lucilli exemplo, qui Tarentinis, Siculis & Consentinis solum se scribere attestatus est: ipse humanitatis studijs insignibus tantum Iurisconsultis scribo, & non aliter, quàm à deorū mysterijs profanos omnes, impiumque uulgus hinc arceo. explodant ergo, reijciāt, deturbent: id nō secus boni consulam, quàm si rem nihil ad se pertinentem, ne attingere quidem uelint: quanquam & mihi satis fuerit paucorum consensus, non omnino nostras lucubrationes aspernantium. nec enim eò temeritatis mihi progredi licet, ut librū hunc protinus approbari, & ceu Phidiacum opus in Mineruæ arce statui uelim. quapropter non nisi multorum, & præsertim consultiss. uiri Iaco. Minutij conuicio ferè debellatus adduci potui, ut in apertum, tanquam insignem tabulam referrem: cessi tamen plurimorum iudicio, maluique nimiæ facilitatis, quàm morosæ cuiusdam contumaciæ reus describi. Postquam igitur uela uentis permisimus, auram (quod ille ait) soluentibus bene precemur: ne ea, ut Vlyssis socijs accidit, utre dilapsa, in Lestrygonas Circæūque litus nostrā penè disiectam ratem impingat. Id autem periculi ut audacius pertranseam, tutelare aliquod numen deligendum fuit, quam personam tu amplissime pater, senatusque nostri columen Ioannes ut substineres, cum etiam atque etiam desiderarem, posse id asse-

qui mihi

Locus Tranq.

Locus Quintiliani.

A qui mihi uiſus ſum, ſi opus hoc, qualecunque eſt, tibi dedicarem: quod ut facerem, & egregia merita tua, & clariſſimi illius uiri Antonij à Prato, qui tibi primarium hunc locum demandauit, autoritas impulerunt: ſi enim ſummã integritatem, ſapientiã, æquanimitatem, iuriſprudentiam perſpicere uoluerimus, nõ aliud clarius exemplum etiam inter ueteres inueniri poterit: rurſus, ſi animo aduerterimus, quanta cũ dignitate principem hunc in ſenatu locum tuearis, uerè te ſummi illius uiri perſonam ſubſtinere nõ diffitebimur. ſed hæc auribus tuis iam nimis perſtillata ſunt, qui cum quotidie benefacere non deſiſtas, in communeq́ ampliſſimæ huic urbi conſulere, plurimas quoque de te laudes audire compelleris. quandoquidem hoc uel maximum uirtutis pręmium eſt, laus & gloria. Accipe igitur, cõſultiſſime uir, diſpunctiones haſce noſtras, ea lege, ut arbitrio tuo uel ſtent, uel cadant: autoremq́ ipſum iandiu tibi addictum, commendatum habe. Bene uale.

ANDREAE ALCIATI

IVRISCONSVLTI DISPVNCTIONVM LIBER I.

PROOEMIVM.



VM propter imminentia Inſubribus bella, noſtrorumq́ temporũ in ea regione calamitatem, collibuiſſet pauxillum ſecedere, Bononiamq́ forte aduenïſſem: neſcio quo pacto in manus meas incidit uenale digeſtorum uolumen antiquiſſimũ, membranis ſcriptum tam pulchris characteribus, ut pridie eius diei notatum uideretur,
B qua ad me delatum eſſet: in eo nulla Accurſij interpretatio, nullius paraphraſtis gloſſemata cernebantur: ſola erant in regulas iuris cuiuſdam antiqui expoſitoris ſcholia, quæ eruditione, & Latinæ linguę elegantia cũ ipſis Iureconſultis certabant: & quod non minorem codici gratiam comparabat, autorum inſcripta aderat nomenclatura, tam diligens, ut numerum librorum titulosq́, unde reſponſa excerpebantur, contineret: tum non uulgaribus protritisq́ tomis diuiſa uolumina, ſed in duas tantum partes. et poſterior à Trebelliano ſenatuſconſulto exordium accipiebat. quæ res abundè mihi exploratiſſimum fecit, ineptam eſſe recentium dubitationem, dum potiſſimũ ambigunt, cur ſecundum digeſtorum uolumen infortiatum dicatur, quaſi nõ barbara hæc uox ſit, & nullius ſenſus, ab indocto aliquo literatore primùm facta, quę deinde alij æquè indociles ſecuti ſint. Igitur cum ſparſim & inordinatè eos libros quodammodo delibaſſem, annotaui inſigniora quædam errata in uulgatis codicibus eſſe: quæ ſi cum antiquo illo conferantur, poterunt cognoſci, & de omni albo uel induci, uel circumſcribi. et quoniam, quo anno hæc prodebam, tractatum de acquirenda poſſeſſione celeberrimi quiq́ profeſſores declarabant, libuit à prima eius tituli lege auſpicari. Et cum in promulgatis exemplaribus ſic legatur:

Vnde poſſeſſio dicta ſit, & declarata lex prima. ff. de acqui. poſſ. Cap. I.



Aulus: Poſſeſſio appellata eſt à pedibus, ut & Labeo ait, à pedibus pedũ quaſi poſitio, &c. in eo ueteri libro ſic inſcribitur: Paulus libro LIIII. ad edictũ: Poſſeſſio appellata eſt à ſedibus, & ut Labeo ait, quaſi poſitio: quia naturaliter tenetur ab eo, qui ei inſiſtit, quam Græci κατοχὴν dicunt, &c. Vulgatam enim lectionem falſam eſſe, literatum, puto, neminẽ latebit, cum poſſeſſio in etymo uocabuli nihil commune cum pedibus habeat: imò grammatici omnes norunt, poſſidere, aſſidere, conſidere, reſidere, diſſidere ab hoc uerbo ſedeo omnia formari: quapropter Baldi, Pauli Caſtrenſis, Iaſonisq́ quæſtiones quis laudauerit, dum id maximè ſcire ſatagunt, cur poſſeſſio magis à pedibus, quàm ab alia corporis parte denominetur? Sed & quis Accurſij argumentum probauerit, poſſeſſionem

propriè in rebus mobilibus dici negantis, quoniam in earum possessionẽ pedibus non eamus: ut illud mirum in eo sit, qui cum meliora uiderit, id quod deterius fuerat, malue rit sequi. quòd autem dicitur, quasi positio, allusio uocabuli est, quandoquidem etiam dicimus, ponere sedes.

Inemendatam l. si paterfam. de hæred. inst. nitoriq; suo modo institutã, ut amplius optima quæq; ingenia non habeant quo se in eius explicatione torquere possint. Cap. II.


ALiud subsequitur maius erratũ, ut maximi quicunq; Doctores ualde se ob eam rem torserint: id in titulo, de hæredibus instituẽdis, est, in quo ex Marcelli responsis ita traditur: Si paterfamiliâs Titium, quem ingenuũ esse credebat, hæredem scripserit, eiq; si hæres non esset, Sempronium substituerit: deinde Titius, quia seruus fuerat, iussu domini adierit hæreditatem: potest dici Sempronium in partem hæreditatis admitti, &c. ut in hoc casu duo semisses fiant, ita ut alter semis inter eum qui dominus instituti hæredis fuerit, & substitutũ æquis portionibus diuidatur. dubitauit hîc Accursius, & ferè omnes, cur cõputatio hoc modo fieri debeat: itemq;, quid de semisse, qui superest, sit agendum: & cũ longissimi tractatus hac de re centuriati sint, nihil attinet tantam molem cõfutare. In antiquo codice is Sempronius Titio cohæres traditur, hac scriptura: Si paterfam. Titium, quẽ ingenuũ esse credebat, hæredem scripserit, eiq;, si hæres nõ esset, Semproniũ cohæredem substituerit, &c. ut planissimè pateat, si cohæres Titio Sempronius fuit, prius duos semisses constituẽdos esse, ut alter ad Semproniũ, alter ad Titiũ pertineat: deindè propter patrisfam. errorem, rursus semissem illum Titij cum Sempronio æquis portionibus diuidendum: quod & Tribonianus in institutionibus asserere uidetur, qui in partẽ admitti debere substitutum refert: partis autem appellatione de dimidia intelligendum est. nec quicquam obstat, quod Iuriscon. de semisse integro, Sempronio dando, expressè nõ loquatur: nam cum principalis tractatus sit de errore testatoris, nihil pertinuit diutius immorari in Sempronij portione, cum id scrupulo omni careat, & ita in facto euenisset, ut etiam cohæres esset: accidit autem fictis nominibus, nam res in Parthenio Titi imperatoris seruo reapse contigerat: is autem est Parthenius, cuius & Martialis meminit, conscius cum Entello & Stephano necis Domitiani: cuius rei Tranquillus & Dion sunt autores, ut facilis deprensu sit error, cum in digestis Tiberius tradatur, quem in institutionibus Titum castigatius appellant. Quòd autem dicitur, Sempronium in partẽ hæreditatis admitti, intellige eam partem hæreditatis, quæ Titio applicanda erat: alioqui Sempronius suum semissem omnino habiturus erat, tanquam cohæres.

Subrepta ciuitati pecunia, quæ actio competat: conciliata duo responsa, quæ aduersari simul uidebantur. Cap. III.


MArcellus quoq; in titulo, ad l. Iuliam peculatus: Qui, inquit, de re ciuitatis aliquid sibi surripiat, cõstitutionibus cauetur, peculatus crimen committi, & hoc iure utimur, &c. cui responso contrarium affertur aliud Papiniani: qui ob pecuniam, inquit, ciuitati subtractam actione furti, non crimine peculatus tenetur. quos obices dum remouere quærit Accursius, mera ægro tantium somnia affert. In antiquo exemplari ita refertur: Ob pecuniam ciuitati subtractam actione furti, necnon crimine peculatus tenetur. cessat itaq; hîc omnis dissensus, & concors fit Marcello Papinianus.

Ex Græcæ uocis defectione Caius, q̃ absurdè loq; uidebatũ restitutus. Cap. IIII.


SEd & Caius libro XXXIII. ad edictũ adducit, in l. licet. de uer. sig. Qui, licet, inquit, inter gesta & facta uideatur quædam esse subtilis differentia: attamen nihil inter gestum & factum interest, &c. quæ quæso differentia hæc est? qui modus loquendi? In eo codice Græca dictio textui inseritur, hoc modo: attamen καταχρηστικῶς, nihil interest inter factum & gestũ: significat autem illa uox, quod abusiuè dicimus: & hoc uel maximè propter leges municipales est notandum.

Supellex

A Supellex unde dicta, emendatum Vlpiani responsum. Cap. V.


Lpianus de supellectili legata: Labeo ait originẽ fuisse supellectilis, quod olim his, qui in legatione proficiscerentur, locari solerent, quæ supellectilis usui forent. Inemendatus est codex, qua ex insigni nota uidetur Iurisc. inepte loqui: quamobrem cum ueteri nostro codice reponas, locari solebant, quæ sub pellibus usui forent: ut ea sit supellectilis etymologia: quo autem sensu capiendæ sint hic pelles, neminem latebit, qui Iulium Cæsarem in commentarijs legerit.

Deesse integram legem in tit. de probationibus: quapropter à nobis in integrum restitutam. Cap. VI.


N ultima lege, titulo de probationibus, quæ lex Iurisicon. Serbidio Scæuolæ tribuitur, deest in fine huiusmodi responsum, quod paragraphũ uulgò dicimus. Si ancilla fuerit, ad libertatem perductã non uideri, neq; per fideicõmissi relicti sibi probationem, nec quòd alimenta sint, uti nutrici pręstita. Subsequitur deinde alia lex hoc modo. Idem lib. ij. ad Masuriũ Sabinum: Commemorationem in chirographo pecuniarum, quæ ex alia causa deberi dicantur, factam, uim obligationis nõ habere. Quæ uerba cum apponere dubitassem, ne maledicendi ansam præstarem calumniatoribus, ut adscriberem perpulit: quoniã ita quoq; scriptam esse in antiquissimis Florentinorum Pandectis, quidam mihi retulerunt.

Legem, non hoc, C. unde leg. hactenus regulis iuris repugnasse, nunc à nobis emendatam, non æque. Cap. VII.


Elebratissima est Impp. Diocletiani, & Maximiani cõstitutio, in titulo, qui in codice Iustin. est, unde legitimi, & unde cognati: quæ in uulgatioribus lib. his uerbis annotatur. Non hoc, an tenuerit quis res hæreditarias, nec ne, sine uoluntate acquirendæ sibi hæreditatis, quærendum est, sed an admiserit hæreditatem, uel bonorũ possessionem. Quod quidem rescriptũ, si ita legatur, non satis idonea ratione adduci uidetur, dum potissimum negat id esse inquirendum, an quis res hæreditarias tenuerit sine uoluntate sibi acquirendæ hæreditatis. nam cum hæreditas adeatur, uel solo animo, qui extrinsecus ex aliquo facto innotescat: si probetur, aliquẽ res hæreditarias tenere cum animo acquirendæ hæreditatis: nonne satis constabit eum esse hæredem? sicut ex contrario, si probabitur abesse uoluntatem adipiscendæ hæreditatis, probabitur ex eo actu non adiuisse. cur igitur nõ quærendum est, cũ idem sit, uel id quærere, uel illud, an admiserit hæreditatẽ, bonorum uel possessionem? quamobrem cum de ueræ lectionis incolumitate dubitarem, consului antiquos codices: & non solum, quem habebam ipse, id genus unum, sed etiam alios, qui mihi paulò uetustiores Accursio uiderentur: in his reperi aliter legẽdum esse illud rescriptum, & uerba illa, sine uoluntate acquirendæ sibi hæreditatis, esse cancellis inducenda: quoniam superfluant, & abundent: quippe existimauerim pro glossemate ab aliquo Iurisperito superapposita, quę dein ab imperitis in ipso cõtextu recepta fuerint. Cæterum non uulgatæ solum lectioni, sed & nostræ huic declarationi obstat Bartoli, aliorumq; argumentum, quo probare contendunt, responsum id iure non consistere. siquidem si delatam Titio hæreditatẽ dicamus, probato eum res hæreditarias tenuisse, constabit esse hæredem: quòd si non delatam dicamus, etiam quod admiserit, non sequetur uerè esse hæredem: cui rationi, concordi omnium interpretum cõsensu, respondetur, ita textum accipi debere, ut principium in eo intelligamus, cui delata non sit hæreditas: finem uerò legis contrà in eo, uidelicet, cui sit delata. quæ portenta sunt hæc? quæ cauillationes? ipse certè totã legem, cum delata est hæreditas, accipiendam puto: nec id admiserim, idcirco quòd quisquã res hæreditarias retinuerit, in dubio existimandum adijsse, nisi fortasse is sit filius, qui uel ipso iure est hæres: quo casu lex ista nõ procedit, cum ex rubrica cõstet, de legitimis, & cognatis hunc titulum principaliter loqui, non de filijs. Itemq; nisi cum alio is de re hæreditaria contraxerit, ne scilicet ullus captioni sit locus. & ita quandoq; disputando defendi.

l.1.infra de rep. hæred.

Bart.l.gerit.

L. cum putarem, fami. hercis. declarata aliter, quàm alij existi mauerint. Cap. VIII.



IN lege, cum putarem, familiæ herciscundæ, sub ipsius responsi finem Paulus Iurisconsultus de cohæredibus loquens, quorum alter falsò cohæres existimabatur: Planè, inquit, si sine iudice diuiserint res, etiam condictio est earum rerum, quę ei cesserint, quem cohæredem esse putauerit. In antiquo meo exemplari fidelior hæc lectio reperitur: Planè si sine iudice diuiserint res, etiam cōdictionem ei, qui fuit hæres, competere dici potest: non enim transactum inter eos intelligitur, cum ille cohæredem esse putauerit. ex quibus uerbis colligitur, si transactum intelligeretur, nullius partis cōdictionem dari: & tamen Accursius plerunque in hac fuit sententia, in diuisione hæreditaria, in qua transigi uidetur, pro parte euinci posse, & pro parte condici: quod meritò reprobatum est: nam & nostræ huius legis generalibus uerbis conuincitur: dum enim dicitur condictionem dari, quis æquo animo coartationem hanc admittat, ut intelligamus pro parte tantum dari, pro reliqua uerò rei uendicationem? nec me mouerit Accursij ratio, asserentis, cum rem meã quasi tuam trado, non transferri dominium: quoniam qua ratione pro dimidia transfertur, eadem & pro tota transfertur: cum in diuisione uniuersitatis altera res in locum alterius succedat: & quod unus hæres habet, ex seipso habere, non à cohærede creditur, quod & Bartolus annotauit.

Bar. in d. §. duo fratres.

§. subtilius. in l. dedi. de condi. ob causam.

L. eam quam, C. de fidei. hucusque non uero sensu declaratam, quare emendatur, uti debuit. Cap. IX.



TRactatus fideicommissorũ in Iustin. codice hoc rescriptum habet: quod ut breuitati consulerem, non ut uulgò legitur, sed ut in antiquo meo codice extat, referre operæpretium duxi. Eam quam frater tuus instituerat, siue quæsita, siue non quæsita hæreditate decesserit, cum tantum simpliciter antequam duodecimum annum ætatis impleſſet, uerbis precatiuis, testamento facto, nonnullos ei uoluerit substitutos, nihil prohibet fideicommissum petere, uel ab ipsius hæredibus, qui bona intestati tenent. tunc enim locum habent, quæ regulariter traduntur, ea quę in testamento relinquuntur, si ex testamento non adeatur hæreditas, non ualere: cum uerbis relicta directis adiri potuit hæreditas, non cum illa ipsa sic data est, ut esset etiam ab intestato successoribus postulanda: quod rescripsimus sequentes adseueratione tuam, quasi scripta hæres non fuerit iure adoptata: alioqui si in familia relicta hæres facta decessit, consequenter ipsius hæredes petitioni fideicommissi respondere coguntur. ponendus autem ita est in facto casus: Titius habens adoptiuam filiam, solam hæredem instituit: & præterea prælegauit etiam fideicommissum, in quo fideicommisso substituit & quosdam hæredes, si moreretur ante duodecimum, quæritur quid iuris: & respondent Impp. siue filia adeat, siue non, fideicommissum deberi: nam cum testator solam eam instituit hæredem, & præterea prælegauit, illud prælegatum, ea adeunte hæreditatem, esset nullum: quia à nemine sibijpsi legatur: quapropter uidetur eam fuisse defuncti uoluntatem, ut eo casu ualeret, cum nõ adiretur hæreditas: igitur filiæ competit fideicommissi persequutio. sed ponamus eam adiuisse hæreditatem, uel fuisse hæredem ipso iure, & decessisse intra duodecim annos: num substituti admittentur? uidebatur non admitti, quia fideicommissum à principio est inutile, contrà respondetur: quoniam uel sola uoluntas ex coniectura in fideicommissis sufficit. determinantur itaque hac in constitutione duo, me hercle, pulcherrimi casus, & ualde dubitabiles, qui etiam ex uulgato exemplari colligũtur, si ubi legitur peti, petere corrigamus: alioqui cæteræ interpretum expositiones, salua Latini sermonis ratione, non consistunt. quod autem in principio dicitur, siue quæsita, siue non quæsita hæreditate, deflecte ad fratrem, ut is perierit, ex cuius testamento uel quæsita, uel non quæsita fuit hæreditas: uel si respici filiam mauis, intellige, decesserit: nõ tunc quidem, cum petit fideicommissum, sed postea, ut id uerbum decesserit, tractum habeat.

l. fideicom. §. sic fid. de leg. iij

In defini-

A In definitione furti, quædam uerba ſuperfluò addi, aliaq́ corrupta eſſe. Cap. X.


LEgem primam de furtis, quæ Iuriſconſulti Pauli eſt, ex antiquo codice libet in medium afferre: ea legitur hoc modo: Furtum à furuo, id eſt, à nigro dictum Labeo ait, quòd clàm & obſcurè fiat, & plerunq; in nocte: uel à fraude, ut Sabinus ait: uel à ferendo, ſeu auferendo: uel à Græco ſermone, qui φῶρας appellant fures: imò & Græci dixere παρὰ τὸ φέρειν, &c. dein paulò inferius: Furtũ eſt contrectatio rei fraudulоſa, lucri faciendi gratia: id eſt, uel ipſius rei, uel etiam uſus eius, poſſeſſionis ue, quod lege naturali, &c. operæprecium autem idcirco exiſtimaui prædicta referre, quoniam uulgò in definitione additur, furtum fieri ſolum inuito domino: quod uſquequaque uerum non eſt: nam ſi domino uolente, cum exiſtimem eum nolle, quicquam ſurripiam, Pomponius ait, furem me eſſe: quod & ratione non caret. ex delinquentis enim animo maleficia penſantur, non ex aliorum uoluntate. Sed & de incolumitate ueræ lectionis Accurſium non latuit, qui ea uerba, inuito domino, tam in digeſtis, quàm in inſtitutionibus ſubaudienda exiſtimauit: tametſi ab impreſſoribus gloſſema in textu inſitum perperam nunc legatur. *in l. inter oẽs. §. pen. infra de fur.*

L. Antiochenſium, de priuil. cred. emendata, & nouo ſenſu clarior reddita. Cap. XI.

IN titulo de priuilegijs creditorum Papiniano tribuitur reſponſum quoddam corruptiſſimum, ita ut nullo pacto conſtrui, & ſalua ueterum loquendi ratione intelligi poſſit: id nos ex antiqua lectione ſic reponimus. Paulus libro decimo: reſp. Antiochenſiũ Cœloſyriæ ciuitatis, qui de lege ſua priuilegium in bonis debitoris defuncti accepit, in ius perſequendi pignoris durare cõſtitit: ut ſit ſenſus, Antiochenum quemcunque, qui ex lege ſua municipali præfertur cæteris creditoribus, ſi iure legis agat, non idcirco minus poſſe propter anteriorem hypothecam agere, cum illud ius ſibi ſaluum remaneat, & lex illa quicquam de ciuium iure non detrahat, ſed accumulet potius. Eſt autem Antiochia Syriæ metropolis, & omnium orientis urbium, ut Herodianus ſcribit, longè pulcherrima: cuius fortaſſe utilitati conceſſum erat, ut ciuium Antiochenſium in bonis debitorũ potior cauſa eſſet, hiq; cæteris aliarum urbium ciuibus anteferrentur: πρωτοπραξίαν id priuilegiũ appellari, Plin. Cæcil. in epiſtolis ad Traianũ Cæſ. oſtendit. Sanè quæ Accurſius & Bartolus hîc ſcribunt, uerbis legis non quadrant. alioqui ſalua uulgatiore lectione ſic poſſet conſtrui: Conſtitit ius pignoris perſequendi durare, quod ciuitatis Cœloſyriæ Antiochenſium priuilegium de lege ſua ipſa ſcilicet ciuitas in bonis debitoris defuncti accepit. ſed alius hîc eſt quàm à cæteris tradatur ſenſus, & minimè ueriſimilis: non enim ſolent Iuriſconſulti ſcribere, lex aliqua municipalis duret, uigeatq́, an id minus: cum de facto non reſpondeant, ſed de iure quod factum ſequitur.

B

In titulo de publicanis, quoddam reſponſum antiquæ lectioni reſtituendum eſſe. Cap. XII.


APud Paulum in l. licitatio, de publicanis, principium legis aliter in exemplari noſtro fideliori legitur, quàm in alijs ſoleat: nimirum his uerbis: Locatio uectigalium, quæ calore licitantis ultra modum ſolitæ conductionis inflauit, admittenda eſt, &c. quibus uerbis nihil iuuatur Philelphi in epiſtolis ſententia, ex uulgatæ lectionis argumento, exiſtimantis licitatorẽ pro proxeneta accipi: ſed & ferè incontinenti ſequitur: ad conducendum uectigal inuitus nemo compellitur: & ideo impleto tempore cõductionis, ea alijs locanda ſunt. Reliquatores uectigalium ad iterandam conductionem, &c. Hæc autem quantum non in uerbis, ſed in re ipſa ab alijs diſſideant, qui Accurſium ibi legerit, cognoſcet.

Paragraphum Augerius, in l. qui Romæ, ff. de uerb. oblig. non satis hactenus intellectum: sed & in eadem lege, §. Seia, corruptum circumferri. Cap. XIII.



Vm uulgatissimam legem, qui Romæ, de uerborum obligationibus, perlegerem, & impressa cum manu scriptis codicibus conferrem, animaduerti ex duobus responsis, quæ paragrapho signantur, alterum, quamuis corruptum non circumferatur, uulgò tamen rectè non intelligi: alterũ uerò ob scripturę labeculam erroris causam Accursio, deinde Aretino dedisse: is est huiusmodi in §. Seia. Quæritur, si Seia, quæ sortem transactionis causa, usurasq́ hæredi promiserat, cum hæres, transactioni ne staret, diu litigasset, teneatur usuras eius temporis præstare, quod interim lapsum est, dum iniustè hæres litigat. Et Scæuola respondit: Si Seia non cessasset ex stipulatione pecuniam offerre, iure usuras nõ deberi. ex quibus uerbis Accursius, Aretinusq́ existimarunt, necessariam fuisse oblationem, alioquin usuras deberi. Bartolus & alij frequentiori consensu consentaneũ iuri id non existimant, sed tamen uerbis legis expressim aduersantibus idonea responsione nõ satisfaciũt. igitur ex antiquo meo codice ita legendum est: Respondi, & si Seia ante cessasset ex stipulatione, & cætera: non autem, si Seia nõ cessasset. Quod uerò responsum rectè non percipitur, hoc est: In paragrapho Augerius, traditur talis casus, nõ quidem ut Doctores referunt, sed ut ipse arbitror: Augerius seruo Mæuij promisit, se soluturũ quicquid patrem suum debere cõstitisset, patre defuncto, & alio hærede instituto: cum Mæuius egisset cum hærede, & constitisset, quæritur num Augerius teneatur: & id potissimum ratione eius temporis, quod intercessit ab eo tempore, quo stipulatio concepta est donec constitit: & respondet Iurisconsultus, si conditio non extitisset, stipulationem non esse cõmissam: & consequenter cum respectu accessionum & debiti interea temporis aucti conditio non extitisset: & ubi extitit, solum referatur ad tempus, quod stipulationem præcessit, non quod secutũ est, meritò ob illud non tenetur: ratione uerò ipsius sortis, & summæ quam constiterit tempore stipulationis conceptæ debitam, tetur. negãt id ex cõmuni intellectu Doctores: &, ut colligitur, tribus rationibus: prima Roglerij hæc est. nam cum Augerius promiserit, quicquid patrem debere constitisset, nisi constet eo uiuente, post mortem euanescit stipulatio: quoniam pater amplius non debet, sed debuit: igitur constabit patrẽ debuisse, non debere: quo quidem modo concepta sunt uerba stipulationis. quæ ratio leuior nescio, an absurdior sit: cum enim in stipulatione conditio ubi euenit, retrahatur ad tempus, quo concepta est, & illud considerandum sit: certè eo obseruato, tum debebat, nõ autem nunc debuerat. nam & cum stipulatio ad hæredes transeat, hæres ipse qui patris personam fictè refert, nõ solum non debuit, sed nunc debet. an in stipulationũ uerbis cauillamur? Cognouit certè Paulus Castrensis abesse id à naturali ratione. Secunda ratio affertur, iniquum esse, ut declaratio debiti facta cum hærede, qui forsitan instructus non est, præiudicet filio: sed & hoc leuissimum est, cum calculus ducatur ex rationibus, quę nunc tam præsto erunt hæredi, sicut patri futuræ fuerãt, nec probabilis sit suprascripta præsumptio. quapropter ineptas esse has rationes animaduertens Iason, tertiam hanc addidit: nam & si constet quid quantũq́ debuerit pater, non tamen constat cum Augerio, & idcirco in eius damnũ non dicitur constare, nec cõmittitur stipulatio. Sed & hoc non probauerim, cum Augerius hic nõ differat ab intercessore fideiussoreue: quapropter res inter alios acta, quamuis alijs non præiudicet, tamen si actum sit cum principali, id fidem facit respectu accessorij, quod pluribus exẽplis in tractatu rei iudicatæ confirmat Alexander. omitto communem hunc intellectum, non nisi per cauillum accepto cõtextu procedere. quid enim aliud est ita interpretari, si conditio non extitisset, id est, quia conditio non extitisset? Igitur dubitandum non est, quin nostra sententia sit probabilior. dum ergo in textu dicitur, quęsitum est, an Augerius teneatur, intellige uerbum, tenetur, generaliter, non solum respectu sortis, sed etiam auctarij à tempore conceptionis ad euentum conditionis: & dum sequitur, respondi si conditio non extitisset, &c. declara eatenus, quatenus extitit conditio cõmitti stipulationem: extitit autem respectu sortis, & accessionũ usq́ ad tempus

l. pap. §. si ex causa. ff. de inoffi. test. Alex. in l. sæpe. in vj. charta. de re iudi. gl. in l. de unoquoq;. ff. de re iudi.

A ad tempus conceptionis, pòst non extitit: priore igitur casu est cõmissa: posteriore non æquè. respondit autem Scæuola succinctè, & breuiter, more suo, & uerba contulit directè in eũ casum, quo cõditio non extitit, id est, usurarum: quia is casus magis dubius fuerat. ratio autem decisionis ea est, quoniam Augerius non promisit, nisi quod constitisset: igitur donec constat, non est in mora: non debet ergo soluere seu fructus, seu usuras medij temporis, quæ solent deberi propter moram, cum ipse nequaquã in eam inciderit. & ita disputationis causa differebat Alciatus.

gl. in uerb. certas. §. 1. 1. cõst. cod.

Titulo, de fideicommiss. libert. responsa quędam correcta. Cap. XIIII.



E fideicommissarijs libertatibus sic legitur apud Celsum: Scæuola Claudius, cum tibi iussum fuerit manumittere, utiliter datur fideicommissaria libertas. sed ex nostro perueteri codice aliter legendũ esse admonemur, nimirum hoc modo: Celsus libro XXI. ad Sab. Acciolam, Claudius cũ uisum tibi fuerit manumitte, utiliter datur fideicommissa libertas. Sed & eodem titulo in l. generaliter, uersiculo coget, dum dicitur, si hoc maluerit is, qui rogatus est manumitti: superfluũ est uerbũ manumitti, ex antiquo codice: & hic non seruus accipiẽdus est (quod fecit Accursius) sed ipse hęres. Et paulò inferius: Sed potius ab eo ad libertatẽ perductus, qui erat rogatus manumitti. In antiquis legitur, manumittere, quod magis placet. Quin etiam in l. fideicom. lib. ita dari, dum legit̃ uulgò, si te meruerit, corruptus est codex, quia Latinè non dicimus mereo te: quapropter legendũ, si demeruerit, ut hæc præpositio in compositione augeat, quæ quandoque minuere solita est.

Legem, imperatores, de appel. inemendatam circumferri: & propterea à nobis tractatum, quomodo restituenda uideatur. Cap. XV.



Mperatores Seuerus, & Antoninus rescripserunt appellationes, quæ retro ad principem factæ sunt, omissis his, ad quos debuerunt fieri, ex uno
B ordine ad præsides remitti. Lex hæc in titulo de appellationibus corruptè circumlata, maximum Accursio negocium fecit, dum unũ ordinẽ nunc interpretatur referri ad clarissimos, nunc ad ordinem, qui sit, ut ab minore ad maiorem prouocet: & utrunque non conuenit: non quidem prior, cum præsides ipsi Clarissimatus dignitate fungantur, nec de clarissimo ad clarissimũ appelletur: sed nec posterior, cum deficeret rescriptũ in eo, quod maximè intererat referre, uidelicet à quibus iudicibus prouocetur. nec enim passim uerum est, à quibuscunque iudicibus retro prouocetur, ad pręsidem negociũ remitti. Igitur ex antiquo codice, ubi legit̃ retro, repone recto: ubi uno, imo. appellauit autem imum ordinẽ magistratus municipales, quorum ordo infimus est: & ab his ad præsides iure prouocandum esse, uulgò dicitur.

Alexandri imp. rescriptum inter tractatus appellationum, hactenus à nemine intellectum, nunc nostro Marte, de Græco translatum, unicuique posse intelligi. Cap. XVI.



N eodem titulo alia est lex Græca Alexandri imperatoris, ab aliquo in Latinum uulgò translata, qui se & Latinè, & Græcè nihil intelligere demonstrauit: ea rectius hunc in modum transducenda fuerat. Imperator Alexander uniuersis Græcis in Bithynia existẽtibus: Prouocare quidẽ qualiter quisquam ab ius dicentibus prohibeatur, nõ uideo: cum aliam uiam capessentem, idem facere liceat, & ad me celerius deuenire: iniuria autem, & ui aduersus prouocantes uti, & custodiam militarem circùm immittere, & (ut simpliciter loquar) eis ad nos accessum huc præstruere prohibemus: suggerẽtes procuratoribus nostris, & populorum magistratibus, ut quam protulimus, nostræ huic iussioni obediãt: illudque sibi proponant, non minorem subditorum securitatis curam nobis esse, quàm eorum uel beneuolentiæ, uel obedientiæ sit. Si quis autem uerba desiderat hæc sunt,

Αὐτοκράτωρ Ἀλέξανδρος τῷ κοινῷ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ Ἑλλήνων. ἐκκαλεῖσθαι μὴ πῶς ἄν τις κωλύοιτο ἀπὸ τῶν δικαζόντων οὐχ ὁρῶ, ὁπότε ἔξεστι τὴν ἑτέραν ὁδὸν παρεπόμενον ταὐτὸ ποιεῖν, καὶ θᾶττον πρός με ἀφικνεῖσθαι. ὕβρει δὲ καὶ βίᾳ χρῆσθαι πρὸς τοὺς ἐκκαλουμένους, καὶ φρουρὰν στρατιωτικὴν περιϊσάναι, καὶ ἁπλῶς εἰπεῖν, ἀποφράττειν αὐτοῖς τὴν δεῦρο ἄνοδον, ἀπαγορεύομεν τοῖς ἐπιτρόποις καὶ τοῖς ἡγεμ

νοις τῶν ἐθνῶν, καὶ πειθήσονται ταύτῃ μου τῇ προῤῥήσει, εἴ τις ἔτι τούτων μοι μέλει τῆς τῶν ἀρχομένων ἐλευθερίας, ὅσον καὶ τῆς εὐνοίας αὐτῶν καὶ πειθοῦς. Et huius constitutionis exemplum retulimus, ut inde cæteri cognoscant, quantum fidei adhibendum sit illi, quisquis fuit, qui quæ plurima in digestis sunt, responsa Græca transtulit in Latinum. sanè constitutio hæc ex Pandectis Florentinis accepta est.

Decipi in decisionibus litium etiam peritos, ob humaniorum literarum imperitiam; atque ibi instauratum Iurisconsulti responsum, titulo de pœnis. Cap. XVII.



Vm duo pueri aleam luderēt, atque, ut fieri solet, iurgio orto, quod in regione aluei rectè dispositam tabellam alter negaret, paulò iracundior alter, temperatorio cultro, quem secum de ludo literario fortè attulerat, collusorem percussit, ita supra pubem, ut statim & euestigio moreretur: quæsitum est, qua pœna puer plectendus esset, respondi, nō ultra exilij ultionē coërcendum: atque id ex Homeri carmine ιλ. ψ. quod Claudius Saturninus in titulo
in l. aut facta. §. fin. digestorum de pœnis allegat: quamuis in uulgatis codicibus uitio scriptorum nihil legatur quod ad rē faciat. Verba Iurisconsulti ex antiquis codicibus ita reponenda sunt: Euentus spectatur ut in dementissimo quoque facta (quanquā non minus lex eum, qui
in l. aut facta. §. j. occidendi hominis causa cum telo fuerit, quàm qui occiderit, puniat) & ideo apud Græcos exilio uoluntario fortuiti casus luebantur: ut apud præcipuū poëtarum scriptū est:

Ἔνθ' ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερον δῶ ἀνδροκτασίης ὕπο λυγρῆς,
Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος οὐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς.
In uestras puerum ex Opoënte Mencœtius ædes
Me duxit, cædem quò fugi propter amaram,
Tempore cum fatuus genitum Amphidamante peremi
Inuitus: propter talos cum incanduit ira.

Nec quicquam obest, quod Homerus inquit οὐκ ἐθέλων, idest inuitus: quoniam nemo ita percutit, ut inuitus percutiat: sed accipiendum est, uel quòd post iracundiæ calorem pœnituerit, uel quòd non existimabat eum ex tali uulnere periturum, quod maximè in nostro casu fuit, cum ex genere cultelli coniectemur mentem nolentis occidere: is
consil. lxxx. l. j. quippe armorum appellatione non continetur, quod & existimauit Aretinus. Sed &
C. de sic. l. si qs. huiusmodi homicidia fato plerunque imputantur: nec Cornelia de sicarijs puniuntur,
§. qui abortionis. ff. de pœnis nisi alijs delictis aggrauata sint: nam tunc rei summo officio afficiuntur.

In titulo, depositi, duo responsa emaculata: & quid sit trophima. Cap. XVIII.



Egem, Publia, quæ sub titulo depositi est, nōnihil inemendatam esse cum dubitarem, placuit cum antiquis scripturis uulgatas conferre: in his ita legere est. Lucius Titius ita cauit, Ἔλαβον, καὶ ἔχω εἰς λόγον παρακαταθήκης, τὰ προγεγραμμένα τοῦ ἀργυρίου δηνάρια μύρια, καὶ πάντα ποιήσω, καὶ συμφωνῶ, καὶ ὁμολόγησα ὡς προγέγραπται, καὶ συνεθέμην χορηγῆσαι σοι τόκον ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας μέχρι τῆς ἀπὸ τοῦ ἀποδόσεως παντὸς τοῦ ἀργυρίου. quæ uerba sic Romanè transferas: Accepi, & in rationibus depositi relatū habeo, ut perscripti argenti sestertia quadraginta, omnia facturus, ut consentio, & ut firmissimè promitto secundum suprascripta: quibus conueni me fœnoris nomine daturum in unūquenque mensem tibi pro singulis libris obolos quatuor, donec omne argentū reddidero. quæro an usuræ peti possint. Paulus respondit, eum contractum, de quo quærit, depositæ pecuniæ modū excedere: & ideo secundum conuentionē usuræ quoque actione depositi, peti possunt. Legendus autē est hoc modo iste paragraphus: qui cum Græca cautione conscriptus esset, Accursius nihil admonito, cuius essent ineptæ illæ translationes, tanque Iurisconsi. ipsius fuerint, eas interpretatū: cum tamen nemo, nisi planè ἄμουσος sit, qui imposturā lectori fieri non animaduertat. Sed & sequens paragraphus ita legendus uidet. Titius Sempronio salutē. Habere me à uobis plus minus X. & discos duos, saccum signatum:

A signatum, ex quibus debetis mihi x. quos apud Titium deposuistis: item quos trophimati decem; item ex ratione patris uestri decem, & quæ excurrunt &c. Significat autẽ trophima hîc, ut arbitror, κυροτρόφειον, id est, mercedem ipsam & precium nutricationis, & id ferè quod uulgò precium duodenæ dicimus: potest Latinè dici nutrititium, sicut plurali numero nutritiia, nutricũ merces: à qua uoce nec Vlpianus Iurisconsultus se abstinuit. Ostendit igitur Titius hac epistola, habere depositum, super quod inter cætera sibi debeantur decem, quos trophimati debebat Sempronius. τρέφειν significat alere, τροφὴ ἢ τρόφιμα nutricationem: ut non omnino damnandus sit Accursius, qui id ingenuè fassus est, se non intelligere: & non satis rectè alij faciãt, qui nescio quid hîc de cistiphoris inculcant: quod, me hercle, tantum ad rem facit, quantum, quod dicitur, in lente unguentum.

Legem ult. C. de bon. auct. iud. pos. ex unius uoculæ superfluitate inenodabilem esse. Cap. XIX.



CVm imperator Iustinianus sanxisset, ut si plures creditores alicuius contumacis essent, & unus ex primo decreto in possessionem missus foret: is etiam alijs ita prodesset, ac si illi quoq; in possessionem iuissent: subsequitur in ultima constitutione de bonis auct. iudic. possid. his ferè uerbis. Sin autem hi qui detinent possessionem, uel ex sententia iudicis rem uendiderint, uel alio quocunq; modo legitimo, omne ius, quod in hisdem rebus habere noscuntur, in alias personas post definitum à nobis tempus transtulerint, & certam pecuniam acceperint: quicquid superfluum inuentum fuerit, deponatur &c. Dubitauit Accursius, quid esset istud tempus, à Iustiniano definitum: & nunc idem tempus opinatur, quod in iure dominij impetrando statuitur: nunc id quod ad præscriptionem necessarium est: quorum utrunq; non conuenit: quandoquidem ius dominij in pignoribus conuentionalibus, non autem prætorijs impetratur: itemq; tempus præscriptio-
B nis expectare nimis longum esset, cum secundum decretum soleat sequenti anno interponi. Igitur cum dubitarem, consului antiquiores codices: in his reperi illa uerba, à nobis, non esse: sed solum legi, in alias personas post definitũ tempus transtulerint &c. quapropter libet hæc contexta uerba aliter intelligere, uidelicet statutum tempus significari, non quidem à lege, ut uulgò existimatur, sed ab ipso iudice: puta, quia creditor ex primo decreto ita missus est ab ius dicente in possessionẽ, ut si debitor intra annum, uel XX. menses non comparuerit, habeat ius uendendi ea bona, in quorum possessionem destinatus est: esse autem tempus id prætoris arbitrio statuendum, communi calculo censeri Ioannes ab Imola, & Alexander abundè testantur.

Legem, si hæreditas, de testa. tut. ex minimo scriptorum lapsu obscurissimam reddi: quapropter suæ luci à nobis restituta. Cap XX.



IVrisconsultus Vlpianus de testamentaria tutela: Si pater filio & nepoti ex eo tutorem dederit mortuo, uiuente se, filio confirmari dationem tutoris in nepotem ex lege Iulia Velleia tradit: cum enim confirmatum sit testamentum, consequenter tutoris quoque datio ualebit in eo testamento quod ualet, ubi nepos uel hæres institutus sit, uel nominatim exhæredatus. Impressi codices, & etiam bona pars eorum, qui post Accursium scripti sunt, dictionem habent superfluentem, quæ non parum negocij ipsi Accursio fecit: siquidem post hęc uerba, in eo testamento quod ualet, subsequitur, idem ubi nepos uel hęres institutus sit &c. cum aut uox illa eradenda sit, aut, quod in alijs annotaui, legendum sit, id est: ut sit sensus, ualere dationem tutoris in testamento quod ualet: tunc autẽ ualet, ubi nepos uel sit institutus, uel exhæredatus: quoniã alioquin agnatione rumperet, ut ex Galli Aquilij institutionibus cõstat. nam quod Iacobus Areneus hîc comminiscitur, mihi certè non fiet uerisimile, qui in sequẽs cõma illud uerbum, idem, refert: quasi diceret, idem esse, uel quòd nepos sit institutus, uel quòd exhęredatus. Sed certè hęc ex se ipsis constant; tantum abest ut nostris argumentationibus reprobanda sint.

Rubricam C. de ſenten. ex periculo recitandis, uitio ſcriptorum labe non carere: quapropter declarata uera lectio. Cap. XXI. C



Xplicandæ nunc ſunt quædam rubricæ, quæ propterea quòd corruptæ circumferantur, non ſatis integrum ſenſum habent. & in primis titulus eſt codicis Iuſtiniani, de ſententijs ex periculo recitandis: in quo lemmate uox illa, ex periculo, non ſat rectè explicari poteſt. nam ſi Doctorum interpretationem hîc referam, ſcio uix tenere riſum lector poterit: quandoquidem tractari aiunt, quemadmodum ſine periculo ſententiæ ferant: & in exemplum adducunt, neſcio quem, prætorem Genuenſem: qui cataphractus equo inſidens ſententiam tulerit, dum iram uicti formidat. ſed ut uerum fatear, ἐπιφυλλίδες ταῦτ᾽ ἐστὶ καὶ στωμύλματα, ut Ariſtophanis uerſiculo utar. quapropter ex quorundam ſententia legendum uidetur, de ſententijs ex breuiculo recitandis: tractat enim totus ille locus, quemadmodum ſententiæ ex ſcripto recitari debeant. breuiculus, diminuta forma deducitur à breui, hoc eſt, ab ſchedula, ſeu ſcriptura, pictatio ue. & ut alios omittã, impp. Valentin. Valens & Grat. titulo Codicis, de cõueniendis fiſci debitoribus, lib. X. inter chartulas (aiunt) confiſcati cuiuſdam, breuis aſſeueratur inuentus, &c. quamuis futuri ſint, qui exiſtimabunt barbaram etiam uocem, qua nihil frequentius in Romanorum ſcribarum archiuis. meminit & plerunque Lampridius, & huius monetæ conſimiles. In uetuſtis tamen codicibus, itemque Theodoſiano codice uulgata lectio approbat̃, ut forte dictio illa, periculum, ad experientiam memoriæ referenda ſit, ἀπὸ τῆς πείρας, id eſt, à tentamento, ut in diuinatione in C. Verrem interpretatur Aſconius Pedianus,

Rubricam C. de ſponſalibus, non rectè uulgò conſideratam Cap. XXII.



St & malè expoſita rubrica Codicis, de ſponſalibus, & arris ſponſalitijs, & proſceneticis: interpretatur autem Accurſius proſcenetica ſalariũ eſſe, quod proſcenetis datur: & cum de hoc nil agatur hac in tota ſectione, exiſtimauit rubricam eſſe ipſo tractatu generaliorem. ſed ſciendum proxenetriam ſignificare conciliatricem nuptiarũ, & ſenſu ſequiori ideo dici, quoniam id munus ſoleret per fœminas fieri. uocatur & promneſtria. Ariſtophanes in Nubibus, εἴθ᾽ ὤφελ᾽ ἡ προμνήστρια ἀπολέσθαι κακῶς, ἥτις με γῆμ᾽ ἐπῆρε τὴν σὴν μητέρα, imprecatur mortem Strepſiades, iratus filio, promneſtriæ, quæ ſuaſerat ut eius matrem duceret in uxorem. Igitur in hac rubrica arbitror legi debere proxenetrijs: ut intelligamus hîc tractari de arris ſponſalitijs, quæ uidelicet dant̃ ſponſis & proxenetrijs, quæ ſcilicet deponuntur apud proxenetrias: & hoc modo rubrica ita generalis non erit, quin poſſit comprendi, ex his quę in tractatu dicuntur. Cæterùm quod Accurſius tradit, proxeneticũ dici ſalarium proxenetæ, aduertendum eſt quoniam Iuriſconſultus in eius tituli lege ultima tradit ἑρμηνευτικὸν dici: quamuis in uulgatis codicibus Græca uox deſideretur. D

proxenetria
promnestria

In lege ſecunda, C. de uet. iur. enucleando, quædam uerba emendari declararique debere. Cap. XXIII.



N poſteriori conſtitutione, de ueteri iure enucleando, edicit imperator, ne alicui liceat interpretationes in ius ciuile condere, ne ex his aliquid dubietatis inſurgat, unde iterum omne ius turbetur: quod edictum non modò palàm contemnitur, longa iam interpretandi cõſuetudine ab Hirnerio cœpta, ab Accurſio perfecta, à Bartolo, Baldo, cæteriſque συμμύσταις uſque ad nauſeam aucta: uerumetiã, ſi dijs placet, nemo laureola Doctoratus inſignit̃, niſi cum hac præfatione: damus tibi autoritatẽ gloſſandi. ut ſicut prima initia aduerſus Iuſtiniani legem auſpicant̃, ita diſcant in futurũ in eadem corruptela perſeuerare, & indies aliquid aduerſus legum latores conari. Libet Cæſaris ipſius uerba referre: quoniã in uulgatis codicibus Græcarum quarundam uocularũ defectu ſunt imperfecta. nemo eorũ qui iuris peritiam habent, audeat commentarios hiſdem legibus adnectere: niſi tamen ſi uelit eos in Græcam uocem transferre ſub eodem ordine, eaque cõſequentia, ſub quo Romanæ uoces poſitæ ſunt, hoc quod Græci κατὰ πόδα dicunt: uel ſi quis forſitan per titulorum ſubtilitatem annotare maluerit, & ea quæ παράτιτλα dicuntur, componere:

ſignificat

A significat: illud per uestigia, quasi hisdem uestigijs inhærere: hoc uerò summaria quædam per titulos, quorum mentio quoque in præcedenti constitutione.

Legem, Meuius, §. duorum. ff. de lega. secundo, non rectè hactenus perceptam: nunc posse intelligi; si quis tamen hæc quoque, si quis scripta legat. Cap. XXIIII.



Erba Iurisconsulti ita se habent: Duorũ testamentis pars fundi, quę Meuij est, Titio legata est: non ineleganter probatũ est, ab uno hærede soluta parte fundi, quæ Meuij fuit, ex alio testamento liberationẽ obtingere: nec postea parte alienata reuocari actionẽ semel extinctam. Sed si pars fundi simpliciter, non quæ Meuij fuit legatur, solutio prior non perimit alterã actionem, atq; etiam hanc eandem partem aliquo modo suam factam poterit soluere alter hæres. nanq; plures in uno fundo dominium iuris intellectu, non diuisione corporum obtinent, &c. Accursius hoc in loco non, nanq; plures, ut uetustus meus codex habet, sed, neq; plures, legit: atq; exponere conatur duobus modis, sed me hercule tã alienis à uero sensu, quantum ipse à literatis literis fuit: fuit autem opidoquam longissimè. Igitur ne in his quæ minimè necessaria arbitror, confutandis tempus teram: sic in hoc responso fingendum esse casum opinor, atq; ita declarandũ. Fundus, puta Trebatianus, communis erat Meuio & Sempronio: fingamus duorum testamentis mihi legatã partem huius fundi, quæ Meuij est, hoc casu solutio prior perimit alteram actionem: sed pone non esse dictum aliquid de Meuio, sed simpliciter legatam partem fundi Trebatiani: an hîc idem erit quod superius? minimè uerò: & ratio est, quoniã Meuius & Sempronius in eo fundo dominium habent iuris intellectu, non diuisione corporum: cum enim constet medium fundum utriusque esse, non tamen constat utra pars alterius sit: igitur non habent dominium diuisione corporum, sed solo iuris intellectu, quo iure B totus fundus illis communis est. Igitur si soluatur mihi pars huius fundi, ex quo possibile est, ut in diuisione spectet ad Sempronium, rectè soluta est: si iterum soluatur, rectè quoq; soluitur, tanquam uerè eadem non sit, cum iuris intellectu potuerit uel Meuij esse, ergo tanquam diuersa penditur. Idemq; iuris est hoc casu, cum fundus est duorũ, atq; si res aliqua generaliter legetur, quæ potest rursus solui, licet diuersa ratio sit in homine generaliter legato. Cæterùm his ulterius insistere, præsentis non est instituti: non enim me præterit, quàm dubitabilis hic sit intellectus, ut existimo, tamen uerus.

Restitutum Græcum responsum l. ult. de act. & oblig. ex cuius ignorantia antiqui decepti, longè de linea aberrarunt. Cap. XXV.



Ltima lex in titulo de actionibus & obligationibus circumfertur: quæ si eo legatur modo, quo in antiquis digestorum uoluminibus conspicitur, & emendatior erit, & non parum à uulgatioribus differens, uerba ita se habent. Procurator Seij admisit subscriptionem apud argentarium uascularium in uerba infrascripta: Λούκιος Κλαύδιος ἐπέγνων καθὼς προσγέγραπται, τὰ λοιπὰ παρ' ἡμῖν ὀφειλόμενα. quęro an C. Seium obligare potuerit, &c. (nam quæ sequuntur, satis fideliter in impressis leguntur) Cæterùm nec interpretatio Accursij, qua, nescio quis, inuertit potius, quàm Græcam illam subscriptionem conuertat, admittenda est: quippe quæ nil commune cum uero sensu habeat, cum in ea de exactione debitorum nihil de uasculis cõficiundis minus sit: sed hoc modo rectius dixeris: Lucius Claudius agnoui, prout adscriptum est, reliqua à nobis debita esse. Est autem L. Claudius procuratoris nomen, nec uascularius artifex quicquam ad argentariam pertinet. non probatur itaq;, ut Doctores opinantur, ex hac lege, confessionem procuratoris extra iudicium factam domino non obesse, sed potius si procurator in calculo subscribat, reliquatorem se alicuius esse: si reuera non sit, dominum nequaquam obligari. non refero Accursij translationem: quoniam cum (ut dicitur) neq; cœlum, neq; terram attigerit, operæprecium non arbitror, talia chartis infarcire.

l. Meuius. §. duorum. de leg. ij.

Pauli responsum, titulo de adulterijs, hactenus inepte perceptum, ex mala unius Græcæ dictionis translatione. Cap. XXVI.



Aulus libro primo ad legem Iuliam, de adulterijs, cuius responsum sub eodem titulo in digestis relatum est: Lex, inquit, Iulia stuprum & adulterium καταχρηστικωτέρως appellat φθορὰν. Sed proprie adulterium in nuptam committitur propter partum, ex altero conceptum composito nomine: stuprum uero in uirginem, uiduamue committitur, quod Græci διακόρευσιν appellant. Igitur quod in uulgatis codicibus est, promiscue, abradendum est: quandoquidem non id καταχρηστικωτέρως significat, sed potius quod dicere solemus, abusiuius & magis improprie: quod uel propter leges municipales notandum est, cæterosque id genus tractatus, quibus per extensionem uerba non accipimus: & quamuis latius quoque aliquando capiamus, uix est ut ad hunc maiorem abusum trahamus, nisi fortasse sit fauore testamentorũ: pro quibus substinendis non improprie tantum, sed ut Raphaël Comensis ait, improprijssime quoque uerba declarantur.

in l. cum filio. de leg. iij.

Scæuolæ Græcum responsum aliud uulgata translatione significare quàm debeat. Cap. XXVII.

in l. Tais. §. sorore.



Efertur & in fideicommissarijs libertatibus huiusmodi Scæuolæ responsum: sorore sua hærede instituta, de seruis ita cauit. Βούλομαι καὶ παρακαλῶ γλυκυτάτη μου ἀδελφὴ, ἵνα παρακαταθήκην ἔχειν Στίχον καὶ Δάμαν τοὺς μοῦ πραγματευτὰς, οὓς ἐγὼ οὐκ ἐλευθέρωσα ἄχρις ἐὰν τοὺς ψήφους ἀποκαταστήσωσιν, ἐὰν δὲ καί σοι ἀρέσωσιν ἐμήνυσά σοι τὴν γνώμην μου. quæro, si paratis actoribus rationes reddere, hæres libertatem non præstet, dicendo eos non placere sibi, an audiendi essent: respondi, non spectandum quid hæredibus displiceret, sed id quod uiro bono posset placere, ut libertatem consequantur. eas autem uoces Græcas, quisquis ille fuit, ita uulgò transtulit: Volo & rogo dulcissima mea soror, in commendatione te habere Stichum & Damam meos actores, quos ego non manumisi donec rationes redderẽt: si autem tibi placuerint, significaui tibi mentem meam. Quæ uerba utcunque translata satis congruunt Græcis literis, referuntque totius clausulæ sensum: ut quod inde sequitur, omnino sit abradendum: significaui tibi mentem meam, idest, ut redditis rationibus sint liberi. postrema enim hæc uerba supra contextum Iurisconsulti pro glossemate ab aliquo addita, deinde in ordinem ipsum ab imperitis relata crediderim: quę quanti momenti sint, nemo certe non uidet: cum longe dubitabilior sit is casus, quem simpliciter Græce Iurisconsultus proposuit: alioqui si ea uerba in fideicommisso fuissent, nemo dubitasset hos boni uiri arbitratu fore liberos.

Iuliani sententiam quandam iure non subsistere, nisi menda de illius scriptis tollatur. Cap. XXVIII.



Pud Iulianum de suis & legitimis: quòd, inquit, nepotes ex consuetudine cognati appellantur, non proprie, sed per abusionem potius accidit. Quæ uerba si hoc modo legantur, id necessariò probant, cui nemo non, qui peritus sit, reclamaturus est, generis uidelicet uerbum per abusionem de specie dici: id enim falsum est. nam cum cognatio uox sit generalis, quæ agnatos cõtineat, non uideo cur nepos etiam post mortem testatoris conceptus, non dicatur proprie fuisse illi cognatus. Quare & antiquum meum codicem, & eum qui Florentiæ sit, non dubito longe fideliores esse: in his ita propemodum est, non proprie, sed per abusionem, uel potius ἀναφορικῶς accidit. significat autem uocula hæc, per relationem: & hic est sensus: ut cum testator sit mortuus, non possit habere cognatum, tamen per quendam quasi abusum, uel potius relationem ad hoc tempus, si uiueret, dici cognatum. Illud ergo quod dixerat Iurisconsultus, per abusionem, statim emendauit, insuper Græcam illam dictionem additando.

l. item prætor. c. Rhodolph. ubi Abb. de rescrip.

Declaratus

A Declaratus Iurisconsultus, dum amphorarium uinum explicat, Græcamque uocem Latinè subrogandam. Cap. XXIX.


IN ultima lege, de tritico, uino, & oleo legato: quòd si, inquit Iurisconsultus, ita esset legatum, uinum amphorarium, aminæum, & dulcia omnia: nihil inter dulcia, nisi quod potionis fuisset, putat Labeo, &c. In antiquo codice, non aminæum legitur, ut sit species uini, cuius Virgilius & Ausonius meminerint (syllaba tamen in illo inemendata, sunt & amineæ, pro sunt etiam amineæ.) sed potius Græcè ἄμεινον, id est optimum: quod quidem in iure non multũ referret, nisi Comensis Raphaël in ea aduersus Bart. fuisset hæresi, ut si generi una tantũ species adderet, existimaret per speciem genus non restringi: si uerò post genus plures species annumerarent, tunc coarctari. cuius opinionis argumentũ ex suprascriptis uerbis colligebat: quasi non aliã ob causam dulcia omnia restringant ad potiones, quàm quia duæ enumeratæ erant potionũ species, uinum scilicet amphorariũ, & uinum aminæum. sed, uti dixi, inemendatus est codex. non tamen diffiteor, Raphaëlis sententiam longè mihi probabiliorẽ uideri, quàm Bart. qui hoc in tractatu ita distinguit, secat, subsecat, minutiasque rursum diuidit, ut in clarissima re chaos ipsum induxerit. *in l. quæsitum. §. fi. ff. de fund. instruct.*

PRIMI LIBRI FINIS.

ANDREAE ALCIATI IVRISCONSVLTI MEDIOLANENSIS IN SECVNDVM LIBRVM DISPVNCTIONVM PRAEFATIO.


SCRIBENTEM me, & hisce quisquilijs successiuas horas tribuentem, nihil æquè ab incepto deterret, quàm quòd lectorum iudicium reformidem. nam & eo magis id mihi pertimescendum est, qui maximis (his præsertim diebus) negocijs districtus, uix ocium studio suppeditare possum: quapropter, non iniuria, uereor ne in nos studiosior aliquis genuinum meritò frangat, minimeque eius audaciam probet, qui aliud agens, ædenda, & per manus hominum itura, componat. sed & his fortasse illud satisfecerit, quòd non omni laude defraudandus sit ille statuarius, qui tametsi ipse poliendi ignarus, corpus tamen ipsum, marmorisque uenas diligenter conspicatus, materiam peritiori exhibuit. sicut nec omnino illaudati rhetores, quòd iugulum nudent, in quo excellentiores oratorum eloquentiæ aciem stringant. sic enim & ipse defendi potero, qui locos difficiles & mendosos annotarim, & ceu digito indicauerim. prodeat nunc eruditior aliquis, qui maiore eos ocio explicet, qui distringat, qui expoliat. uerùm omnino ab his qui ista facere possunt, parum mihi metuendum est. sunt enim in literis fuci quidam, qui cum ipsi, uel Cirnæo melle amariora congerant, doctos tamen naso suspendere non erubescunt: solumque inde eruditos se arbitrantur, quòd sibi tum maximè placeant, cum de peritioribus iudicant. his ergo non aliud respondeo, quàm sicuti Solon existimauit, eos demum bene imperare, qui ipsi seruissent: ita eos demũ de eruditis rectè pronunciare, qui ipsi uel æquè bene, uel melius cõponant. quandoquidem meo iudicio is in literarum palæstra solum aliquod nomen mereatur, qui πρὸς τὴν σύνταξιν ualeat: sic antiquos, sic etiam recentiorũ aliquos laudamus. qui nihil aliud quàm criticus est, is ut phreneticus meritò insputatur. Horum igitur cum uti Megarensium, ὁ λόγος, οὐδ' ἀριθμὸς sit, secundum hunc librũ dijs auspicibus exordiendum duxi, quẽ uel sola nouitate plausibilem fore meritò suspicor, studiososque hoc nomine ad eius lectionem prouoco: ex quibus fortasse aliqui in hisce Græcis uerbis maiorẽ sermonis puritatem requirent: qui uelim sciant, in facto ita accidisse, ut eo modo conceptæ clausulæ proponerent: nec idcirco Iurisconsultos arguendos, qui non de castitate elocutionis, sed de iure responsitarent. cæterùm & si quisque nobis etiam alia obiecerit, is sibi hoc proponat, eum qui ędere quicquam in publicum ue

lit, periculi magnitudinem nõ prospicere, at studiosorũ humanitati diffidere qui nolit.

Celebratissimum quoddam Scæuolæ responsum non rectè à glossematicis translatum, declaratumq́. Cap. I.



INstituto filio hærede, ex eo nepotibus emancipatis, ita testator cauit. Βούλομαι δὲ τὴν ἐμὴν οἰκίαν μὴ πωλεῖσθαι ὑπὸ τῶν κληρονόμων, μηδὲ δανείζεσθαι παρὰ αὐτῶν, ἀλλὰ μένειν αὐτὴν ἀκέραιον αὐτοῖς τε υἱοῖς καὶ ἐκγόνοις εἰς τὸν ἅπαντα χρόνον. ἐὰν δὲ τις βουληθῇ αὐτῶν πωλῆσαι τὸ μέρος αὐτοῦ ἢ δανείσασθαι, ἐπὶ αὐτοῦ ἐξουσίαν ἐχέτω πωλῆσαι τῷ συγκληρονομένῳ αὐτοῦ καὶ δανείζεσθαι περὶ αὐτοῦ. ἐὰν δὲ τις παρὰ ταῦτα ποιήσῃ, ἔσται τὸ χρηματιζόμενον ἄχρηστον καὶ ἄκυρον. quæritur cum filius defuncti mutuã pecuniam acceperit, &c. legendum hoc modo est Scæuolæ responsum, non uti ex uulgata lectione passim circumfertur. nam & illud mirum, Accursium præter morem suum, non admonuisse lectorem, Græca testatoris uerba in archetypis esse. Eorum translatio hoc modo faciunda erat his, qui Latina barbaris antistare arbitrantur. Hæres meus domum meam ne uendito, ne ue creditoribus obligato, sed ipsa permaneat simpliciter in filijs, inq́ nepotibus per omne æuum: si quis autem ipsorum uel uendere, uel creditoribus obligare partem suam uoluerit, id ei ut faciat potestas esto, dum cohęredi uendat obliget ue: si quis hanc iussionem aduersus fecerit, quod ob pecuniam obligat, inutile & infirmum esto. Ex ueteri quippe translatione non constat, an uoluerit testator alijs, quàm fœneratoribus posse obligari domum, cum uerba illa simpliciter posita sint restringi ratione aliarum obligationum: & tamen Græcè dicitur μηδὲ δανείζεσθαι, quod non solum ad creditores fœneratitios, sed ad quoscunq́ qui pecuniam credunt, referri potest. His adde, quòd uerbum illud, neque fœnerari super eas, in uulgata translatione Latinè non ponitur: cum fœnerari in passiua significatione ueterum nemo dixerit. dicet aliquis, quid istud ad iuris ciuilis professionem attinet? cui ipse non aliter, quàm totus titulus de uerborum significatione.

Græca lex, titulo locati, restituta: cum tamen ex interpretibus eam deesse hactenus nemo animaduerterit. Cap. II.



LIbet referre Græcam legem, quæ in omnibus codicibus impressis ita desideratur, ut neq́ ullam interpretationem Latinam habeamus: ea in Pandectis Florentinis est in titulo locati, subsequiturq́ legem, cui initium est, si cui locauero. Modestinus libro VI. excusationum. οἱ ἐπίτροποι γενόμενοι ἢ κουράτωρες πρὶν ἐκτίσαι τοῖς μηδαμῶς, μισθωταὶ καίσαρος γενέσθαι κωλύονται, καὶ αὐτὸς ἀποκρυψάμενος τοῦτο προσέλθῃ τῇ μισθώσει τῶν τοῦ καίσαρος χωρίων, ὡς παραποιήσας κολάζεται, ὥσπερ ἐκέλευσεν ὁ αὐτοκράτωρ Σεβῆρος, ἐπὶ ταῦτα δὲ καὶ ἐγχειρίζοντες ἐπιτροποίας ἢ κουρατωρίας, εἶεν κεκωλυμένοι μισθοῦσθαι καὶ παρὰ τοῦ ταμίου. Qui tutores facti sunt aut curatores, priusquam satisfecerint, conducere aliquid à Cæsare prohibentur: quòd si quis dissimulans progrediatur: & agros Cæsaris conducat, uti contrà faciens punitur, ut Imperator Seuerus constituit: secundum hæc & qui tutorum, uel curatorum officium iniungunt, ab fisco conducere prohibentur.

facit. l. 5. C. ne tut. uel cur.

Non antiphona, sed antichresis, in duobus digest. responsis legendũ: in eaq́ interpretatione maiores nostros omnes hallucinatos esse. Cap. III.

in l. si pecu. ff. de pig. act.



SI pecuniam, inquit Marcellus, debitor soluerit, potest pigneratitia actione uti ad recuperandum antiphonã: nam cum pignus sit, hoc uerbo poterit uti. Accursius hîc, cum corruptũ in codicem incidisset, meras nugas effutiuit in declaratione huius legis: quem & secutus Bartolus, existimauit hîc probari pignus, quod sub alterius nomine datum esset, repeti per pigneratitiam actionẽ. sed nescio an maiora fuerint Pauli Castrensis somnia, qui nescio quid hîc de prætorio pignore intelligit: quod tantũ ad rem facit, quantum crepidæ, ut dici solet, clauus trabalis. Itaq́ legendum est, non antiphonã, quæ ad hanc legem nullius sensus est, sed antichresin. ἀντίχρησις, ut ex etymo uocabuli conijcere licet, pignus est, quod ita datur, ut eius usum & fructum pro usuris sibi creditor cõputet: puta, si tibi tradam fundũ ea cõditione, ut eum pignori habeas, donec tibi centũ soluerim: & ut interim fructus

A rim fructus colligas pro usuris, quas alioqui tibi præstare debuissem. uerbi gratia: Sex, uidebatur, quoniam id non omnino consuetam pignoris formam seruaret, non competere pigneratitiam actionem, quod Marcellus negat. Et hoc quoque sensu hæc uox accipienda est in titulo de pignoribus, ubi idem Iurisconsultus, & si, inquit, ἀντίχρησις facta sit, & in fundum, aut in ædes alias inducatur, eousque retinet possessionem pignoris loco, donec ei pecunia soluatur, &c. ubi etiam de pignore prætorio Accursius & cæteri intelligunt: qua expositione nil frigidius est. Eius autem sensus hic est: Si promitto tibi fundum Seianum in pignus dare, cuius fructus in usurarum compensationem tu capias, deinde non illum, sed alium tradiderim, an retineas possessionem, &c.

Restituta Græca uox Iurisconsulto, cum antea mutilus esset sensus. Cap. IIII.

IN lege, quam, Tuberonis, de peculio, unius Græcæ uoculæ defectus totum sensum tenebris inuoluit & maculat. nam cum Iurisconsultus dixisset, ut seruus peculium habeat, scientiam domini necessariam esse subiungit: scire autem non utique singulas res debet ex necessitate, sed παχυμερέστερον. & in hanc sententiam Pomponius inclinat. Significat uox illa, pinguius: id alia declaratione non uidetur indigere, cum & ea in hunc sensum Aulus Gellius utatur libro XIIII. Cap. I.

Eudæmonis deprecatio non satis fideliter uersa: quapropter hic de eius expositione disputatum. Cap. V.

REferenda nunc à nobis est Græca lex, quæ in uulgatis codicibus ita translata, ut sensum qualemqualem exprimat, quibusdam interpretibus ineptitudinis, aut erroris ansam præstitit: ea est in titulo digestorum ad legem Rhodiam, de iactura, in hæc uerba. Ἀξίωσις Εὐδαίμονος Νικομηδέως πρὸς Ἀντωνῖνον βασιλέα. Κύριε βασιλεῦ Ἀντωνῖνε, ναυάγιον ποιήσαντες ἐν τῇ Ἰταλίᾳ, διηρπάγημεν ὑπὸ τῶν δημοσίων τῶν τὰς Κυκλάδας νήσους οἰκούντων. Ἀντωνῖνος μὲν εἶπεν Εὐδαίμονι. ἐγὼ μὲν τοῦ κόσμου κύριος, ὁ δὲ νόμος τῆς θαλάσσης, τῷ νόμῳ τῶν Ῥοδίων κρινέσθω τῷ ναυτικῷ, ἐν οἷς μήτις τῶν ἡμετέρων αὐτῷ νόμος ἐναντιοῦται. τοῦτο δὲ αὐτὸ καὶ ὁ θειότατος Αὔγουστος ἔκρινεν. Eudæmonis Nicomediensis ad Antoninum imperatorem supplicatio. Domine imperator Antonine, naufragium facientes in Italia, direpti sumus à publicanis, Cycladas insulas habitantibus. Antoninus dixit Eudæmoni: Ego quidem mundi dominus, lex autem maris, qua lege Rhodiorum nautica iudicetur, in his in quibus nulli nostrarum aduersatur. Idem enim & diuus Augustus existimauit. Libuit hanc legem referre, ut duos interpretum nostrorum errores confutarem. & in primis dum Accursius & Bartolus cæterique aiunt ita accipiendam, ut ualeat consuetudo, cui lex non aduersatur: cum nihil hic de cõsuetudine dicat: imò τῷ νόμῳ, inquit, τῶν Ῥοδίων κρινέσθω, id est, lege Rhodia iudicetur. νόμος enim apud Græcos, si propriè loquamur, legem scriptam magis significat: sicut θεσμὸς legem non scriptam, & quandam potius consuetudinem refert. Nam & Iurisconsultus ubique hanc Rhodiam legem appellat: ut non uideam cur consuetudinem hic intelligamus. Sed & dum dicitur, ego quidem mundi dominus, lex autem maris: quidam Gallici Doctores existimabãt propter aduersatiuam, maris imperium ad imperatores non pertinuisse: quod sanè perridiculum est: tametsi Baldus & Iason hac ratione existimauerint Venetos Romano imperio subditos non esse. sensus autem huius legis is est: Nam cum imperator sit mundi dominus, certè non terra tantum, sed & mare ipsius legibus parêre debuerat, & ipse in eis leges statuere: cum tamen in mari, non lege propria iudicet, sed Rhodia, quæ ab eo approbata est. Intellige ergo, dum dicitur, ego mundi dominus: quia orbem terrarum ex lege mea rego, lex autem, intellige Rhodia, maris: quoniam ex ea ius in mari redditur. huic accedit, quòd particula hæc δὲ, id est, autem, non ita aduersatur, ut præcedentia semper excludat.

Io. Igneus in tract. Bal. in rubr. de rerum diui. Iason in l. ex hoc iure.

Ex Solonis legibus uerba quædam à Caio adducta suo loco restituenda esse: eorumque interpretatio adiecta. Cap. VI.



Egem, quæ in titulo finium regundorum ultima est, fuisse maxima ex parte à Iurisconsulto Caio Græcè scriptam nemo ignorat: eam in digestis ex Bulgari translatione Latinam habemus, licet non sat politam: eiusmodi tamen ut sensum satis conuenienter exprimat, præterquam in fine, dum dicitur: alia autem ligna quinque pedes: nam scribendum erat, alias autem arbores duos pedes. Id ex Græca ipsa Solonis lege constat, cuius Plutarchus quoque meminit: ea in hunc modum in Pandectis extat. ἐάν τις αἱμασιὰν παρ᾽ ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύξῃ τὸν ὅρον μὴ διαβαίνειν, ἐὰν τεῖχιον πόδα ἀπολείπειν, ἐὰν δὲ οἴκημα δύο πόδας, ἐὰν δὲ τάφον ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν. ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν, ἐλαίαν δὲ ἢ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν, τὰ δὲ ἄλλα δένδρα δύο πόδας. Cur autem hic error inualuerit, non aliud in causa fuisse existimauerim, quàm quod in Iustin. codice, Valentis imp. legem esse animaduerterant, quæ, nescio quid, de quinque pedum præscriptione loquitur: sed ea alium sensum habet, ut ex Iunij Nipsi commentarijs alibi declaraturus sum. nam & mutatos quandoque in sepulchris fines, apud Ciceronem II. de legibus traditur. sanè & quod uulgò translatum est passum, malim ulnam: ὀργυιὰ enim id quoque mensuræ significat.

Ex mala interpretatione l. Lucius. de ser. rust. præd. quædam Bartoli, cæterorumque distinctiones adductæ, de albo tolluntur. Cap. VII.



E seruitutibus rusticorum prædiorum lex est Græcè scripta his uerbis. Λούκιος Τίτιος Γαΐῳ Σεΐῳ τῷ ἀδελφῷ πλεῖστα χαίρειν. ὕδατος τοῦ ῥέοντος εἰς τὴν κρήνην τὴν κατασκευασθεῖσαν ἐν ἰσθμῷ ὑπὸ πατρός μου, δίδωμι καὶ χαρίζομαί σοι δάκτυλον εἰς τὴν οἰκίαν σου τὴν ἐν τῷ ἰσθμῷ, ἢ ὅπου δ᾽ ἂν βούλῃ. Lucius Titius Caio Seio fratri salutẽ dicit plurimam. Ex aqua fluente in fontem, quẽ instruxit in Isthmo pater meus, do, & ob gratiam concedo tibi digitum, in domum tuam in Isthmo, aut quocunque uolueris. quæro an ex hac scriptura usus aquæ etiam ad hæredes C. Seij pertineat. & Paulus respondit, non pertinere: huius rei rationem ego arbitror: quoniam non tanquam ius, sed in modum simplicis facultatis concessum erat, ut aqua duceretur. Item uerbum χαρίζομαί σοι, id est, gratificor tibi, personam respicit: & ideo ad hæredes nil transmittitur. unde constat, in textu qui Latinus circumfertur, legendum non esse, ius aquæ fluentis, ut passim habetur: nam cum Bartolus distinxisset ea ratione, ut cum uerba concessionis referuntur ad factum, concessio sit personalis: cum uerò ad ius, tunc ad hæredes transeat: & huic opinioni cũ obstaret id responsum, quo dicitur, concedo tibi ius aquæ, & cætera: eò cõfugit, ut rursus subsecaret, an concessio terminata esset, uel ne. quæ quidem sunt meræ scholasticorũ cruces: tantum refert, incidisse uel in deprauatos, uel malè translatos codices: quapropter antiqua translatione abrasa, nõ dubito quin æquissimus & doctissimus quisque pro nobis sit. Illud non prætereundum, Accursium hîc tam ineptè, digitum aquę, intellexisse, ut planè constet, mechanicarum rerum nihil sciuisse, quandoquidẽ etiamnũ uulgò mensores & hydrometræ non aliter aquarum mensuras colligant, quàm per digitos, palmos, pedes: quarum rerum rationem in Iulij Celsi cõmentarijs, quos de arithmetica arte facit, legere memini. sed quoniam togatus aliquis uulturius exclamabit, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, hîc referre supersedeo.

Legem, iura. ff. de legibus, cum non sat rectè acciperetur, alio modo declarandam. Cap. VIII.



Vra constitui oportet (inquit Iurisconsultus Pomp.) ut dixit Theophrastus in his, quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt, non quæ ἐκ παραλόγου. Subsequitur deinde Celsus: Nam ad ea potius debet aptari ius, quæ frequenter & facilè, quàm ad ea quæ perraro eueniunt. quoniam, ut ait Theophrastus, τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς παραβαίνουσι οἱ νομοθέται. Has leges ita interpretantur recentiores Iurisconsulti, ut casus qui rarò accidant, non habendos in consideratione existiment: quod nequaquam ipse probauerim. quare sciendum est, nomothetas non

simpliciter

A simpliciter autores legũ significare, sed ipsos qui principaliter leges promulgant: quales apud Græcos Solon, Draco, Minos, Lycurgus: apud nos Pompeius, qui tulit legem Pomp. Iulius legem Iuliam, Cornelius Sylla legem Corneliam, & similes. Ipsi uerò Iurisconsulti Vlpianus, Paulus, Scæuola, non sunt νομοθέται, sed legum interpretes: hi plerunq; casus referunt, qui rarissimè eueniunt: quapropter de his in suprascriptis responsis minimè intelligendum est, ut uulgò fieri uidemus. sed & rarissimos casus non cõsiderari fatendum est, raros tamen considerari: uerbi gratia, fœmina uel septenos părere potest, istud est rarissimum: potest & tergeminos, istud rarum: unum uerò uel duos, freques. quod igitur statuendum? certè mediũ illud, tres posse nasci. quamobrem Paulus: quia, inquit, fieri poterat, ut tergemini nascerentur, quartam partem superstiti filio assignauerunt, τὸ γὰρ ἅπαξ ἢ δὶς, ut ait Theophrastus, παραβαίνουσι οἱ νομοθέται. ideoq; & si unũ paritura sit, &c. hoc enim modo legenda sunt Iurisconsulti uerba, quæ in uulgatis codicibus tam peruersè circumferuntur, ut nullum sensum accipiant: cui rei insignem errorem addidit Accursius, qui tergeminos interpretatus est sex. *l. antiqui. ff. si pars hæred.*

Legem, aduersus, de arbitris, quorundam temeritate corruptam circumferri. Cap. IX



Aduersus sententiã arbitri fit, si petatur ab eo à quo arbiter peti uetuit: quid ergo si à fideiussore eius petatur, an pœna committatur? & putat Iulianus committi, & ita Sabinus scribit: nam τῇ δυνάμει à reo petitur, ita legenda sunt Iurisconsulti uerba: significant autem cum à fideiussore petitur per quandam, ut ita dixerim, possibilitatem à reo peti, cum si fideiussor soluat, actionem habeat contra reum. uerba autem Græca non solum in Tuscorum celebri archetypo, sed & in alijs antiquis codicibus ita se habent, ut nemini dubium esse debeat, quin quisquis ille fuit qui uulgatam translationem induxit, longè aberrauerit, imposturamq; cæteris fecerit: is ita transtulit: nam etenim qui à fideiussore petit, à reo petit. quid quæso commune hæc uerba habent cum Græco τῇ δυνάμει? dixerit aliquis, cur Iurisconsultus Latinè potius locutus non est? sed & hoc plerisque notum, dici istud non sat eleganter potuisse. nam & ueteres δυνατὸν dicebant: quoniam possibile, non admodum recepta uox erat. *in l. aduersus. ff. de arbit.*

B

Sibijpsi restitutus Vlpianus, cum scriptorum incuria nullo sensu eius uerba acciperentur. Cap. X.



Vlpianus de interrogatorijs actionibus, seu ut antiqui codices habent, de interrogationibus in iure faciendis, ita ferè in castigatis uoluminibus ait: Quod autẽ ait prætor, omnino nõ respondisse, posteriores sic acceperunt, ut omnino non respondisse uideat, qui ad interrogatũ non respõdit, id est πρὸς ἔπος: cuius uocis interpretatio est, ac si dixeris, ad uerbũ. πρὸς enim significat ad, ἔπος uerbum: ut hic risum tenere nequiuerim, cum uidissem Accursium Græcas uoces tanq; Latinæ essent, exponentẽ, pro se pos: cui deinde quoniam ultima syllaba nihil significabat, facilè fuit addere, ut diceret, poscit. sed quid ego hic Accursium? quasi uel hic unus eius error, aliosq; nihilo leuiores fecerit, uel iustam causam non habeat, qui eorum uitiorum reus fiat, quæ temporis magis erant quàm hominis. Sanè ἔπος Græco sermone uariè accipit, sed præsertim pro carmine heroico, cuius inuentionẽ Pythio Apollini tribuunt: responsa enim dabat carmine, id per excellentiã epos dictum fuit, quod ἕπονται τὰ πράγματα τοῖς χρησμοῖς, idest, uti responsum erat, res subsequerentur, ut Eustathius sub ipsum Iliadis Homericæ principiũ tradit. inde natum adagiũ ego crediderim, ut cum res iuxta præscriptum consequerentur, πρὸς ἔπος euenisse dicerentur: quę uerò minimè proposito quadrarent, ea οὐδὲν πρὸς ἔπος facere testaremur. quo sensu & Luciani in Philopseude uerba accipiẽda sunt, οὐδὲν πρὸς ἔπος ταῦτα φασίν, nihil hęc ad uersum, ut dici solet: nec enim de his interrogabam, οὐδὲ περὶ τούτων ἠρόμην. non me latet ERASMVM ROT. modis omnibus incomparabilem uirum, adagij rationem aliunde deducere, nimirum ut à scena translatũ censeatur, ubi histrio saltatu gestuq; carminis genus repræsentat, sed uerisimilius uidet, quod nos prodidimus. *l. de ætate. §. quod autem.*

Vnam uoculam malè in l. iij. de con. tritic. translatam, totum sensum peruertere. Cap. XI.



DE condictione triticaria, in digestis titulus est, in quo tractatu Vlpiani Iu-
a in l. iij. de condi. trit. risconsulti hæc uerba in emendatis codicibus referuntur[a]. In hac actione si quæratur res, quæ petita est, cuius temporis æstimationem recipiat, uerius est, quod Seruius ait, condemnationis tempus spectandum: si uerò desierit esse in rebus humanis, mortis tempus, sed etiam ἐν πλάτει secundum Celsum erit spectandum: non enim debet leuissimum uitę tempus æstimari, &c. significat autem dictio illa ἐν πλάτει, quasi latius dicas, & inobseruatis iuris angustijs, ne ita tempus mortis spectetur, ut ad leuissimam æstimationem rem redigamus: sed potius, quod bonum æquumq; est, æstimemus. Inducenda igitur circumscribenda'ue est uox illa, antea, quæ loco Græcæ dictionis supposita fuit: ut uarię illæ & incōstantes Accursij expositiones explodant̄: qui dum illud aduerbiū tripliciter interpretat̄, ostendit planè se textum nō intelligere. Sanè uox ista, ἐν πλάτει, non hîc solum, sed in tribus a-
b l. pen. lijs digestorū locis reponēda est: & in primis in Labeonis responso[b] de probationibus, cum quæritur memoria facti, non hoc quęrit̄, num aliquis meminerit, quo die aut quo Consule factum sit, sed num id aliquo modo probari possit, quando id opus factū sit,
c l. ratum. & hoc Græci ἐν πλάτει dicunt. Iulianus quoq; [c] de solutionibus, ratum, inquit, habere dominus debet mox, cum primum certior factus est: sed hoc, ἐν πλάτει, & cum quo-
d l. quo enim. ff. rem ra. ha. dam spatio temporis accipi debet. In quem sensum & Vlpianus [d], in titulo rem ratā haberi: Græcè, inquit, hoc ita erit accipiendū, ἐν πλάτει, & cum quodā spatio temporis.

Dictionem παρατατικῶς duobus Iurisconsulti locis reponendam, nec sine ea sensum satis quadrare. Cap. XII.



a l. j. ff. unde leg. HAec uerba edicti[a], quo prætor legitimos ad bonorū possessionem uocat, quem ei esse hæredem oporteret, si intestatus mortuus esset, παρατατικῶς nō ad mortis testatoris referunt̄ tempus: ita in emendatis codicibus (intelligo autem Florentinorum Pandectas) legitur: quāuis uulgò Græca uox non desideretur: quia nec impressorum uitio spatiū quidem relictum est,
b l. iij. ff. ex quibus cau. in pos. ea. in quod possit referri: cū tamen necessaria sit, si eas quas Accursius facit[b], subauditiones uelimus euitare: id autem denotat παρατατικῶς, quod est cum extensione: unde apud Græcos præteriti imperfecti nomen: & nō hic solū locus, sed & lex III. ex quibus causis in possessionem eatur, ubi ex fideliori lectione ita reponendum est: Hæc uerba, neq; defenderet, παρατατικῶς scripta sunt, ut neq; sufficiat unq; defendisse, si non duret defensio: neq; obsit si nunc offerat. hac in emendatione diutius immorandū non arbitror: quandoquidē uix opinor fore, qui his antilogia cōnectat, ut Plautino uerbo utar.

Vlpiani emaculata uerba, titulo de iniurijs. Cap. XIII.



IN lege iniuriarum de iniurijs, uox Græca deest, quæ totum sensum obnubilat, ut uix quicquam sani ex eo eliciatur: est autem ibi ita legendum: si quis me probibeat in mari piscari, uel uerriculum, quod Gręci dicunt σαγήνην, ducere, an iniuriarum iudicio possum conuenire? significat autem σαγήνη rete, nec huic absimilis est minimus quidem uocularum defectus in lege, si quis uxori, de furtis, nisi clarus idcirco sensus deprendi non posset. Si quis, inquit Vlpianus Iurisconsultus, asinum meum in equas suas, τῆς γονῆς duntaxat χάριν captum admisisset, furti non tenetur, nisi furandi quoq; animum habuerit. hoc autem uerba illa referunt, quasi Latinè, generationis gratia, dixisses.

Legem ultimam, de colleg. illicitis, & in Latina uoce, & in Græco sensu corruptam circumferri. Cap. XIIII.



CAius quoq; Iurisconsultus in titulo de collegijs illicitis, inter cæteros adducitur, qui in hęc uerba responsum id cōscripserit: quod referre operæpreciū non arbitrarer, nisi tam Latinis uerbis, quàm in Græco sensu deprauatum esset. Sodales sunt qui eiusdem collegij sunt, quos Græci ἑταίρους uocant: his autem potestatem facit lex pactionem, quam uelint sibi ferre, dum ne quid ex

A quid ex publica lege corrumpant. ſed hæc lex uidetꝰ ex lege Solonis tranſlata eſſe: nam ibi citata eſt eadem. ἐὰν δὲ δῆμος, ἢ φράτορες, ἢ ἱερεῖς ὀργίων, ἢ ναῦται, ἢ συσίτιοι, ἢ ὁμοτάφιοι, ἢ θιασῶται, ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι, ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα. Si plebs uel uicini, uel ſacrificoli, uel nautę, uel cõuiuæ, uel communia ſepulcra habentes, uel in thiaſis ſocij, uel ad prædam ſimul profecti, uel in negociationẽ, uel id genus ſimile, alter cũ altero cõuenerit, firmũ eſſe, dum publicis ſanctionibus nõ contradicat. Sanè συνθιασώτας Athenæus eoſdem cũ ἐρανισταῖς eſſe tradit: hi ſunt collegę, qui thiaſon, hoc eſt tributũ, de publico exigunt, ut inde donatiua, ſeu congiaria in plebem, uel in collegia diſtribuant: quamuis alia quoq; uulgaris ſit thiaſi ſignificatio. Demoſthenes & Xenophon thiaſotas appellant multitudinem, rei diuinæ cauſa coëuntem: quales noſtro tempore ſunt, quos uocamus uulgò ſcholares & diſciplinatos. ſed & huius legis mentionẽ facit Plutarchus in Solonis uita, & Cornelius Tacitus auguſtæ hiſtoriæ libro XIIII. ex his autẽ manifeſtus eſt Accurſij error, qui Latinum codicem corruptè legens, meris ambagibus inuoluit illa uerba. nam ibi citata eſt eadem, quaſi uel illicita, uel licita legendum foret: cum noſtra ſententia dubio procul probabilior ſit. dicitur autẽ citata, id eſt nominata eadem: indicant autem illa uerba, μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.

Duæ leges reſtitutæ cum Græcis uerbis, ſuperq; ea re diſputatum. Cap. XV.


Væ ſunt in tit. de ædilitio edicto leges, quæ quoniam impreſſis uoluminibus abſq; græcarum uocum deſcriptione uulgatæ ſunt, non ſatis perſpicuè poſſunt intelligi. eas ex Piſano codice placuit his noſtris quiſquilijs adnectere: & quantum intereſt inter uitia, quæ Græci κακοήθειαν, & quæ πάθος aut νόσον appellant, tantum inter alia uitia, & eum morbum ex quo quis minus aptus uſui ſit, differt. alia lex hæc eſt Pauli Iuriſconſulti: Mutum morboſum eſſe, Sabinus ait: morboſum enim eſſe, ſi ſine uoce apparet. ſed qui grauiter loquitur, morboſus non eſt, neq; qui ἀσάφως. planè qui ἀσήμως, hic utiq; morboſus eſt. B ſignificat autem ἀσάφως obtuſè loquentem, ſicut ἀσήμως idem eſt ac ſi ſine ulla ſignificatione ſermonis diceres: qui quidem ſonũ emittunt ſine ullo intellectu: & ijdem ferè quos Iuriſconſultus de ſupel. leg. loqui ait τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ, id eſt uoce inarticulata.

Demoſthenis uerba Claudio Saturnino reſtituta, & hactenus non intellecta, lex nunc optimè declarata. Cap. XVI.


Laudius Saturninus in titu. digeſtorum de pœnis: Qualitate, inquit, delicta cognoſcuntur, cum factum uel atrocius uel leuius eſt: ut furta manifeſta à non manifeſtis diſcerni ſolent, rixæ à graſſaturis, expilationes à furtis, à uiolentia petulãtia. Qua de re maximus apud Græcos orator Demoſthenes ſic ait: οὐ γὰρ ἡ πληγὴ παρέστησε τὴν ὀργήν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία, οὐ δὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐστὶν δεινόν, καί περ ὂν δεινόν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρει. πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὧν ὁ παθὼν ἔνια οὐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δύναιθ' ἑτέρῳ, τῷ σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ, ὅταν ὡς ὑβρίζων, ὅταν ὡς ἐχθρὸς ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόρρης. ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίστησιν ἀνθρώπους αὑτῶν ἀήθεις τοῦ προπηλακίζεσθαι. οὐδεὶς ἂν ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ταῦτ' ἀπαγγέλλων δύναιτο, τὸ δεινόν, παραστῆσαι τοῖς ἀκούουσιν, οὕτως ὡς ἐπὶ τῆς ἀληθείας καὶ τοῦ πράγματος τῷ πάσχοντι καὶ τοῖς ὁρῶσι ἐναργὴς ἡ ὕβρις φαίνεται. Non enim plaga irã præ ſe fert, ſed contemptus: neque graue eſt liberis uerberari, tametſi graue, ſed ſi per contumeliã. multa enim is, qui uerberat, ô uiri Athenienſes, facit: quorum quædam is qui patitur, neque alteri denunciare poterit, habitu, aſpectu, uoce. percutit quis uti conuiciator, percutit uti inimicus exiſtens, percutit pugnis, percutit in maxillam: hæc mouent, hæc extra ſeipſos cõſtituunt homines, iniuriam pati non aſſuetos. nemo enim, uiri Athen. denuncians hoc quod aggrauat, audientibus repræſentare poteſt, ita uti rei ueritas ſe habet: cum tamen ipſi perpeſſo & uidentibus manifeſta iniuria apparuerit. Ita totus hic locus emendandus eſt, & uulgares ineptiæ explodendæ.

Quædam uerba nec latinè, nec fideliter tit. de pign. translata: quapropter à nobis declarata uti debuit. Cap. XVII.

In l. cum tabernam. ff. de pig.



Cæuola in ultimo ferè responso de pignoribus, huiusmodi refert epistolam. δανεισάμενος παρὰ σοῦ δηνάρια πεντακόσια, παρακαλέω σε, μὴ βεβαίωσιν ἀλλ' ὑποθήκην παρ' ἐμοῦ λαβεῖν, οἶδας γὰρ ἀκριβῶς ὅτι ἡ ταβέρνα καὶ οἱ δοῦλοι μου οὐδενὶ κατέχονται ἢ σοι, ὡς εὐσχήμονι ἀνθρώπῳ πιστεύσας. Cum mutuò acceperim à te denarios quingentos, id rogo, ne aliam â me cautionem petas, sed hypothecam accipias: euidenter enim nosti, & tabernã, & seruos meos, ad neminem alium quàm ad te pertinere: qui mihi tanquam honesto uiro fidem adhibendam duxisti. Libuit & hanc referre: quoniam in protritis exemplaribus non satis fideliter Græci huius epistolij sensus redditur: ut mittam barbaras uoces inculcatas: cum nec certificationem, nec fœneratũ, nec suppositionem eo sensu prisci illi Iurisconsulti agnoscant: ut indolendum sit, quas græcas uoces illi ornatus causa suis scriptis inseruerãt, eo temporum culpa decidisse, ut turpissima carcinomata perpolitis alioqui responsis induxerint.

Legis quoqꝫ ult. de decret. ab ordin. faciendis, sensum non rectè in uulgatis reddi. Cap. XVIII.

l. fin. ff. de decretis ab ordi. fac.



Iusdem Iurisconsulti responsum, in titulo de decretis ab ordine faciendis, in hæc uerba relatum est. Municipali lege ita cautum erat: ἐάν τις ἔξω τοῦ συνεδρίου δικάσηται, τούτου συνεδρίου εἰργέθω, καὶ προσαποτινύτω δραχμὰς χιλίας. quæsitum est, quam pœnam sustinere debeat, qui ignorans aduersus decretum fecit. respondi, huiusmodi pœnas aduersus scientes paratas. Ita legendum est hoc responsum: & ex quibusdam antiquis codicibus, & ex Etrusco uolumine: quamuis in impressis codicibus interpretatio quædam Græcarum dictionũ addita sit; quæ longè nugacior est, & multò plura continet, quàm græcum illud cõma significet. quòd uidelicet uariæ expositiones, & recentiorũ annotatiunculæ, quæ super contexta Iurisconsulti uerba adiuncta fuerant, ex subsidijs in ipsam aciem transiere. si quis ad uerbum transferre uoluerit, is ita interpretetur necesse est: si quis extra collegium iudicio experiri uoluerit, prohibeatur, & soluat drachmas mille. quæ enim sequuntur, uulgò addita sunt, & in familiam alienam irrepsere: nec Scæuola eas uoces agnosceret. quantum autẽ id in iure ciuili referat, qui legem uulgatam uiderit, scio nihil dubitaturus est: etiam si illi adsit (quod aiunt) cornea fibra.

Clausulam codicillarẽ ex Paul. responso nõ satis bene perceptam: idcirco noua expositio assignata. Cap. XIX.

l. ex ea. c. fin.



Aulus Iurisconsultus in tractatu de testamentis, ex his, inquit, uerbis πάντην τὴν διαθήκην βούλομαι εἶναι κυρίαν ἐπὶ πάσης ἐξουσίας, quæ in scriptura paterfamiliâs addidit, uideri eum uelle uoluisse omni modo ualere ea quæ reliquit, etiã si intestatus decessisset. Accursius ita Græcas uoces interpretatur, dubitans tamen & per cõiecturas: Legata quæ reliqui, & fideicõmissa dari uolo ab omni hærede meo, etiam ab intestato. quæ interpretatio nihil habet cõmune cum ipsis literis: quare ad uerbũ ne dubites ita traduci debuisse: id testamentum uolo firmũ esse per omnẽ potestatẽ. quibus uerbis clarũ est etiam comprendi hæredis institutionẽ: quæ si iure directo sustineri nequibit, in fideicomissum flecteť. nam Accursij expositio solum legata, & fideicõmissa, non autẽ institutiones comprendit: quod etiam Baldus notauit: cum tamen uel præcipuè in tractatu testamentorũ respiciantur institutiones, alioquin ea lex in legatorum sectione referenda fuerat.

Declarata quoqꝫ lex, cũ enim, de stip. seruorũ, ante nos nõ intellecta. Cap. XX.

l. cum enim. ff. de stip. seruorũ



I seruus cõmunis Titij & Mæuij ita stipuletur, Titio aut Mæuio dare spondes, inutilis est stipulatio: idem si dixerit, Titio X. aut Mæuio fundum dabis: non idem si Titio aut extraneo stipulatur. et rationem his uerbis prosequitur Vlpianus titulo de stipulatione seruorum: cum enim stipulatur domino aut extraneo seruus, utrunqꝫ cõstat, & in domini persona stipulatio, & in

A & in extranei solutio. at hîc τὸ ἰσάζων corrumpit stipulationem & solutionem. significat illa uox græca, æqualitatem, qua eadem forma per disiunctiuam nominati sunt domini, propter quam dubietatem uitiari stipulationem. at cum domino & extraneo stipulatur, τὸ ἰσάζων, hoc est æqualitas ista cessat: quoniã extraneo cum stipulari nequiuerit, habetur solùm pro adiecto. Accursius hoc in loco quantum recedat ab orbita, ac toto erret cœlo, qui eum uiderit, non ambiget.

Quid sit quod uulgò dicitur, Romam esse cõmunem patriã, quiq; item ciues Romani, plurimæ leges hactenus nõ intellectæ, declarantur. Cap. XXI.


Odestinus Iurisconsultus titulo ad municipales: Roma, inquit, cõmunis patria nostra est. Cuius uerba Accursius enarrans, id dictum idcirco existimat, quòd quilibet Romæ conueniri possit. quam sententiã, qui in ius pontificiũ scholia ædidere, ubiq; probant: nullusq; ferè est ex iuris ciuilis Doctoribus, cui hæc interpretatio non applaudat. cæterùm hæc mihi sententia tantum abest ut placeat, ut uerbis Iurisconsulti eam repugnare existimem. quis enim admittat id consequens esse, propterea quòd aliquis conueniri in illa urbe possit, idcirco eam censeri patriam? an quòd Statiliensis si à suis iudicibus ad senatum Mediolanensis Ducis prouocat, Mediolani litigare aduersariũ cogit, ideo Mediolanensis est? Igitur ut non hanc solum legem, sed & multa alia iuris ciuilis responsa explicem, animaduertendum est, nequaquam uulgò cognitam esse historiam, unde hæc omnia declarantur. quam eo libentius referre destinaui, quòd pleriq; etiam eruditi humanioris literaturæ professores, hac in re hallucinati uidentur. Constat hoc in primis, cum Romani uicinas sibi nationes armis domuissent, ueluti qui Latium incolunt, eos non planè pro subditis habitos, sed in societatẽ admissos: ita ut in legione Romana ius militandi haberent, magistratusq; in ea plerunq; gererent: quales sunt decurionatus, tribunatus, præfectura castrorũ, & similes: id uocabat̃ ius Latij ueteris: & hoc ea ratione, quoniã subsequẽte tempore Latinis socijs ius quoq; in urbe Romana adipiscendi honores indultum fuit, ferebantq; unà cum Romanis tribubus suffragia: plerunq; & ipsi in magistratus deligebantur: unde nõ iam ius Latij habere dicebantur, sed ius ciuitatis: fuitq; primo Latinis hæc prærogatiua à Romanis tributa, quòd uidelicet uiciniores erãt, & conterranei omnes (Roma enim, ut Plinius autor est, Latij pars est) quòd item eorũ fideli opera in prælijs utebantur. quapropter apud Liuium ferè ubiq; legimus Romanis legionibus additos socios Latini nominis. propagatis deinde uiribus, cum Italis quoq; dominarentur (intelligo autẽ Italiam secundum ueteres terminos) & illi peterẽt ut ipsi quoq; ciuitate Romana donarent̃, & factione optimatũ Romani id denegarent, multę seditiones exortæ sunt: quarũ præcipuum incitamentũ Fuluius Flaccus fuisse dicitur. hunc Apianus Sophistes tradit, cum consulatũ gereret, primum retulisse de admittendis in ciuitatem Italis, deq; iure honorũ illis concedendo. quod cum impetrari non potuisset, irati Itali bellũ Romanis, duce Tito Afranio, intulerint. quorũ partes cum Etrusci quoq; sequi constituissent, dubitantes Romani ne tantã belli molem sustinere non possent, eos præoccupauerunt. sic Etrusci priores in urbem adsciti, demũ cum aliquandiu cum Italis belligeratũ esset, multaq; incõmoda ultro citroq; illata: tandem pax sequuta est, & Itali quoq; ciues Romani habiti sunt: cuius rei etiam Velleius Paterculus historiæ libro primo meminit. celebratur Ennij spondaicum carmen apud Censorinũ: quo traditur Campanos in ciuitatis Romanæ iura etiam admissos. Cæterùm in ferendis suffragijs nouos hosce ciues Romani decipiebant: quoniam quinq; & triginta Romanorum tribus priores rogabantur: quæ cum Italicas numero superarẽt, facilè quos libitum fuerat, promouebant: quod à principio clàm fuit. uerùm cognita fraude, nouæ seditioni ansa præstita est, donec bona fide Romani cum socijs egerunt. post aliquod deinde tempus, cum Transpadani populi idem ius peterent, annitente Pompeio Strabone, qui Cnei pater fuit, lex lata est, qua & ipsi iura Latinitatis recentiora consequuti sunt, hoc est ius petendi magistratus, & eadem quæ Itali antè habuerant: cuius rei autor est Asconius Pedianus. uerùm id tum etiam omnibus Insubribus concessum non

l. Roma.ff. ad municip.

Ias. in l. qui Romæ.ff. de uerb. oblig.

B

fuisse arbitror: cum Tranquillus autor sit, Lambri accolas de petenda ciuitate, L. Sylla & P. Antonio consulibus, agitasse: & Plutarchus tradat Nouocomenses Iulij Cæsaris rogatione ciuitatẽ adeptos. quod cum ægreferret Marcellus, eorũ decurionem flagris publicè cædi iussit, cum hac exprobratione, ut meminisset ciuem se Romanũ non esse, nec Cæsarem ius id indulgendi habuisse. sed utcunq; sit, & uniuersis etiã Insubribus id iuris tandem indultũ esse, ex Corn. Tacito constat. Conqueritur Cicero apud Atticũ, quòd M. Antonius Siculis iura ciuitatis Romanæ concesserat: tanquã id fieri debere, in cõmentarijs Cæsaris uidisset. protensa demũ hæc cõcessio est in Narbonensem prouinciam: scribit Tranquillus ex semibarbaris Gallorũ quosdam à Iulio Cęsare ciuitate donatos, & in curiã admissos. nam & alibi traditur, propositos publicè libellos, ne quis nouo senatori curiam monstraret, quòd uidelicet tot externi in curiam pro senatoribus irruperant. cæterùm quamuis Galli ciuitatẽ Romanam adepti forent, ius tamen adipiscendi honoris aliquandiu illis detractum fuit, donec Aulo Vitellio, & L. Vipsana consulibus, Claudius imperator uniuersæ Galliæ Comatæ illud quoq; indulsit, habita super hoc ornatissima oratione, quam XI. libro Corn. Tacitus refert. fuit & id prolatũ ad aliquas Hispaniarũ urbes, donec in uniuersum illæ quoq; ciuitatẽ adeptę sunt. apud Strabonem refertur, uidisse eum Nemausi in Gallia, Gallos homines, qui ædilitatem quæsturamq; in urbe Rom. gesserant, quòd uidelicet ciues Romani effecti forent. Legitur & Apud Spartianũ, à diuo Seuero Neapolitanis & Palæstinensibus ius ciuitatis sublatũ, quòd in armis contra eum fuerãt. Paulus Iurisconsultus in titulo de censibus: *l. iur. ff. de cens.* Iuris, inquit, Italici sunt τρωὰς, βηρυτὸς, δυῤῥάχιον, hoc est Troas, & Berytus, & Dyrrhachium. Quamuis in codicibus græcę uoces ubiq;, præterquã in Pandectis Florentinorum desint. & Vlpianus eodem titulo: Iuris Italici est in Syria Phœnice splendidissima Tyriorum colonia, unde mihi origo est, nobilis regionibus, serie seculorum antiquissima: sic enim legendum est. *l. 1. ff. de cens.* referunt enim in illo titulo multæ ciuitates, quæ ius habẽt Italicum, hoc est, quorũ incolæ adipisci possunt in urbe Roma magistratus: & sunt immunes, sicut ipsi Romani Italiue, qui nec uectigalibus multis, nec tributis, capitationibusq; atterebantur. quapropter Drepanus Paccatus (nisi fallor) in quodam panegyrico in Maximũ Tyrannũ inuehitur, qui in Gallias hanc capitationẽ perduxerat. Cum igitur, ut superius ostendimus, id ius ciuitatis plurimis nationibus & gentibus concessum esset, tandem diuus Antoninus lege lata sanxit: ut qui imperio Romano subditi forent, ciues Romani essent. Paulus iuris autor in titulo de statu hominũ: In orbe Romano qui sunt, ciues Romani ex constitutione diui Antonini effecti sunt: ita enim in Pandectis Etruscis habetur: *& in l. 1. in prin. C. de cadu. tol.* quamuis uulgò lectũ sit, in urbe Romana. nec quenquã moueat nouitas dictionis: quandoquidem uox hæc frequens Spartiano, Lampridio, Marcellino, & id ætatis autoribus. nam nimis nouũ esset, si idcirco quòd quisquã Romæ esset, ciuis Romanus haberetur: quod existimauit Accursius, quoniã ita statutum fuerit in grãmaticis & professoribus. Tranquillus in Cæsare: Omnes, inquit, medicinã Romæ professos, & liberaliũ artium doctores, quo libentius & ipsi urbem incolerent, & cæteri appeterẽt, ciuitate donauit. Idem autor est, multas ciuitates sua merita in rem publicã allegantes, latinitate uel ciuitate donatas. intellige autẽ per latinitatẽ ius illud Latij ueteris. Plinius libro quarto naturalis historiæ, cum de Lusitania loquitur: in ea, inquit, coloniæ sunt quinq;: municipiũ ciuium Romanorũ unum: Latij antiqui, tria. & lib. III. de citeriore Hispania loquens: Continet, inquit, oppida ciuiũ Romanorũ, XIII. Latinorũ ueterũ, XVIII. fœderatorũ, unum: stipendiaria, CXLIX. & alibi sæpe. Sed & Iosippus libro aduersus Appionẽ secundo: Romanorũ, inquit, clementia non modicũ cunctis appellationis suæ donũ concessit: nõ solũ uiris singulis, sed etiã in uniuersum maximis gentibus. Hiberi deniq; antiqui, & Tyrrheni Sabiniq;, Romani appellant. Idem approbat Strabo, qui omnes Italos hac ratione Romanos dictos scribit. relatũ est apud A. Hirtiũ, hybernis in Gallia à Cæsare peractis, eum uenisse in Italiam, ut municipia & colonias appellaret: quibus M. Antonij quæstoris sui cõmendauerat sacerdotij petitionẽ. quod idcirco factũ est, quia ius suffragiorũ habebant, & unà cum po. Ro. magistratus creabant. cæterùm id ius ferendi suffragij, ut erat ante occupatam

A patam remp. maximum, sic postea modicæ utilitatis fuit: quoniã ut Heren. Mod. scribit, ad curam principis magistratuũ creatio cœpit pertinere: quapropter & lex Iulia de ambitu, in urbe cessauit. uerùm alias inde cõmoditates accipiebãt, qualis immunitas, & quam græci ἀτέλειαν uocant. Item quòd iure Romanorum proprio, quam rem inferius declaraturi sumus, utebantur. Item quia principes in magistratus nõ admittebant, nisi ciues Rom. hoc est subditos imperio Roma. quapropter lib. XVII. scribit Amianus Marcellinus, inuectum in Constantinum patrem, filiũ, quòd Barbaros quosdam, & in orbe Romano non genitos promouisset ad consulatũ. Illud tamen non diffiteor, non idcirco quòd alicui cõcessa ciuitas esset, habuisse eum protinus ius suffragiorum. nam cum Itali in ciuitatem Rom. recepti sunt, post aliquot annos ius quoq; suffragiorum recepere: quod ex Liuij Periocha constat: sicut Galli Comati prius ciues effecti, dein annitente Claudio in curiæ etiã iura prorupere. nam & illud concesserim, quamplurimis nationibus ius ciuitatis datum, honoris solùm causa, nõ quòd immunitatem aliquam haberent. Igitur constitutionem diui Antonini, cuius meminimus, ciuitatem omnibus tribuisse, ita intelligo, ut non tamen ciuium immunitatem cõcesserit. solum Italicum immune fuisse, etiam Iurisconsulti posteriores tradiderunt: non æquè prouincias, quæ annua tributa pendebant. nec tamen omnino inutilis fuit hæc cõstitutio: quandoquidem omnibus tribuebat ius in legione Rom. militandi, & in ea honores adipiscendi, quod non ciui Rom. uetitum erat. Hinc in palatinis Theodosij officijs legimus, in legione Rom. militasse Neruios, Dacos, Belgas, Batauos: cum alioquin auxiliares tantum fuissent, non legionarij. sed & qui ciues Romani essent, flagris subijci ex delicto non poterant. hinc in Actis Apostol. προσελθὼν δὲ ὁ χιλίαρχος εἶπεν αὐτῷ, λέγε μοι εἰ σὺ ῥωμαῖος εἶ; ὁ δὲ ἔφη, ναί. ἀπεκρίθη τε ὁ χιλίαρχος, ἐγὼ πολλοῦ κεφαλαίου τὴν πολιτείαν ταύτην ἐκτησάμην. ὁ δὲ παῦλος ἔφη, ἐγὼ δὲ καὶ γεγέννημαι. εὐθέως οὖν ἀπέστησαν ἀπ' αὐτοῦ οἱ μέλλοντες αὐτὸν ἀνεξετάζειν. καὶ ὁ χιλίαρχος δὲ ἐφοβήθη, ἐπιγνοὺς ὅτι ῥωμαῖος ἐστι, καὶ ὅτι ἦν αὐτὸν δεδεκώς.
B hoc est, accedens tribunus dixit illi: dic mihi, num tu Romanus es? at ille dixit: etiam. responditq; tribunus: ego multa summa ciuitatem hanc consequutus sum. & Paulus dixit: at ego etiam natus sum. protinus ergo discesserunt ab eo, qui eum torturi erant. tribunus quoq; timuit, postquã resciuit quòd Romanus esset, & quòd uinxisset eum. Erat & aliud ciuibus Romanis proprium, quòd uidelicet in potestate filios habebant: si modò ciuem Rom. uxorem habuissent: cum alijs enim matrimonium nõ erat, quod etiã sequenti capite ostensurus sum. cæterùm ut tandem capiti huic finẽ imponã, potuerunt & ex suprascripta Antonini cõstitutione, alia oriri cõmoda: quæ nos quamplurimis negocijs occupati, colligere ex autoribus nequaquã potuimus. sed nec indecorum Varro putauit, spicilegio pfecto spicã relinquere, sicut nec uindemiatori racemũ.

l. 1. ff. ad l. Iul. de ambitu.

in l. 1. C. de usu. cap. transf.

C Quemadmodum intelligendum sit, Francigenas in potestate filios nõ habere: item num subditi fuerint Roma. imperio. Cap. XXII.



SCribit iuris autor Caius, in potestate nostra filios esse, quos ex iustis nuptijs procreamus: quod ius proprium ciuium Romanorum est. Id quomodo intelligendum sit, non omnibus constat: tametsi satis repertu id apud autores facile sit. Nam cum id ius ad ciues Romanos tantum pertineat, sequitur ut qui iura ciuitatis nõ habuerit, minimè filios in potestate habeat: sed potius huiusmodi liberi uentrẽ sequantur. hoc magni momenti fuerat, priusquam diuus Antoninus statuisset, in orbe Romano qui essent, ciues fore Romanos. quamuis enim Romanis armis domitæ essent nationes, parerentq; prouinciæ: nõ tamen in eis filij patriæ potestati suberant, nisi si qui parentes ius ciuitatis impetrassent. hinc quandoq; legimus, ius Quiritium fœminis fuisse impartitum: quod nõ alia causa fiebat, quàm ut ex eorum connubio nati, in patrum potestate essent, haberenturq; Romani ciues. ostendit id in Topica Ciceronis Boëthius. quin & ipse Cicero: Si mulier, inquit, cum fuisset nupta cum eo, cum quo connubium non esset, nuncium remisit: quoniam qui nati sunt, patrem non sequuntur, pro liberis manere nihil oportet. uera igitur sensit Accursius, qui Francigenas non habere filios in potestate tradidit, quòd hi

l. uend. de his qui furt. sui. institu. de pa. po. §. fin.

ciuitatis iura nunquam habuerint. non me latet, quantum nugarum hoc in articulo re- C
centiores quidam infarserint: quas omitto, ne chartæ dispendium feram. historiæ ueri-
tas ita se habet, Gallos omnes Romanis principibus paruisse, & ius ciuitatis adeptos.
quin Orosius, Eutropius, Eusebius, siue quisquis ille fuit, qui additamenta τοῖς χρονικοῖς
scripsit, ostendunt Romam prius ab imperio Romano desciuisse, nimirum à Gothis ca-
ptam, quàm Gallias ipsas. Igitur Franci Scythica prius, mox Germanica natio, Maxi-
miano Diocletianoq; impp. Rheno traiecto, in Neruijs & Treueris cõsederunt: cum
id ab ipsis imperatoribus impetrassent: ut in quodam panegyrico (nisi fallor) Mamer-
tinus refert. De quibus intellexisse Ausonium crediderim in Mosella:

Aruaq; Sauromatum quondam metata colonis.

Hi & Salij dicti sunt, ut Amianus Mar. libro. XVII. scribit. & eorũ lex, Salica: unde & Sidonius: Salius pede, falce Gelonus. accidit deinde, ut direpta à Gothis urbe, legiones Romanæ, quæ Rheno impositæ arcendis Barbaris erant, cũ ipsis hostibus, qui maxima multitudine aucti, flumen transire conabantur, conuenerint, ut quas Romani tunc retinebant urbes, eas sibi haberent, reliqua Gallia ipsis accederet. quamobrem propulsatis populariter Gallis, Franci eorũ sedes tenuere, ut scribit Procopius: & hinc Francia dicta. horum rex Theudibertus, cum in Italiam numeroso cum exercitu uenisset, & Iustiniani duces, Gothosq; simul profligasset, minimè propositi tenax, retrocessit in Galliã: quod interpretatus est Iustinianus, tanquã metu suorum ducũ fugisset: unde se Francicũ appellauit. quo titulo uti nimis superbo indignatus Theudibertus, decreuerat cum exercitu in Thraciam penetrare, & Byzantio bella indicere: sed id uotum fato propera mors eius frustrata est, ut Agathius scripsit. Igitur Galli ipsi, item Franci, qui Treuirorum, Neruiorumq; loca tenuerunt, imperio Rom. paruere. At alij, qui tandem traiecto tota gente Rheno Franciæ nomina dedere Romanorum hostes, suis solùm regibus ceruices summiserunt. risi quandoque Episcopum negantem in Gallia dominatos Romanos, qui si uel Hilarium suum legisset, huiusmodi deliramenta effutire non fuisset ausus. sed uerum est, quod cum Romæ essem, saxeo illi Pasquillo affixum deprendi: D

Tandem maxime Pontifex galerum
Pasquillo hoc tribuas tuo roganti.
Si sensu sine sum, rude atq; marmor,
Complures quoq; episcopos creari
Ipso me mage saxeos uidemus.

Annotati duo errores, in decretis Pontificũ, ab ipsis autoribus commissi, ex Græcæ linguæ imperitia. Cap. XXIII.

xxxv. q. v. c. quod autem



Libet duos summorum uirorum errores, quorum scripta pro lege recepta sunt, confutare: atq; id citra uerborũ ambitum, cum ueritas ipsa huiusmodi non egeat adminiculis, nosq; quamplurimũ à multiloquio abhorreamus. In ueterum patrum decretis, relatum est Alexandri Pontificis, huius nominis secundi, quoddam responsum, quo dicitur duorum fratrũ uxores ianitrices appellari, quasi eandem ianuam tenentes, uel per eandem ianuam intrantes. quam sententiam, quisquis fuit, Isidorus omnino malus latinitatis autor, in etymologijs illis suis uisus est sequi. sed dij boni, quàm euidenti errore: tantum refert incidisse in corruptos à librarijs codices. Modestini uerba sunt in titulo de gradibus affinitatis, ita legenda: Viri frater leuir est, apud Græcos δαὴρ appellatur, ut est apud Homerum relatum: sic enim Helena ad Hectorem dicit, δᾶερ ἐμοῖο κυνός. uiri soror glos dicitur, apud Græcos γάλως. duorum fratrum uxores εἰνατέρες dicuntur apud Græcos, quod idem Homerus uno uersu significat, δαέρων, ἢ γαλόων, ἢ εἰνατέρων ἐϋπέπλων. Cum igitur magis probi illi patres quàm docti, apud Modestinum legissent, duorum fratrum uxores inateres dici, Græcam dictionem, quæ in eorum codice latinis notis scripta fuerat, latinam existimauerũt, & corruptè scriptam: unde nõ inateres, sed ianitrices legendum crediderunt. quorũ error ex carmine illo Homeri deprenditur. ἰλ, ω. quod inter

duorum fratrum uxores ianitrices appellari

l. non facile. ff. de gradib.

ianiteres

Viri frater leuir
Viri soror glos

legendum

A legendum à nobis repertum, Iuriſconſulto reſtituimus. nemo enim unquam audebit profiteri, ſe apud idoneos autores ianitrices eo ſignificatu offendiſſe: niſi is planè excors ſit, & omnium indoctiſſimus. ſunt qui has συννύμφους uocant: ſanè duarum ſororum uiri aëlij, ἀήλιοι nuncupantur. Alius eſt Iſidori error, XXI. diſtin. quo in loco ex eius autoritate refert Gratianus, Metropolitanos dici à menſura ciuitatũ, quod falſum eſt: cum μητρόπολις græcè dicta ſit, quaſi matrix ciuitas, quamobrẽ per ἦτα ſcribitur: cum ſi uera eſſet Iſidori ſententia, μετρόπολις per ἐψιλὸν dicendum foret. Suidas metropoles dici tradidit eas urbes unde coloniæ deductæ ſunt: quoniam hæ quaſi coloniarum matres ſunt. meminit & in hunc ſenſum Thucydides.

Quid ſignificet lis & controuerſia, item iudicium: & Iſidori error in c. forus, de uer. ſig. Cap. XXIIII.



CErtatum eſt uarijs opinionibus inter noſtros Doctores, quomodo lis, & controuerſia accipi debeat. & crebrior ſententia uidetur eſſe, ut cõtrouerſiam de re extra iudicium acta dicamus: litem uerò tunc dici, cum in iudicio facta eſt conteſtatio. Sunt qui aliter opinentur, reſpondeantq́ contrarijs argumentis: ut nihil eſt in iure, quod altercando non inuoluatur. Ipſe proprietatem ſermonis ex antiquis ſcriptoribus accipiendam duco: inter quos Cornelius Fronto in opere, cui titulum fecit, de nominũ, uerborumq́ differentijs: Lis, inquit, naſcitur: controuerſiam pertinacia efficit: & litigant homines, res in conuerſiam deducitur: ita controuerſia partis eſt, lis ſummæ. ex quibus uerbis conſtat, propriè quoq́ litem dici antequam conteſtatio fiat: controuerſiam uerò potius poſt iudicium acceptũ. quæ ſententia ex Digeſtis ipſis plerunq́ probatur: licet Iuſtinianus & Rom. Pontifices in decretalibus uocis proprietatem non obſeruent. Cæterùm & dubitatũ eſt, quomodo intelligatur iudicium: & aiunt poſt litem conteſtatam ſolũ eſſe iudicium. quam

l. j. ff. de teſti. l. cauſas. C. de tranſact.

extra in rubri. de iud.

B ſententiam Iſidori autoritate confirmant: qui forus, inquit, eſt exercendarũ litiũ locus, à fando dictus, ſiue à Phoroneo rege, qui primus Græcis leges dedit. conſtat autẽ forus cauſa, lege, & iudicio. cauſa à caſu quo uenit, dicitur: eſt enim materia & origo negocij nondum diſcuſſionis examine patefacta: quæ dum proponitur, cauſa eſt: dum diſcutitur, iudicium: dum finitur, iuſtitia. uocatur autẽ iudiciũ, quaſi iuriſdictio: iuſtitia, quaſi iuris ſtatus. uerba hæc Iſidori quàm inepta, quàm falſa ſint, nemo arbitror doctus ignorat. & in primis ubi nam gentiũ reperitur forus maſculino genere, hoc in ſignificatu? nemo enim ex antiquis hoc dixit: nec dubito, ſi Papinianus, aut alij Iuriſconſulti ita dici audirent, quin barbarã uocẽ deridiculo haberent, deſpuerentq́. ſed & etymus ipſe nihilo melior: fari primã producit, forum corripit. A Phoroneo uerò dictũ quî credam? cum Phoroneus Argiui regis nomen, id apud ſuos Argiuos non obtinuerit, ut de ſuo nomine forum dicerent: ipſi enim ἀγορὰν, δικαστήριον, πολητήριον dicunt, non forũ: quin φόρος apud ueteres Græcos cum tributum ſignificet, tum & alia nihil ad forũ facientia. ut non parum mirer, Philelphum, alioqui uirum eruditiſſimũ, maluiſſe Iſidori ineptias quadam oratione ſequi, quàm grauiſſimum autorẽ M. Varronẽ: qui lib. I. de lin. latina, forũ dictum à ferendo ait, quòd in eum locũ litigantes cõtrouerſias deferant, ſicuti negociatores res quas uendere cupiũt. Sed & quod ſubſequitur, dum diſcutitur cauſa, dici iudiciũ, aut aliter intelligendum eſt quàm uulgò fit, aut nõ ſatis rectè opinor dictũ. quippe iudiciũ etiam dici ante litẽ conteſtatã oſtendit Iuriſconſultus: qui ubi cœptum eſt iudiciũ, ibi & finiri debere ait. quæ uerba Bartolus, & alij omnes interpretantᷣ, ut ſit cœptũ à ſolius citationis tranſmiſſione. Igitur exiſtimo Iſidorũ non ad uocabuli ſignificationẽ reſpexiſſe, ſed ad res ipſas. quis enim admittat, cauſam ubi diſcuſſa eſt, dici iuſtitiam? id certè nõ conuenit definitioni: nam & propriè negociũ diſcuſſum dicitᷣ cauſa, ut Bartolus & cæteri tradiderunt: cum tamen Iſidori uerba non ſatis id admittant. arbitror itaq́ hanc fuiſſe eius ſententiam, ut cauſa eſſet uerbum generale, quod comprendat principium negocij cum proponitur, & cum quis deliberat, & proponit ut litigat: ubi autẽ ea diſcutitur, eſt iudiciũ. quod accipiendum eſt, non ſolùm cum ipſum factum diſcutitur, ſed etiam tractantur quæ præparatoria dicimus ipſius diſcuſſionis.

at ubi iudicatum fuerit, dicitur facta iustitia: quia tum ius suum unicuiq; est redditum. nam & si iudicium à iurisdictione dicitur, id constat, ante litis contestationẽ, iurisdictionem dici cœptam. Illud non omiserim, non minus quàm Isidorum falli eos, qui iurisdictionem non à dicendo iure, sed à ditione, hoc est dominio iuris appellatam perquàm ridiculè tradiderunt. & hæc quidem satis.

c. gratũ. de offi. dele.
in l. j. de iur. om. iudi.

Quid sit pecunia erania, nõ herosa apud Iurisconsultũ titu. de solu. Cap. XXV.

l. creditor. ff. de sol.



SErbidij Scæuolæ uerba hæc sunt, in titulo de solutionibus: Creditor obligatam à debitore pecuniam, ut alia die accepturus distulit: mox pecunia, quia illa respublica utebatur, quasi herosa iussu præsidis sublata est: respondi detrimentũ creditoris non esse. Videndum est quid significet uox illa insolens herosa: & ut mitram Accursij ineptias, cum ad ueteres codices confugissem, deprendi græcam dictionem corruptã circumferri: non igitur legendum est herosa, sed ἔρανος. significat eranos græcè mercedem, tum etiam collationẽ pecuniæ uice cuiusdam tributi indictæ, ἀπὸ τοῦ συνεράν, id est à contribuendo. autorem huius rei citant quidam Athenæum. Plinius Secundus uocis ipsius mentionem facit, apud quem extat Traiani epistola in hunc modum: Amasenos concessum est eranos habere, si tali collatione nõ ad turbas, nec ad illicitos cœtus, sed ad sustinendam tenuiorum inopiam utuntur. ex his igitur constat quid Iurisconsultus intellexerit. Meminit τῶν ἐράνων & Iulius Pollux libro octauo, κεφ. λε.

Eranos

Restituta græca dictio, atq; declarata in l. uerbum, C. de infam. & consideratum Lucæ uerbum in euangelio. Cap. XXVI.

l. uerbum. C. ex quib. causis infa. irrog.



IMperatoris Gordiani constitutione cautum est, cum iudex causa non cognita accusatori dicit, ἐσυκοφάντησας, non idcirco eum notari infamia. dubitarunt aliqui de uocis ipsius significatione: & sciendum est ad hoc trahi, ut significet calumniatus es. Vsus est hac dictione Lucas in euangelio: μηδένα διασείσητε μηδὲ συκοφαντήσητε, καὶ ἀρκεῖσθε τοῖς ὀψωνίοις ὑμῶν. neminem concutiatis, neq; calumniemini, & contenti estote stipendijs uestris. deducitur id uerbum ab eo quod est ficos mandere. scribit Festus, apud Athenienses dictos sycophantas: quoniã cum fici essent in precio, mulcta indicebatur his qui eas auferrent: at qui aliquem accusaret huius criminis, sycophanta dictus, qui litem de re leuissima ordiretur. hinc cœptum est trahi ad calumniatores, & uiros nihili. meminit hoc significatu Aristoph. in Pluto, & Terentius, Plautus, cæteri. quapropter ridicula est Accursij interpretatio, nescio quid ex Aesopi fabula asserentis. Græcè autẽ legendum ἐσυκοφάντησας, non autem latinè sycophanta, indicio sunt antiqui codices.

Quid sit edictum perpetuum: & quædam ad Iulianum Iurisconsultum pertinentia. Cap. XXVII.

l. j. C. de an. & capit.
l. ij. ff. de statu ho.
l. edita. de eden.



VIdeamus quid in iure ciuili sit perpetuum edictũ: cuius titulos atq; ordinẽ se imitari Hermogenes ait: & imperator, mutari, inquit, & corrigi actionẽ conuenit, prout edicti perpetui monet autoritas. mentio huius est & mille alijs locis. & sciendum est, edicta prætorum annua fuisse, quæ ipsi in albo proponebant: ubi magistratu functi fuissent, alius succedebat, qui noua edicta proponebat. sic ius uariè dici solitũ: quod cum ambitiosis prætoribus malefaciendi ansam præstaret, lege à Cornelio lata cautum est, ut prætores ex edictis suis perpetuis ius dicerent, ut scribit Asconius Ciceronis interpres. Cæterùm tempore Hadriani principis, Saluius Iulianus Iurisconsultus (patria Mediolanensis, ut ostendit Dion, & Aelius Spartianus, si apud eum emendetᷓ lectio) omnia prætorũ edicta in unũ collegit, & sub congruis titulis posita interpretatus est. cœperuntq; tum prætores congesta ab Iuliano edicta sequi: nõ autẽ ipsi noua proponere. Eutropius, Didius, inquit, Iulianus rempublicã inuasit, uir iure peritissimus, nepos Saluij Iuliani, qui sub Hadriano perpetuum cõposuit edictũ. tradit Spartianus, Seuerum imperatorẽ in Didij Iuliani inuidiã iussisse, Saluij decreta aboleri: quod non obtinuit, edictũ uidelicet perpetuũ indicans. In eius laudem id epigramma statuæ quandoq; inscriptum græcè legi:

Τοῦτον

A Τοῦτον ἰουλιανὸν νομικῆς φάος, εἶπον ἰδοῦσαι,
Ῥώμη καὶ Βερόη, πάντα θεὸς δύναται.
Iulianum, Beroë, leges, mirata, docentem:
Romaq́ꝫ, dijs possunt omnia, dixit, agi.

Quid sit abdicatio, emendata quædam constitutio, declarataq́ꝫ, cum græcæ uocis additamento. Cap. XXVIII.



SVb titulo, qui est in Iustin. Cod. de patria potestate, huiusmodi constitutio diuulgata est: Abdicatio, quæ Græco more ad alienandos liberos usurpabatur, & ἀποκήρυξις dicebatᷓ, Romanis legibus non cõprobatur. Quæ lex in impressis codicibus corrupta circumferebatur, nõ in græca tantum uoce, sed etiam in latina: cum alendos legeretur, pro eo quod est alienandos. & ut omittam Odofredi interpretationẽ, quæ nullius est precij, sciendum est abdicationem hoc modo fieri solitam: cum filius patrẽ iniuria affecisset, aut minus audiẽs dicto fuisset, eum pater ad iudices uocabat: & probata causa permittebatur abdicatio. causæ autẽ ipsæ minimè semper eædem erãt, sed incertæ, & ferè patris arbitrio. hinc declamationũ frequẽs materia: genere & familia indignos abdicari lex cõcesserat. causas huiusmodi fuisse Lucianus in Abdicato tradit: si filius noctu foris cubuisset, si comessaret, si lenones pulsasset, si libidinibus incumberet. addit Fabius Quintil. in declamationibus, eũ quoq; qui uoluntati paternæ repugnasset, abdicari potuisse. eum autẽ qui abdicatus fuerat, pater educare nõ tenebatur: imò omnium egenũ, uestibus spoliatum dimittebat: defuncto patri in hæreditatem non succedebat. Idem alibi tradit, sine narratione culpæ patribus permissum non esse, ut filios abdicent: nullam autem certam esse abdicationis causam. sed & idem ostendit, eos qui à parentibus abdicatos recipiebant, læsæ reipublicæ reos fieri. apud Lucianum dubitatur, num pater filium, quem semel abdicauerit, receperitq́ꝫ deinde in potestatem, possit rursus ex noua causa abdicare. celebratur à Val. Max. Celetus eq. Ro. qui Cæsari iubenti, ut quendam filiorum abdicaret, respondit: celerius mihi Cæsar omnes filios eripies, quàm ex his ego unũ nota pellam mea. abdicari autem ad tempus potuisse uidetur credidisse Seneca libro controuersiarum. III. apud quem quamplurima abdicatorũ exempla leguntur. Illud non omiserim, superuacuum fuisse exhæredationum causas ab Iustiniano nominatim scribi, si lex abdicationis non fuisset abrogata. *l. abdicatio. C. de pat. po.* B

C Quid sit edere, ex Labeonis sententia declaratũ: nec omnino rectè restitutũ fuisse eius locũ à Politiano in Miscellaneis, atq; qd sint aduersaria. Cap. XXIX.



IN lege prima, in digestis, titulo de edendo, eum quoq; edere (inquit Vlpianus) Labeo ait, qui aduersarium sum ad alium producit, & demonstrat quid dicturus est, uel id dicendo quo uti uelit, &c. neminem puto latet in Miscellaneis suis Angelum Politianũ ostendisse, non alium, sed album: item non dicturus, sed dictaturus, in Pandectis Florentinis legi. cæterùm nec tamen omnino istud nos probamus, quandoquidem uix est ut aliquem sensum elicias, qui nõ de uerbis extorqueatur. noster codex, ut in aliquibus inemendatior est, ita quædam uerba habet, unde scripturæ ueritatẽ possimus coniectari. Legendum itaque hoc modo est: eum quoque edere Labeo ait, qui aduersaria sua ad album producit, ut demonstret quid dictaturus est, uel id dicendo quo uti uelit. Sciendum enim est, latinè aduersaria dici tabulas rationum tumultuariè confectas: quæ idcirco conscribuntur, ne res memoria excidant. uulgò dicimus notas, uel quinternetos. solent enim mercatores rationes suas chartulis quibusdam summatim inscribere, quas & inducũt & circunscribunt, deinde diligentius æstimato calculo in libros rationũ referunt. Igitur eum edere Labeo existimauit, qui ad albũ prætoris aduersaria producat, & demonstret rationes illas summatim, & per notas in eis descriptas, quemadmodum in calendarijs seu libris rationum, sit extensurus: etiam si non omnem rationẽ, quæ in aduersarijs annotata est, uelit in calendarium referre, sed aliquam partem tantum: & hoc modo clarissimus est Iurisconsulti sensus. de aduersarijs Cicero in oratione pro Roscio mentionem facit: *in l. 1. §. cum quoque. ff. de edendo.*

nem facit: usqueadeò ne te diligis, & magnificè circumspicis, ut pecuniam non ex tuis tabulis, sed ex aduersarijs petas? suum codicem testis loco recitare arrogantiæ est: suarum præscriptionum & liturarũ aduersaria proferre, nónne amentia est? Quin & idem rursus: quid est quòd negligenter scribamus aduersaria? quid est quòd diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? quia illa sunt menstrua, illæ æternæ: hæc delentur statim, hæ seruantur sanctæ: hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt coniecta, illæ in ordinem confectæ. itaq; aduersaria in iudicium protulit nemo, codicẽ protulit. & cætera in hunc sensum. eius uocis meminit etiam Ann. Seneca. hæc censeo esse quæ Iurisconsultus græca uoce τοὺς ὀπισθογράφους dixit in titulo de bonorum possessione sec. tab.

SECVNDI LIBRI FINIS.

ANDREAE ALCIATI IVRISCONSVLTI MEDIOLANENSIS DISPVNCTIONVM IN IVRE CIVILI, LIB. TERTIVS.

PROOEMIVM.



SICVT apud Græcos, qui comœdi esse nõ poterant, tibia sese exercere solitos ueteres tradunt: ita uereor ne in nos aliquis illud intorqueat, qui de suo ingenio tanquã ex pœnore quicquam promere nequeãt, aliena cõmentaria corrigere interpretariq; cõsuesse. quanto enim melius, si magnum aliquod opus aggressus, decumanum (ut ita dicam) librum confecissem: unde nomini meo gloriã, & inter posteros quoque famã comparare potuissem. uerùm quid huic ueriora ueris obijcienti respondeã? confitentem certè reum habebit, dum id sciat, non me iudicio, sed necessitate deceptũ. nec enim nos latebat, si forte Triphon aliquis emendata digestorũ uolumina ędidisset, fore ut nostri labores sordescerent. Id autem facilè euenturum non solum præuidere potui, sed etiã sperare debui. & utinam hoc iandiu accidisset, ne bonæ illæ horæ, quas huic negocio impendi, omnino temere consumptæ uiderẽtur: grauioribus etenim fortasse studijs eas tribuissem. quamuis necessariũ & id opus, publiceq; utile futurũ arbitrer, quòd multa hîc quoq; declarantur, quæ haud de triuio sumpta quisquam dixerit. sed & qui sic nos improbauerint, uelim felicioribus auspicijs oneri huic incumbant, in quo nos succubuimus: eaq; prosequantur, quę nobis assequi minimè licuit: tum enim cognoscent despicatui omnino non habendum hunc librum, qui eruditissimorum uirorum exemplo sit confectus, pręsertimq; ueterum Iurisconsultorum, quos me imitari nequaquam pudebit. quid enim aliud Claudij Saturnini notæ in Scæuolam indicant, quàm mihi eadem ratione à nostrorum Doctorum traditionibus recedere licitũ, eosq; redarguere, dum id iure agere me credam? uerùm & quis iusiurandum calumniæ à scriptore expetat? multi enim maximiq; interpretes, uitio librariorum corruptis codicibus in fœdissimos errores prolapsi dicuntur: quod nisi ita esset, haudquaquam opus fuit Iustiniani lege prohiberi, ne ius ciuile per notas traderetur. execratus est eos Hieronymus librarios, qui quę de suis scriptis exciperent, exemplaribus conferre negligebant, diligenterq; non emendarent. quòd si à tanto uiro in historia est factum, quid nos in iure agamus? ubi tanto cautius agendum est, quanto maiore cum noxa delinquitur. non me præterit, ineptum & ἀδύνατον fore, si quisquam id etiã uelit, ut prorsus in scribendo non erretur. hoc tamen diligenter curandum esset, ut in his tantum quæ modici momenti forent, peccaretur. quoniã cum impressoria hæc ars eiusmodi sit, ut quod malè uno in loco est positum, per omnes exemplarium quoq; traduces inuertatur, latè uagatur malum, nimioq; plures decipit. Ipse qui quantum in me fuit, insigniora in iure primum errata corrigere adortus sum, quædam uetera nunc ab alijs non explicata interpolabo, eumq; deinde sensum uerbis afferam, qui cõuenire magis uidebitur. quod idcirco libentius à me tertio hoc libro fiet, ut uertendo stylo nimiũ lassus lector, habeat etiam quo interim quiescat & fastiditus quo se recreet.

A Quæ ſint centeſimæ uſuræ, quid calendariũ, quid ſemiſſales, defenſa Hermolai Sociniq́ſententia: & reſtituta ſibiipſi lex Septitia, de pollicitationibus. Cap. I.



Enteſimis calendis dari utiliter ſtipulamur, inquit Paulus: quoniam præſens obligatio eſt, in diem autẽ dilata ſolutio. uidendum eſt unde hic modus loquendi defluxerit: et ſcire debemus, ueteres ſolitos fœnerari non in annos, ſed in menſes: quod oſtenditur ex uulgato Pauli reſponſo: Lecta, inquit, in auditorio Aemilij Papin. eſt cautio huiuſmodi. L. Titius ſcripſi me accepiſſe à P. Mæuio quindecim mutua numerata mihi de domo ſua, & hæc XV. proba rectè dari ſtipulatus eſt P. Mæuius: ſpopondi ego L. Titius: conueniitq́ inter nos, ut P. Mæuio ex ſumma ſupradicta menſtruos refundere debeam denarios trecentos, &c. nam & Aeſchynes in oratione aduerſus Cteſiphontẽ in Demoſthenem inuehitur: qui in ſingulas minas fœnoris nomine menſtruas drachmas exigeret. Ariſtophanes quoq́ ἐν νεφέλαις Strepſiadem ſenem inducit, qui aliquã ſibi optat incantatricem Theſſalam, quæ carminibus lunæ exortũ differat: ſic enim futurũ, ut creditoribus ſuis uſuras non reddat: cum argentarij in nouilunia uſuras exigant, & ex neomenijs fœnus creſcat: νεομηνίας autẽ noſtris calendis non abſimiles nemo ignorat. Igitur cũ calendis fœnora exigi ſolitũ fuerit, centeſimæ uſuræ dictæ ſunt, ex quibus duodecim pro centenario recepimus: idcirco ſic nuncupatæ, quòd centeſimo quoq́ menſe ſortẽ æquent. cuius rei argumentũ præſtat Sidon. Apol. ſub finẽ tertij libri ad Turnũ: qui, cauta, inquit, fœneratori eſt centeſima: quæ per biluſtre perducta tempus, modum ſortis ad duplum adduxit: nam octo annis quæ centũ fuerant, fiunt ducenta. luſtrum enim hîc pro quatuor annis accipitur: quod ex Dionyſij quoq́ Alicarn. uerbis conuincit, & Suidæ. Idcirco apud aliquos quinquenniũ comprehendit: quoniã poſt quatuor annos expletos ſtatim erat luſtrũ, ut ad principium quinti anni reſpiciendum ſit, non ad finẽ. idem enim eſt luſtrum, quod Olympias Ouidio, Martiali, Auſonio, Seruio Gram. ex ſupra-
B ſcripta ergo ratione, etiã ſtipulationes concipiebantur in calendas: quapropter Paulus dixit, centeſimis calendis dare ſpondes? ex hac etiã conſuetudine deductũ puto, ut calendaria libros rationũ dicamus: nam ut animaduerti, ſolet Iuriſconſultus ea dictione uti, cum fœneratorum rationes deſcribit. cæterùm centeſimis uſuris, duodecim in centenarium accipi, ſicut ſemiſſibus ſex, trientibus quatuor, Hermolaus ex L. Columellæ autoritate docuit: quam ſententiam Socinus latiſſimo tractatu defendit: oſtenditq́ noſtros Doctores hac in re ἐκ διαμέτρου, quod aiunt, erraſſe. eadem ſentẽtia in titulo de pollicitationibus comprobatur. Septitia certamen patriæ ſuæ pollicendo ſub hac conditione pollicita eſt, uti ſors apud eam remaneret, & ipſa uſuras ſemiſſales ad præmia certantium reſoluat, in hæc uerba: φιλοτίμως καθιερῶ ἀγῶνα τετρασηρικὸν ἀπὸ μυριάδων τριῶν τῶν τοῦ κεφαλαίου, αὕτη κατέχουσα ἀργύριον καὶ ἀσφαλιζομένη παρὰ τοῖς δεκαπρώτοις ἀξιοχρέως ἐπὶ τῷ τέλει τῶν ἐξ ἔθους τριῶν μυριάδων τόκον, ἀγωνοθετοῦντος καὶ προκαθεζομένου τοῦ ἀνδρός μου. ἐπαῦθις δὲ τῶν ἐξ ἐμοῦ γεννηθησομένων τέκνων. χωρήσει δὲ ὁ τόκος εἰς τὰ ἆθλα τῶν θυμελικῶν, καθ' ὡς ἐφ' ἑκάστου ἀθλήματος ἡ βουλὴ ὁρίσῃ. Ex liberalitate mea quadriennale certamen dedico triginta milliũ ſortis: ut pecunia penes me retenta, idoneè apud Decemprimos caueã me ſoluturã, quæ ſolent præſtari XXX. milliũ uſuras, deſignatore & præfecto ipſi certamini marito meo, deincepsq́ filijs, qui ex me gignẽtur: cedetq́ id fœnoris in Thymelicorũ præmia, ſicut unoquoq́ in certamine Senatus decernet. Volui græca ipſa apponere, ut abſq́ exẽplo nos à uulgata lectione receſſiſſe nemo calumniet. Igitur ſi mulier hæc mauult ſemiſſes uſuras præſtare, quàm ipſam ſortẽ, nonne expreſſim iudicat, has non eſſe quinquaginta in centenariũ, ſed ſex? alioquin mulieris huius inſaniã elleboro purgare opus fuiſſet. uerùm & Hermolai ſententiã Budæus in libro de aſſe, Demoſthenis Pliniiq́ autoritate cõprobat: ut minimè dubitem, quin ueriora ueris recenſeat. Idem & alio argumento me annotaſſe memini, cũ antiqua eulogia interpretarer. extat Mediolani Plinij Cæcilij monumentũ, quo inter cætera inſcribitur, eũ in nominibus libertorum ſuorũ collocaſſe centies & decies octies millia nummûm, hoc eſt ſeſtertia CXVIII. itẽ rurſus nummorũ ſexagies ſexies centenorũ, hoc eſt ſeſtertia ſex, & nummos DC. cuius ſummæ incrementũ centũ & quinquagintaſex eſſe ait; nã ſi ꝑ ſemiſſes

l. centeſimus. ff. de uerb. obli.

Soci. in l. iij. §. fin. ff. ad l. Fal.

l. Septitia. de pollicit.

usuras incrementũ computetur, ex suprascripta summa centum & quinquaginta sex denarios in menses lucrifieri cõstabit. mẽstruas enim usuras fuisse suprà diximus, pendiq; eas denariorum quantitate eodem loco Iurisconsultus ostendit. at Pliniũ solitum semissibus pecunias locare, ipse est autor, VII. lib. ad Caninium. In Papin. quoq; responso, titulo depositi, cuius superiore quodam capite memini, L. Titius promittit χορηγῆσαι τόκου ἑκάστης μνᾶς ἑκάστου μηνὸς ὀβολοὺς τέσσαρας, præstare usuram singulis mensibus pro unaquaq; mina obolos IIII. cum enim sex oboli drachmam constituunt, & centum drachmæ minam: sequitur besses usuras præstari, hoc est octo in centenariũ. atqui si Accursij & aliorum uera esset opinio, octoginta pro centenario extorquerentur. non igitur dubito nos ueriora dicere, cum Iustinianus sanxerit, negociatores bessibus fœnerari posse, & non ultrà. ex responso autẽ hoc Papin. colligitũ hoc esse octo in unaquaq; centũ. paulò diffusius hæc explicaui: quoniã adhuc ex recẽtioribus fuere quidam, qui Accursiũ etiã impressis tractatibus defenderẽt: sed (dij boni) tam ineptè, ut nihil peius.

l. Publio. §. Lucius. ff. depositi.

Declarata lex, lecta. ff. si cert. pe. & quid significet decies sestertiûm. Cap. II.

l. lecta. ff. si cer. petatur.



Posteaquam in usurarum tractatum incidimus, licet uulgatam illam Pauli legem interpretari titulo de rebus creditis. Lecta, inquit, est in auditorio Aem. Papinia. præs. præt. cautio huiusmodi. L. Titius scripsi me accepisse à P. Mæuio quindecim mutua numerata mihi de domo sua, & hæc XV. proba rectè dari calendis futuris stipulatus est P. Mæuius: spopondi ego L. Tit. si ea die suprascripta summa P. Mæuio data, soluta nõ erit, tunc eo amplius quo pòst soluã pœnæ nomine in dies XXV. denarios centenos: denarios singulos dari stipulatus est P. Mæuius, spopondi L. Titius: conueniteq; inter nos, ut P. Mæuio ex summa suprascripta menstruos refundere debeam denarios trecẽtos ei, hærediue eius, &c. Huius quãtitatis rationem Paulus Castrensis dum cõmentarijs suis inire uult, mirum est quantũ à recto tramite recedat: & memini cum tyro essem, Paulum Picum præceptorem nostrũ, uirũ alioqui maximi nominis, integræ lectionis tẽpus transegisse, dum calculũ hunc ducit: nihiloq; doctiores hac in re scholasticos ab eo recessisse, quàm aduenerant. hoc igitur primò sciendum est, sestertios & nummos idem fuisse, denariũq; quatuor nummos ualuisse, seu mauis quatuor sestertios: at mille nummos, sestertium unum neutri generis æstimari. ostendit id Budæus Parisiensis, uir clarissimus, in libro quem de asse & eius partibus scripsit: nec in hoc aliqua est controuersia. cæterùm in eo tota lis uersatur an idem sit, promitto XV. sestertia, uel promitto quindecies sestertiûm. Budæus longè hæc differre existimauit: quoniã quindecies sestertiûm, quindecies centena millia sestertiûm nummûm significat, hoc est sestertia neutro genere mille & quingenta: ostenditq; id pluribus argumentis. In cuius nos quoq; sententiã rectà contendimus: quoniã consuetudinẽ hanc loquendi apertissimè demonstrat grauissimus autor T. Liuius. Is belli Punici libro quarto, ita ferè ad uerbũ scripsit. Cum deessent nautæ, Consules ex senatusconsulto edixerunt, ut qui L. Aemil. & C. Flaminio censoribus, millibus æris quinquaginta ipse, aut pater eius census fuisset usq; ad centum millia, aut cui postea tanta essent facta, nautam unũ cum sex mensium stipendio daret: qui supra centum millia usq; ad CCC. millia, treis nautas cum stipendio annuo: qui supra CCC. millia usq; ad decies æris, quinq; nautas: qui supra decies, septem. ecce enim quemadmodum clarè demonstratur, decies æris significare decies centena millia æris. Igitur in hoc responso, siue legamus quindecim mutua, siue quindecim millia mutua, idem est: quoniã XV. millia nummûm intelligemus: quæ summa reddit denarios III M. DCCL. Igitur priore pacto actũ fuit, ut singulis XXV. diebus in centenos denarios singuli pro fœnore redderent: quamobrẽ ex summa suprascripta soluẽdi erãt denarij XXXVII. estq; admodum graue id fœnus, quippe quod centesimã etiã duabus uncijs excedat. reformata ergo pactione, ut omnino CCC. denarij menstrui soluerentur (qua ratione sors annua die fuisset restituta) quæritur quid de usuris: subieceram hoc loco ad ipsum Budæum epistolam, quam quia nimiũ prolixa, & ad institutũ opus parũ pertinẽs erat, summouendam hac æditione duxi, & inter epistolarum mearum regesta seruandam.

Quæ

A Quæ fuerit lex Papia, ex autoribus relatum: Isidorique in canonicis decretis lapsus. Cap. III.



Vædam, inquit Isidorus, IIII. distin. leges dicuntur ab his, qui eas condiderunt, ut Consulares, Tribunitiæ, Iuliæ, Corneliæ. nam sub Octauiano Cæsare suffecti consules Papius & Pompeius legem tulerunt, quæ à nominibus eorum appellatur Papia & Pompeia, continens patrũ præmia pro suscipiendis liberis. quantum hoc loco deceptus sit Isidorus, ex hoc probat, quòd non duo consules legem hanc tulerunt, sed ab Augusto lata est, appellaturq; lex Papia Poppæa. ea cõtinebat, ut si uir & uxor filios non haberẽt, quod alter alteri reliquisset, decima parte fisco adiudicaretur: sublataq; est Honorij & Arcadij impp. cõstitutione, quæ adhuc sub titulo de infirmãdis pœnis cœlibatus legit, ut mirũ sit, eum qui in ius canonicũ scholia illa composuit, eius legis sententiam ignorasse, quę uulgatissimo in libro repertu facillima foret. ad hanc pœnam allusit Iuuen. Saty. IX. *dis. iiij. c. quædam.* *l. fi. C. de infir. pœnis cœlib.*

Iura parentis habes, propter me scriberis hæres,
Legatum omne capis.

Si enim filios non gignebant, decima parte legati mulctabant. ut & non parum admiratus sim, quid super illis carminibus alij sentiant: quandoquidem totus ille poëtæ locus ex hoc capite declarari potest, si illud addiderimus, quæ ex lege Papia Poppæa portio legatario uel hæredi auferebatur, caducã dici: de quo etiam infrà dicetur capite VI. Tacitus libro histo. III. Relatum est, inquit, de moderanda Papia Poppæa, quam senior Augustus post Iulias rogationes, incitandis cœlibum pœnis, & augendo ærario sanxerat: nec ideo coniugia & educationes liberorum frequentabantur præualida orbitate. hinc apud Ausonium, Iurisconsulto qui uxorem duxerat, sed adulterã, dicitur placuisse legem Papiam: quoniam ea cœlibes prosequebatur. uerùm displicuisse Iuliam, quòd eius quodam capite, mariti crimine lenocinij plecterentur, qui adulteras B uxores in matrimonio retinebant. Eandem hanc Papiam esse arbitror, quæ apud Suetonium dicitur de maritandis ordinibus: Hanc, inquit, cum aliquanto seuerius, quàm cæteras emendasset, præ tumultu recusantium ferre non potuit, nisi adempta demum, lenitáue parte pœnarum, & uacatione triennij data, auctisq; præmijs. sic quoq; abolitionem eius publico spectaculo pertinaciter postulante equite, accitos Germanici liberos, receptosq; partim apud se, partim in patris gremium ostentauit: manu uultuq; significans, ne grauarentur imitari iuuenis exemplum: cumq; etiam immaturitate sponsarum, & matrimoniorum crebra mutatione uim legis eludi sentiret, tempus sponsas habendi coartauit, diuortijs modum imposuit. ex his colligere possumus, emendatam fuisse hanc legem à diuo Augusto: cum prius eam Pappius Poppæus tulisset: quare etiam simpliciter ab autoribus Iulia appellatur. Iuuen. Nam placet Vrsidio lex Iulia. non enim ibi intelligenda est ea, quæ in adulteros sæuit: quod alij existimarunt. eiusdem legis aliquo capite etiam cauebatur, ne maiores quinquagenarijs, uel sexagenarijs nuptias contraherent: quod caput à Tiberio legit additum Claudius antiquauit, ut idem Tranquil. scribit: nos certè Iustiniani lege id factũ deprẽdimus, titulo de nuptijs. *l. sancimus. C. de nup.*

De ordine dignitatum quamplurima: & decipi pluribus capitibus Doctores nostros in l. j. ff. de offi. eius cui man. est iurisdict. Cap IIII.



Vm de ordinibus dignitatũ tractatur, solent nostri Doctores ita rem explicare: ut hi quatuor sint: alios enim superillustres, ut patritij & senatores: alios illustres, ut consules, præfectus prætorio: alios spectabiles, quales præfectus urbis, prætor, proconsul: alij uerò sint clarissimi, sicut præsides prouinciarum. quam sententiam & in ipsa serie, & in exemplis nunquam probaui: nec enim usquam probatur, in dignitatum ordine superillustres esse: nec ea dictio satis Latina est. cumq; præfecti spectabiles sint, ostendit Ausonius ab illustrium dignitate solum superari: is in Mosella ita canit: *l. j. ff. de offic. eius cui.*

Quiq; suas rexere urbes, purumq; tribunal,
Sanguine & innocuas illustrauere secures,

Præfecturarum titulo tenuere secundo. C

Quamuis me non lateat, aliter quoque hunc locum accipi posse: quin & Cassiodorus libro epist. VI. dignissimos esse illustres tradit, tum spectabiles: Spectabilitas, inquit, clara, & consistorio nostro dignissima inter illustres ingreditur, inter proceres aduocatur. & rursus: quando, inquit, hic uicinus est honor illustribus, dum alter medius non habetur, delectet te illos imitari, quos proximitate contingis. hinc est ut apud eum toto in opere nulla fiat superillustrium mentio: nec quicquam in Iustin. authenticis necessario in hanc rem probatur: ut non immeritò aliqui etiam ex nostris, à communi sententia discesserint. sed & quod illi tradunt, ultimũ dignitatis gradum esse clarissimos, oppidoquam falluntur: post illos enim subsequuntur perfectissimi. quamobrem Iustinianus cum libro Codi. XII. de clarissimis dixisset, subdit tractatum de perfectissimatus dignitate, ubi imp. Constantinus, codicillis, inquit, perfectissimatus fruentur, qui impetrauerunt, si abhorreant de cõditione seruili, aut fisco, uel curiæ obnoxij non sunt, uel si pistores non fuerint, uel non in aliquo negocio constiterint, nec sibi honorem uenali suffragio emerint, nec rem alicuius administrauerint, &c. ut non parũ mirer, quonam modo maiorum nostrorum diligentiã constitutio hæc fefellerit. cæterùm & quòd illi singulos magistratus sub aliquo harũ dignitatum certo gradu collocant, in eo quoque falli demonstrabo: cum his dignitatum nominibus illustres uiros ad ipsa munera assumi appareat, non autem à muneribus seu officijs ipsis dignitatem accipi. Amianus Marcellin. qui res sub Constantio gestas descripsit, libro XXI. de eo principe loquens: nec sub eo, inquit, dux quisquam cum clarissimatu prouectus est: erant enim, ut nos quoque meminimus, perfectissimi. ostendit idem & Cassiodorus libro VII. dum duabus epistolis formam uerborum tradit, quibus hæ dignitates à principibus solent conferri: ex eo enim noscere possumus, officiorum accessiones has non fuisse. extat Ticini in fronte templi Ioannis in Burgo antiquum marmor, Græcis inscriptum notis, alicuius, ut arbitror, eorum Græcorum, qui sub Iustiniano cum Gothis certarunt: in eo traditur perijsse eum sub consulatu πρόβίνου τοῦ λαμπροτάτου. unde colligitur, eum, tametsi consul esset, solummodo clarissimum fuisse. solent autẽ Græci nostra dialecto priores gradus pronunciare ἰλλούστριοι καὶ σπεκτάβιλιοι. ne quis admiretur si Græcè apud Zonarum Procopium, idque ætatis leuiores autores, ita scriptum reperiat. legi & apud Agennium geometricum autorem, cuiusdam imperatoriæ constitutionis uerba, qua geometras spectabiles esse decernitur, & antequam profiteantur dici clarissimos. perfectissimorum mentionem aliquoties & in eulogijs, & in autoribus deprendi: & cum nostri Doctores profiteantur, præsides prouinciarum esse clarissimos, eorum sententiam ueterum autoritati discordem hinc cognosco. In Hispania Tarracone hæc inscriptio in marmore legitur. Pijss. fortiss. feliciss. D. N. Constantino Maximo uictori semper Augusto, Badius Macrinus V. P. P. P. His. Tar. &c. quas notas sic interpreteris, Macrinus uir perfectissimus, præses prouinciæ Hispaniæ Tarraconensis. Cæleiæ quoque Carnorum alia est inscriptio in hunc modũ. D. N. Fl. Constantino clementissimo, atque uictori Augusto Martinianus V. P. Præses prouinciæ Norici. Indubitatum enim apud nos est illas notas, V. P. uirum perfectissimũ significare. Inter uulgata Panegyrica extat oratio Eumenij Gallicani rhetoris, quam pro restaurandis scholis coram præside Galliæ habuit: eum ipse rhetor compluries inter orandum, uirum perfectissimũ appellat: qui titulus quandoque præscriptis tantum notis, quandoque extensis scriptus est, ut nemini id dubium esse debeat. Mediolani quoque in diui Ambrosij cœnobio, marmori inditum eulogium quoddam ita legitur: Atilius Crescens V. P. ex tabulario palati. quæ uerba non aliter interpretanda crediderim, quàm ut uirum perfectissimum significent: sicut hæ notulæ. V. C. uirum clarissimũ demonstrant. Ambrosius lib. epist. VII. Antiochus, inquit, uir C. hoc est uir clarissimus. & Romæ in foro Traiani sub statua Claudiani poëtæ ita legebatur. Cl. Claudiano V. C. Tribuno & notario: ut malè sentiant aliqui, qui uel quintæ cohortis, uel uirum consularem interpretantur: abolita enim ea ætate erat consuetudo, qua quis consularis diceretur, reciderantque dignitates in semibarbaras hasce appellationes. rursus Tarracone & id legitur eulogium. M. Aurelius Valenti-

in auth. ut ab illustr.

l. j. C. de perfec. dig. lib. xij.

D

A Valentinianus v. c. præses prouinc. Hisp. citer. leg. Augg. &c. nam & Apuleius in Apologia, quam orationem habuit coram Claudio maximo proconsule, eum appellat uirum clarissimum. Indeq; ostenditur, non semper spectabiles fuisse proconsules, sed aliquos quoq; clarissimos. eodem titulo Mauortium Lollianum consulem ornat Iulius Maternus in procemio operis: cum, si uera nostri sentirent, illustris fuisset appellandus. uerùm & idem in iure ciuili probari nemo sanus ambegerit. aiunt ipsi præfectũ urbis fuisse spectabilem: atqui Theod. & Val. quadam constitutione illustrem appellant urbicariam præfecturam. at Ambrosius in epistola ad Valent. cum, inquit, uir clarissimus præfectus urbis Symmachus. aiunt rursus proconsules esse spectabiles: attamen quandoque legi esse clarissimos. Seuerus: si tabulas, inquit, testamenti uir clarissimus proconsul est secutus, &c. quin etiam senatores ipsos solùm clarissimos appellat Constantinus: Clarissimi uiri senatores in hac regia urbe, &c. sed & alibi dicitur: Cum salutatus esset imp. Antoninus à Daciano Auentio, & Opellio Macrino præfectis prætorio clarissimis uiris, &c. Quid igit̃ censendum? & illud scire debemus, tres ciuiũ ordines olim fuisse, senatorũ, equitũ, plebis: qui senatores erant, hi & clarissimi existimabant̃: cuius rei fidem faciunt non solùm quędam suprà à nobis relata argumenta, sed & Vlpiani autoritas, qui cum tradidisset, fœminas nuptas mariti dignitate censeri, subiecit, nuptã senatori, esse clarissimã. Plinius quoq; libro VII. nat. hist. Vestilia, inquit, C. Herdicij, ac postea Pomponij atq; Orfiti, clarissimorũ uirorum coniunx: cum senatores intelligat. sed omnino apertius Aelius Lampridius in Alexandri Seueri uita, præfectis prætorio suis senatoriam addidit dignitatem, ut uiri clarissimi & essent & dicerent̃: quod antea uel rarò fuerat, uel omnino non fuerat, eò usque, ut si quis imperatorum successorem pręfecto prætorio dare uellet, laticlauiam (uestis est senatoria) eidem per libertum summitteret. Alexander autem idcirco senatores uoluit esse præfectos prætorio, ne quis non senator de Romano senatore iudicaret. hæc ille. Hos inter

B clarissimos aliquis erat gradus: siquidem Isidorus etymolog. libro IX. cap. IIII. primi ordines, inquit, senatorum dicuntur illustres, secundi spectabiles, tertij clarissimi, inferius quartum aliquod genus non est: quamuis autem senatoria quisque origine esset, usque ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem senatoriæ dignitatis. Iustinianus quoque cum lege ueteri constitutum esset, ut clarissimi per procuratorem litigarent, de his clarissimis solùm intelligendum sanxit, qui ijdem & illustres essent: & horum descendentes ipsi quoque senatoriam dignitatem habebant: & ideo Vlpianus, senatores, inquit, accipiendum est eos qui à patritijs & consularibus, usq; ad omnes illustres uiros descendunt: nam si aliquis equestris uel plebeij ordinis, beneficio principis in senatum allectus fuisset, ius senatorium ad hæredes non transferebat, nisi insignibus illis fuisset ornatus: hinc apud Cornelium Tacitum consularia, quæstoria, prætoria, censoria insignia: hinc apud Vlpianum uir prçfectorius, speciosus, seu quod idem est, spectabilis, media uox erat, quæ & illustres comprendebat. itemq; solum clarissimos Plinius epist. libro V. & spectatissimos appellasse uidetur: adhibui in consiliũ duos, quos ciuitas nostra spectatissimos habuit, Cærelium & Frontinum, &c. quapropter Vlpianus, speciosas, inquit, personas accipere debemus clarissimas personas utriusq; sexus, item eorum qui ornamentis senatorijs utuntur: quod perinde est ac si illustres dixisset: consularia enim, quæstoria, prætoria, præfectoria insignia, senatorum ornamenta sunt. apud posteriores Cæsares uidentur illustres esse cõsules, præfecti prætorio, magister militum, præfectus urbis, quæstor Cæsaris, quòd hi ipsi principi assidebant, maioresq; magistratus erant: qua ratione & comites sacrarũ largitionũ, item rerum priuatarum, item sacri palatij eadem dignitate censebantur. Qui uerò à senatu sortitò deligebantur, ut proconsules, hi spectabiles erãt: sicut & qui alio titulo ex senatu ad prouincias, uel militiã regendam à principe destinebant̃, ut duces, ut comites consistoriani, ut comites sacri patrimonij, ut comes orientis, ut uicarius præfecti prætorio orientis aut Aphricæ, quiq; illi honore æquati sunt, ut magistri sacrorum libellorũ, ut proximi memorię, ut archiatri, ut comites qui prouincias regunt, ut professores, qui uigesimũ stipendium promeruerint: cæterùm prætor quoq;, item præfectus

l. quicquid. C. de aduoc. diuer. iud.
l. j. si ex fal. inst.
l. ij. C. de his q uen. & impe.
l. ij. C. de sent. pas.
l. fœminæ. §. de senator.
in auth. ut ab illust.
l. fi. de senat.
l. j. de senat.
l. speciosas. de uerb. sig.

uigilum, & ipsi spectabiles erant: non enim sacri consistorij pars iure magistratus sui erant, sed & primicerij domesticorum eódem pertinẽt, neq; non silentiarij. qui uerò his officijs functi iam essent, simpliciter clarissimi dicebantur: quo fit ut quandoq; consularem, id est clarissimatus dignitatẽ lex appellet: senatoria enim dignitas illis remanebat, nec tempore finiebatur. Et hæc quidem quod ad clarissimos attinet sufficiãt. Equestris dignitas clarissimorum gradum consequitur, olim maxima in autoritate, quòd ex equitibus centumuiralis ordo constabat, ad quos pleraque iudicia pertinebant. præfectus quoq; augustalis Alexandriæ eques erat, spectabili dignitate insignis: illustribus enim negatum Aegyptum accedere. Tacitus lib. II. Augustus, inquit, inter alia dominationis arcana uetitis nisi permissu ingredi senatoribus, aut equitibus Romanis illustribus seposuit Aegyptum. Cæterùm & procuratores Cæsaris eiusdẽ ordinis erant, idem Tacitus lib. XII. eodem anno audita uox principis est, parem uim rerum habendam à procuratoribus suis iudicatarum, ac si ipse statuisset. nam & Augustus apud equestres, qui Aegypto pręsiderent, lege agi, decretaq; eorũ perinde haberi iusserat, ac si magistratus Romani constituissent, mox alias in prouincias & pleraque in urbe concessa sunt, quæ olim à prætoribus noscebantur: Claudius omne ius tradidit, de quo totiens seditione, aut armis certatum, libertosq; quos rei familiari præfecerat, sibi & legibus adęquauit. Qui nec ex senatu, nec ex equestri ordine ad dignitates assumebantur, perfectissimi uidentur appellati: quod supradicta Iustiniani constitutio, Amianiq; Marcellini locus ostendunt, quibus ab equestribus, & à clarissimis distingui perfectissimos apparet. Constantinus in cod. Theod. senatores, inquit, apud grauitatis tuæ officium de suis moribus perdoceant: perfectissimi apud uicariam præfecturam, equites Romani & cæteri, apud præfectum uigilum, nauicularij apud præfectum annonæ.

l. ij. C. de dom.
l. j. C. de præp. lib. l. xij.
l. j. C. de eq. dig.
l. j. C. de his qui uen. æt.

Qui fuerint defensores ciuitatum, quid item duumuiri in municipijs, & interpretum nostrorum magna incuria. Cap. V.



DVo sunt in Iustiniani codice tituli, quorum alter de defensoribus ciuitatum inscribitur, alter de magistratibus municipalibus. qua de causa Azo uir ille celebris, & Odofredus, tum alij existimauerunt, defensores eos dici qui in ciuitatibus sunt: municipales uerò magistratus, in uillis seu castris: municipium enim castrum significare. sed quæ amentia hæc? unde hæc sibi somnia isti confinxerunt? nemini enim ita alphabetario præceptori ignotũ esse arbitror, municipes primo dictos ciues Romanos, qui in urbibus suo iure, suis legibus utentes, muneris tantum honorarij cum Romanis erant participes: deinde obseruatũ est, ut unusquisq; suæ ciuitatis municeps diceretur. hinc Plinius in epist. & Comum & Mediolanũ municipia appellat. ostendit idẽ Vlp. Paulusq;, & Festus Pomp. qui tres municipum species refert. magistratus itaq; municipales dicuntur ipsi ciuitatum decuriones: at defensores ciuitatum, non ex decurionibus, sed ex alijs deligebantur treis numero, qui hoc agerent: ne tenuiores, & infimi à nobilibus læderentur: quod ex ipsis cõstitutionibus satis cõstat: ut admirer quo nam modo duo legũ, ut ita dixerim, κορυφαῖοι, aduersus ea docere ausi sint, quę expressim Iurisconsulti ipsi declarant. Ipse quippe Vlpianus ciues ipsos municipes esse dixit in ciuitate, & eorum magistratus à defensoribus differre, ipsæ constitutiones declarant. cæterùm in eo contigit dubitari, duumuirorum magistratus quisnam esset, & in urbe Roma criminalia tractasse T. Liuius libro primo autor est, & de eis etiam multa legere memini apud eum qui titulo Fenestellæ de Rom. magistratibus circumfertur: sed operæprecium est inquirere, qualesnam fuerint in alijs urbibus. Iurisconsultus Vlpianus de his intelligens, omnibus, inquit, magistratibus, non tamen duumuiris, permissum est, iurisdictionẽ suam pœnali iudicio defendere. Angelus, maximos fuisse magistratus istos existimat: alij aliter intelligunt. cõmuni sententia uideť approbari, eosdem esse duumuiros & magistratus municipales. dixerit aliquis: quid hoc refert ad ius ciuile? cui nos, ut inde cognoscamus, an ius mulctam indicendi spectet ad magistratũ municipalem. Igitur ipse arbitror, duumuiros ex ipsis decurionibus duos fuisse; quod ostendit Pau. in tit. de albo scribendo. In albo, inquit, lex,

l. iij. & iiij. C. de def. ciuit.
l. j. ff. si quis iusdi.
l. j. de alb. scr.

quo nam viri defensores ciuitatũ.

A quit lex, præponi debet, qui maximo honore in municipio functus est, ut qui duumuiratum gessit. Item alibi; is qui non sit decurio, duumuiratu uel alijs honoribus fungi non potest. Item rursus alio loco: In duumuiros, & in rempublicam etiam post annum actio datur, ex contractu magistratuum municipalium. Iterum in tractatu de damno infecto: Duas res magistratibus municipalibus prætor iniunxit, actionem & possessionem: cætera iurisdictioni suæ reseruauit, si fortè duratur non cauere, ut possideri liceat, non duumuiros, sed prætores permissuros. duumuirum fascibus uti Impp. constitutionibus cautum est, sub titulo de decurionibus, quod arguit fuisse decurionem. eosdem carceribus municipiorum præfuisse, Iurisconsulti tradunt: sed & eos locare publica solitos Vlp. scribit. meminit horum Cæsar in commentario belli ciuilis primo. Duumuiris municipiorum omnium imperat, ut naues conquirant. mentio est & apud Cæcil. libro epist. IIII. Gymnicus agon apud Vienenses celebrabatur, hunc Trebonius Rufinus in duumuiratu tollendum curauit. Spartianus in Hadriano: per Latina, inquit, oppida dictator & ædilis, & duumuir fuit. apud eos emancipari neminem iure ciuili posse, constitutiones indicant. Igitur duumuiros, in ordine decurionum duos fuisse ex suprascriptis cõstat, qui carcerum curam habebant, qui publica locabant, qui reipublicæ negocia gerebant, qui fascibus utebantur: cæterùm qui ius mulctandi non habebant, sicuti nec defensores ciuitatum, quiꝗ autoritatem emancipationibus interponere non poterant. Vnde constat malè argumentari Doctores nostros, qui magistratui municipali existimant non licere mulctam indicere, & consequenter, neꝗ delegato: item coram eis non posse emancipari, quasi aliquid non permittat toti ordini: quod tamen duobus eorum abnegetur: ut idcirco non dubitẽ, quin ordo decurionũ, & quilibet cui mandata sit iurisdictio, suam iurisdictionem pœnali iudicio tueri possit. quam quæstionem aliquando latiore tractatu commentarijs nostris explicuimus.

l. honores. ff. de decur. — *l. in honorarijs. de ac. & oblig.* — *l. iiij. §. duas.* — *l. duumuirum. C. de decur. lib. xij.* — *l. si quis uxori. §. si fugit. ff. de furtis.* — *l. j. C. de emanci. lib.* — *l. defensores. j. C. de def. ciuita.* — *arg. l. ij. C. de spor. in l. imperium. ff. de iur. om. iud.*

B

Quid sit uigesima, uectigalꝗ illud, declaratæ duæ constitutiones Iustiniani. Cap. VI.



IVstiniani constitutione quadam traditur, edictum quoddam fuisse à diuo Hadriano inductum, sub occasione uicesimæ partis hæreditatis: uideamus quid nam id sit. & sciendum est, cum propter multitudinem exercituum, quos Augustus Cæsar alebat, propterꝗ maxima impendia, quibus fiscus grauabat, maximis egeret pecunijs, instituit legibus latis quædam uectigalia: & ut se excusaret, professus est, diui Iulij commentarijs se edoctum, ut ea institueret. Igitur legem Papiam tulit, quæ multa capita continebat. Primum est, ut si quis extraneus hæres institutus fuisset, is priusquam hæreditatem adiret, uicesimam partem fisco impendere teneretur. qua lege filij & proximiores hæredes non tenebantur. huius rei autor est Dion. Aliud caput erat, ut si hæres institutus uiuente testatore, uel ante aditam hæreditatem decessisset, fisco bona addicerentur: & hoc ab Iustiniano sublatum, titulo de caducis tollendis, nemo ignorat. Tertium caput fuit, ut quod uir uxori, uel uxor uiro legasset, decima parte fisco attribueretur, si filios non haberent: & huic capiti Constantini constitutione derogatũ suprà ostendimus. Primum caput Nerua emendauit: sed non omnino ut dignum erat. Traianus eo solùm teneri statuit alia familia genitos hæredes: quod decretum Cæcilius in panegyrico plurimis uerbis collaudat. Cæterùm Gratianus Imp. in totum uicesimam ipsam sustulit: quod in gratiarum actione Ausonius affirmat. Hinc est quod Iustinianus ait uicesimam hæreditatis de republica recessisse. scribit Pompon. de origine iuris, primum A. Offilium de legibus uicesimæ scripsisse. addit Capitolinus, M. Antoninum philosophum, de uicesima hæreditatum leges tulisse. additum fuit illi legi aliud caput à Tiberio Cæs. quod Claudius antiquauit. ut est apud Tranq. ex his autem non dubito, quin Accursij error intelligatur: qui caduca bona in bellis ciuilibus idcirco attributa fisco tradit, quia homines occidebantur: cum tamen suprà ex Dione propter impendia bellorum latam legem illam ostenderim.

l. fina. C. de edi. diui Hadr. tol. — *l. j. C. de cad. tol.*

Reuocata sub incudem interpretatio l. cretionũ. C. de iur. delib. Cap. VII. C

l. cretionum. C. de iur. delibe.



Retionũ scrupulosam solennitatẽ hac lege (inquit Theo. & Valen. Cæs.) amputandam decernimus, dubitaui quandoq; quid dictio tam insolens significaret: tandẽq; illud placuit, ut intelligamus derogari solennitatibus, quæ in hæreditatũ aditione seruabantur. creui, inquit Festus, significat hæreditatẽ adij: à uerbo crescere, & cernere. Cicero ad Atticum lib. epist. XI. Literas tuas accepi pridie Nonas Feb. eoq; ipso die ex testamento creui hæreditate. sed & idem rursus: Galeonis hęreditati creui. duco enim cretionem fuisse simplicem, quoniam ad me missa est. Idem ad Dolabellam: à te peto, ut me hanc, quasi falsam hæreditatem alienæ glorię sinas cernere. Igitur arbitror, non aliud esse cretionem, quàm aditionem: cum ergo obseruarent in adeunda hæreditate solennitates quædam, eas impp. hac constitutione sustulerunt. cæterùm quæ nam solennitas hæc esset, haud facile dictu est: nisi ex lege Papia introducta fuerit, cuius suprà meminimus: mortuo enim testatore statim hæreditas adiri non poterat: quare dies non nisi ab apertura tabularũ cedebat, quod per Iustinianum emendatũ fuit. sed & hac in re Isidorum pro malo autore ipse nõ duxerim. hic etymolog. lib. V. cap. XXIIII. totã hanc rem sic explicat: Cretio est certus dierum numerus, in quo institutus hæres aut adit hæreditatem, aut finito tempore cretionis excluditur, nec liberum illi est tempus ultra capiendæ hæreditatis. appellata est à decernendo, id est constituendo, quòd hæres debeat decernere: utputa cum sic scribitur, ille hęres mihi esto, additurq; intra dies tot. adeundarum autem hæreditatũ statutus erat certus dies, & ultra cretio non erat, &c. Igitur secundum supradicta accipi debet & Plin. Cæcil. epistola ad Traianum: Iulius Largus rogauit me testamento, ut hæreditatem adirem cerneremq;. In codice Theodosiano uidet cretio solennitas esse, quę in hæreditatibus intestatorũ locũ sibi habebat, ne legi Papiæ fraus fieri posset.

l. f. C. de cad. tol.

Nouo intellectu declarata l. generaliter. §. fi. ff. de decurionibus: disputatumq; quid sit Iudaica superstitio. Cap. VIII. D

l. generaliter. §. fi. ff. de decu.



Os qui Iudaicam superstitionẽ sequuntur, diui Seuerus & Antoninus honores adipisci permiserunt: sed & necessitatẽ his imposuerunt, qua superstitionem eorum non læderent. Verba hæc Vlpiani sunt, titulo de decurionibus: quæ quantũ Accursium, Bart. & cæteros torserint, illud argumento est, quòd cum alibi legissent, Iudęos omnibus honoribus arceri, hoc autem responso uideatur cõcedi: in eam sententiã deuenerunt, ut responsum istud sit correctum, quo nihil putidius ferè potuit dici, quapropter ut nos ueritatem ipsam omnibus notam faciamus, illud scire conuenit, Vlpianum ipsum à Christiana religione fuisse discordem, ethnicorumq; deos coluisse. floruit enim Alexandri imp. temporibus. Aelius Lampridius, Alexander, inquit, Paulum & Vlpianum magno in honore habuit: quos præfectos ab Heliogabalo alij dicunt factos, alij ab ipso: nam & consiliarius Alexandri & magister scrinij fuisse perhibetur Vlpianus: qui tamen ambo assessores Papiniani fuerunt. Idem etiam autor est, neminẽ solum admittere Alexandrum cõsueuisse, præter præfectum suũ, & Vlpianum, & assessores suos: quos propter summã iustitiam singulariter diligebat. Igitur tempore quo Vlpianus uiuebat, nondum recepta erat CHRISTI fides. Primus enim imperator Christianus fuit Philippus, longè Alexandro posterior. cum itaq; à CHRISTI traditionibus alienus esset Vlpianus, non mirũ est si nostram fidem superstitionẽ Iudaicam appellauit. quoniam enim primũ in Iudæa Christiani fuerant, nomine hoc fuerunt dicti. hinc est quod Septimius Florens in apologetico cap. XXI. ostendit Christianos à Iudæis differre: & id non aliam ob causam, quàm quia Gentiles omnino qualis esset nostra religio ignorabãt. Tacitus quoq; hist. lib. primo & uigesimo, ubi Iudæorum superstitiones descripsit: transgressi, inquit, in mores eorum idem usurpant: nec quicq; prius imbuunt, quàm contemnere deos, exuere patriã, parentes, liberos, fratres uilia habere. quę uerba in Christianos ab eo cõtorta sunt. Idem expressius de eis lib. XV. ergo, inquit, abolendo rumori Nero subdidit reos, & exquisitissimis pœnis affecit, quos per flagitia inuisos uulgus

A Christianos appellat. autor eius nominis CHRISTVS, qui Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat: repressaq; in præsens exitiabilis superstitio rursus erumpebat: non modò per Iudæam, originem eius mali, sed per urbem etiam. Idem etiam sub finem libri secundi: actum, inquit, est de sacris Aegyptijs,& de Iudaicis pellendis: factumq; patrum consultum,ut quatuor millia libertini generis ea superstitione infecta, quis idonea ætas, in insulam Sardiniamueherentur, coërcendis illic latrocinijs: & si ob grauitatem cœli interijssent, uile damnum: cæteri cederent Italia, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. & hæc quidem impijssimus autor Cornelius Tacitus scribit: quibus non absimilia Plinius Cæcilius eructat libro, qui inscribitur epistolarum ad Traianum: de Christianis enim loquens, eorum appellat superstitionem, prauam immodicamq;. Item rursus: neque ciuitates, inquit, tantum, sed uicos etiam atque agros superstitionis istius contagio peruagata est. sed & Suetonius, nescio an magis Plinio impurus: is, à Nerone, inquit, affecti supplicio sunt Christiani, genus hominũ superstitionis nouæ ac maleficæ. Spartianus quoque in Caracalla: septennis puer cum collusorem suum, puerum ob Iudaicam religionem grauius uerberatum audiuisset, neque parentes eius, neque autores uerberum diu respexit. Quintilianus etiam libro tertio: est, inquit, conditoribus urbium infame contraxisse aliquam pernitiosam cæteris gentem: qualis est primus Iudaicæ superstitionis autor, & Graccorum leges inuisæ. ex his igitur haud difficulter cognoscere possumus, Vlpianum non de Iudæis, sed de Christianis intellexisse: quod etiam clarius ostenditur ex rescripto, cuius autoritatem citat. nam cum diui Principes Marcus, & Verus, Marcomanis inferrent bellum, eamq; ad inopiam peruenisset exercitus, ut aquæ penuria periclitarentur omnes: Christiani milites precibus largissimos imbres à deo impetrauerunt. cumq; in certamen prodijssent, fulmina faciem hostium perstringebant: impetusq; grandinis eorum animos ita exterruit, ut maximam Romanis uiB ctoriam de se Marcomani præbuerint. unam legionem Christiani nominis id impetrasse Dion autor est, quæ deinde κεραυνοβόλος dicta sit, id est, fulminatrix. Suidas rem omnem in Iulianum quendam mystem conieciſſe uidetur. Igitur imperatores tanti beneficij non immemores, per rescriptum, Christianorum dogma confirmarunt, Christianosq; accusari uetuerunt, eiusdemq; conditionis cum cæteris esse in honoribus adipiscendis constituerunt. meminit huius rescripti Septimius Florens in apolog. cap. v. Si, inquit, literæ M. Aurelij grauissimi imp. requirantũ, quibus illam Germanicam sitim Christianorum militum precationibus impetrato imbri discussam contestatur: sicut palàm ab huiusmodi hominibus pœnam dimouit, ita alio modo palàm dispersit, adiecta accusatoribus damnatione, & quidem tetriore. Igitur in Vlpiani responso legendum est, non diui Seuerus & Antoninus, sed diui Verus & Antoninus. nam Aelius Verus unà cum hoc Antonino imperauit, ut est apud Capitolinum. simili menda corruptos esse textus alijs in locis, ante nos alij admonuerunt.

Aduocatorum honorariũ quam pecuniæ nostræ summã non possit excedere: quid item nostræ monetæ comprendat aureus, de quo in digestis. Cap. IX.



Vm de aduocatorũ mercede, quod honorariũ appellare Iurisconsulti solent, tractatur, solet adduci Vlpiani responsum: quo traditur, permissum aduocatis esse pro singulis causis usq; ad centũ aureos accipere. Quæ uerba solent nostri temporis Iurisconsulti interpretari, ut centũ ducatos, qui nostro tempore cuduntur, significent. quam sententiã quidam recentiores non probant, nec nos unquam probauimus. Igitur scire debemus, centũ sestertios idem esse quod aureum. ostendit id Tranq. in Othone: qui Othonem tradit excubanti cohorti diuidere solitum, quoties cœna principẽ acciperet, uiritim unum aureũ. quod describens Tacitus libro XVII. centenos sestertios dedisse Othonem attestatur. nec obstat quod Iustinianus in institutionibus de libertorum successione scribit, pro mille sestertijs unum aureum cõputari: quia uel accipiendum est ex mille sestertijs aureum pro reditu computari; sic enim lucrifieri contingeret ex dextantibus usuris, & satis id con

l. 1. §. licita. ff. de uar. & extra. cog.

§. postea uero. insti. de succes. lib.

ſtat apud Columellam:uel,quod magis placet,ſenſus legis is eſt,ut cum tempore quo lata eſt lex Papia, ditiores eſſent liberti, quàm ſub Iuſtiniano, ut ipſemet demonſtrat: quod lex Papia diſponebat in eo, qui mille ſeſtertios poſſidebat, ipſe diſpoſuit in eo, qui ſuo tempore poſſidebat,unum aureum.nec enim diuitię Romanorum ſub Iuſtin. comparandæ fuerunt ætati illi aureæ, quæ Auguſti tempore erat. Igitur dum Iuriſconſultus dicit mercedem licitam eſſe centum aureorũ, intelligenda ſunt ſeſtertia decem: ſeu, quod idem eſt, ſeſtertij decem mille: congruitq; quantitas hæc illi, quæ per Claudium Cæſarem taxata eſt. Cornelius Tacitus libro hiſto. XI. nihil, inquit, publicæ mercis tam uenale ea tempeſtate fuit, quàm aduocatorum perfidia. adeò ut Samius inſignis eques Ro. quadringentis nummorum millibus Suillio datis,& cognita præuaricatione, ferro in domo eius incubuerit. Igitur conſurgunt patres, legemq; Titiam flagitant, qua cauebatur antiquitus, ne quis ob cauſam orandam pecuniã, donum ue accipiat. deinde obſtrepentibus ijs, quibus ea contumelia parabatur, diſcors Suillio Sillius acriter incubuit, ueterum oratorum exempla referens, qui famam in poſteros, præmia eloquentiæ cogitauiſſent pulcherrima. alioquin & bonarũ artium principem ſordidis miniſterijs fœdari, ne fidem quidem integram manere, ubi magnitudo quæſtuum ſpectetur: ut quomodo uis morborum precia medentibus, ſic fori tabes pecuniam aduocatis ferat. & paulò infrà. hæc ita haud fruſtra dicta princeps ratus, capiendis pecunijs poſuit modum, uſque ad dena ſeſtertia, quę egreſſi repetundarum tenerentur. meminit huius ſenatuſconſulti etiam Plin. Cæcil. ad Valerianum libro V. ubi affirmat ſe lætari, quòd in cauſis agendis, non modò pactione, dono, munere, uerumetiam xenijs ſemper abſtinuerit. cæterùm uidendum nunc eſt, quam quantitatem pecuniæ noſtræ centum hi aurei, ſeu dena ſeſtertia conficiant. & ſciendum eſt, ſeſtertium, duas libras argenti & ſemiſſem ualuiſſe: quæ ſumma noſtra moneta libris centum plus minus ualet: ut inde cõſequens ſit,ſeſtertium æris, ſeu mauis nummûm,duobus tantum aſſibus noſtris ualuiſſe: cum horum millia ſeſtertiûm argenti neutri generis cõſtituant. Sunt itaque decem ſeſtertia, mille libræ. Qua ratione aureus apud Vlpianum X. librarum noſtrarum ſummã æſtimatione reddet:non,ut noſtri Doctores arbitrañ, quatuor libras. & ita ad æſtimationẽ noſtram redigenda eſt etiam pœna legis Iul. repetundarum, quam Venuleius refert. Is tradit, non licuiſſe magiſtratibus pecuniam accipere, niſi uſque ad centum aureos in anno. quapropter cum Hermogenes ſcribat, non eſſe pauperem, qui quinquaginta aureos habet: intelligamus eum non eſſe pauperem, qui noſtræ monetæ libras habeat quingentas. & hoc quidem modo aurei æſtimatio ineunda eſt,cum eius mentio reperitur in digeſtis. nam tempore Iuſtiniani ſuus ille ſolidus, cuius mille locis mentionem facit,ſubſequuplus erat ad ueterem aureum. nec in eius æſtimatione à recentioribus recedo.

l. eadem. ff. ad l. Iul. rep.
l. nonnulli. ff. de accu.
l. eos. C. de modo mul.
Soci. conſ. xlv.

Adducta quædam de uectigalibus, & nouo ſenſu illuſtratus uerſiculus, ſi de uectigalibus, in l. ſi finita, de dam, infec. Cap. X.

l. finita. §. ſi de uecti. ff. de dam. infe.



LPianus lib. XLIII. ad edictũ,cuius reſponſum ſub titulũ,de damno infecto, Tribonianus redegit,ita ferè ad uerbũ: Si de uectigalibus nõ caueañ,mittendũ in poſſeſſionẽ dicemus, nec iubendũ poſſidere: nec enim dominiũ capere quis poſſidendo poteſt: ſed in uectigali prædio ſi municipes non cauerint,dicendum eſt dominiũ per longum tempus acquiri,uerùm uiſum id Accurſio eſt, alteri reſponſo repugnare, quo Paulus, in uectigalibus, inquit, & in alijs prędijs, quę uſucapi non poſſunt,publiciana cõpetit,&c. & Accurſius ſpecialiter hoc in cauſa damni infecti obſeruari tradidit, ut poſſit præſcribi: alijq; aliter torquenẽ.nobis uideẽ locus ſatis clarus, & id præſertim ſi Higini de limitibus agrorũ uerba audiamus.Is,uectigales,inquit,agri ſunt obligati quidam reipub. P. R. quidam coloniarum, aut municipiorum, aut ciuitatum aliquarum: qui & ipſi plerunq; ad Popu. Ro. pertinentes, ex hoſte capti, partitiq; ac diuiſi ſunt per centurias, ut aſſignarenẽ militibus, quorum uirtute capti erant: amplius deſtinato modo quàm uerus militũ exigebat numerus: qui ſuperfuerant agri, uectigalibus ſubiecti ſunt:alij per annos,alij uerò

l. cum ſponſus. ff. de publi.

mancipibus

A mancipibus ementibus, id est conducentibus in annos centenos, alij quinos, plures uerò finito illo tempore iterum ueneunt, locanturq; ita, ut uectigalibus est consuetudo. municipes autem ipsi per centurias locant, aut uenundant proximis quibusque possessoribus. puto itaque in Vlpiani responso non municipes legendum, sed mancipes: ut hi intelligantur, qui ius uectigalis per centum annos emerunt. aut ergo aliquis non emit ius perpetuum à republica, & nihil unquam præscribit: aut emit, & si non caueat, præscribitur ob dominium illius iuris empti: ita tamen, ut id nihil reipublicæ damno sit. Posset etiam intelligi, si municipes ubi iam fundus reuersus est ad eos, non caueāt præscribi, nisi alia lege urgeremur, qua sancitum est, nec res populi Rom. nec ciuitatum posse usucapi. *l.usucapionem. ff.de usucap.*

L. quidam ignauiæ, C. de decur. libro X. qua fraternitates istæ religiosorum iniquissimo iure reprobantur, declarata ex historijs. Cap. XI.


Xtat X. Cod. Iust. libro quædam cōstitutio, quæ Valenti imp. adscribitur. Ea sancitum est, quicunque monazonio congregantur, tanquam ignauiæ sectatores, & qui munera ciuitatum subterfugiant, debere de heremis extrahi: eorumq; bona eis applicari, qui horū loco munera ipsi subirent. hanc legem cum à religione homines auocare uideatur, Doctores intellexerunt in pseudomonachis tantum sibi locum uendicare: & his qui non dei zelo ducti, sed solùm ut munera subterfugiant, in heremum secedunt. quam interpretationem, ut istis diebus recipiendam puto, ne quid uideatur in iure tam impium, ita ipsius legislatoris longè aliam mentem fuisse attestari libet. siquidem is Valens tam atroci odio monachos prosequutus fertur, ut per Lucium nequitiæ suæ satellitem tria eorum millia ex Aegypti heremis abstraxerit: Macharium eorum pontificem & magistrum in insulam exulare coēgerit. Eusebius Cæsariensis histo. lib. XI. Valens, inquit, uastat heremū, bella quiescentibus indicit: tria millia simul, aut eo amplius uiros, secreta, & solitaria habitatione dispersos, oppugnare pariter aggreditur. Idem attestatur etiam Socrates Episcopus tripart. hist. lib. VIII. cap. VII. sed & Theodoricus in VII. cap. XXIX. Heremi incolas Antonij sequaces Lucius expulit: eorūq; sanctissimos præsules duos Macharios, Isidorumq;, & cæteros speluncis suis eijciens, in quandam insulam, quam impij habitabant destinauit. quinetiam Eutropius: Valens, inquit, impietatem, quam dudum meditatus fuerat, operibus implens, lege data ut monachi militarent: nolentes per tribunos & milites fustibus iussit interfici: quorum innumera multitudo per uastas tunc Aegypti solitudines diffusa constat: præcipueq; apud Nitriam martyrij consequuta est palmam. Paulus quoque Horosius: Valens, inquit, effrenata liber audacia legem dedit, ut monachi, id est Christiani, qui ad unum fidei opus, dimissa secularium rerum multimoda actione, se redegerant, ad militiam cogerentur: uastas illas tunc Aegypti solitudines, harenasq; diffusas, quas propter sitim & sterilitatem, periculosissimamq; serpentum abundantiam conuersatio humana non nosset, magna habitantium monachorum multitudo compleuerat. huc tribuni & milites missi, qui sanctos ac ueros milites dei alio nomine persequutionis adstraherent, interfecerunt agmina multa sanctorum, &c. Sed & Hieronymus in chronica Eusebij: Valens, inquit, data lege ut monachi militarent, nolentes fustibus iussit interfici. quapropter Suidas οὐάλης, inquit, εἰς ἐξορίαν ἔπεμψε πρεσβυτέρους καὶ διακόνους καὶ μοναχούς, in exilium misit Valens monachos. hęc igitur execrabilis est illa constitutio, cuius suprascripti autores meminerunt: idcirco fortasse à Triboniano non reiecta: quoniam aliam interpretationem recipere poterat, præter eam quam Valens ipse probabat: tametsi & id Triboniani impietati potest imputari: quandoquidē Suidas scribit eum fuisse ἄθεον, καὶ ἀλλότριον κατὰ πάντα τῆς τῶν χριστιανῶν πίστεως, omnium deorum cōtemptorem, & præsertim à fide CHRISTI abhorrentē. cui tamen autori uix est ut ego assentiendum putē, cum apud grauissimæ existimationis historicos aliter de Triboniano traditum sit.

l.quidam. C. de decu.li.x.

In inſcriptione epiſtolarum Iuſtiniani, an legendum ſit anteceſſores, an uerò aſſeſſores, diſputatum: & ibi quædam de Pandectis Florentinis. Cap. XII. C.



IN digeſtorum principio extat Iuſtiniani epiſtola, quę mittitur Theodoro, Theophilo, Dorotheo, Iſidoro, Anatolio, Triboniano, aliisq; Iuriſconſultis, quos titulo anteceſſorum uiſus eſt honoraſſe. quamobrem quandoq; dubitaui, ne non anteceſſores, ſed aſſeſſores potius legendum eſſet. cuius emendationis argumentum ex Procopio deprenderam, qui Parthici belli lib. I. Tribonianus, inquit, Pamphilius imperatoris paredrus, quem magiſtratum Romani quæſtorem, Latini Iuriſconſultum uocant. & alibi: Baſilidem fecit quæſtorem, manſuetudine ac æquitate inter patritios clarũ. & alibi: Proclus tunc imperatoris paredrus erat, magiſtratũ quæſtoris gerens, uir iuſtus, &c. quibus in locis interpretis fidem deſidero, qui pro quæſtorẽ ubiq; coceſtorem tranſtulit, neſcius Romanarũ dignitatum uocabula Græco idiomate non rectè pronunciari, quod apud Suidam centies deprendiſſe memini. cæterùm paredrũ Græcè, aſſeſſorem Latinè dici, nemo eſt qui uel ex lexico diſcere nõ poſſit. Scribit Iulius Pollux, Athenis παρέδρους fuiſſe, ſolitosq; principem regem, & imperatorẽ (ita enim interpretor πολεμάρχον) binos aſſeſſores eligere, quos ſecum haberent: neceſſe autem erat quingentorum iudicio hos prius approbari. Igitur his argumentis non dubitabam, quin eo in loco aſſeſſores legendum foret. equidem nunc admodum dubius ſum, cum antiquorum codicum ſcriptura emendationi huic diſſideat: ſemper enim anteceſſores legit. ſed & in Pandectis Florentinorum ante titulum, qui eſt de legatis primo, epiſtolam Græcam Iuſtiniani ipſius legi, qua ita ſcriptum annotaui, μετὰ πατρίκιον τὸν τῆς εὐκλεοῦς μνήμης κυαιστώριον καὶ ἀντικήνσορα, poſt patritium inclytæ recordationis quæſtorium & antecenſorẽ. quam epiſtolam Latinè ſcriptam uulgò habemus in titulo de ueteri iure enucleando. Illud tamen animaduerti, dictionẽ Græcam à cenſore uideri deductam, ut ea ratione procenſor dicatur, qua ἀνθύπατος proconſul. ſed tamen magis arbitror Græcum ſcriptorẽ neſciuiſſe Latinas uoces adamuſſim deſcribere. nec tanta omnino illis libris adhibenda eſt fides, ut eorum autoritate potiores non ſint rationes: quandoquidem & in eis aliquos errores ſcriptoris manu commiſſos agnouimus: ut minimè ἀρχέτυπον illud cum Politiano exiſtimem, ſed potius multis poſt Iuſtinianum ſeculis deſcriptum: ut ineptè faciant, uel qui tantis cum (ut ita dixerim) ceremoniis illud oſtendunt, uel qui etiam ſeria omittunt, ut uideant. Sanè in anteceſſum dare Annæo Senecæ, epiſt. CXIX. uidetur eſſe in nominibus creditorum, quod in ultimis uoluntatibus prælegatum, ut ſuſpicari libeat, anteceſſoris uocabulum ea tempeſtate in uſu fuiſſe: hocq; nomine appellatos qui iura profiterentur. D.

l. tanta. C. de ucte. iure enucle.

Explicata Iuriſconſulti, Grammaticorumq; ſententia, quid donum à munere differat. Cap. XIII.

l. inter donum. ff. de uerb. ſig. l. munus. ſecunda. de uerb. ſig.




DOnum inter & munus hoc intereſſe Vlpianus & Labeo exiſtimauerunt, quod inter genus & ſpeciem. nam genus eſſe donũ Labeo ait, à donando dictum, munus ſpeciem: id enim eſt donum cum cauſa, utputa natalitiũ, nuptiarũ. Martianus autẽ munus eſſe tradidit quod neceſſariò ſubimus: dona uerò quæ nullius neceſſitatis, ſeu officii cauſa præſtantur. ſubditq; in hoc uentum eſſe, ut nõ quodcunq; munus idem donum accipiatur: ſed quod donũ fuerit, rectè munus dicatur. quæ uerba Vlpiani reſponſo aduerſari uidentur. ſi enim donum eſt genus, cur munus non rectè donum dicetur? annotauit id Laurentius Valla, & utrunque Iuriſconſultum damnat: nullum enim donum eſſe ſine cauſa. certè & in hac re aliter Grammatici opinati ſunt, munus ſcilicet hominibus mitti: at dona diis dari. quod Seruius & Donatus exiſtimauit. quorum ſententia ex Plin. Cæcil. uerbis cõfutatur, qui libro epiſtolarum quinto ad Valerianum ſcribit, ſe in orandis cauſis non modò pactione abſtinuiſſe, ſed & dono, munere, xeniis. ſed & Agrætius donũ dantis eſſe, munus accipientis ſcripſit: quo nihil eſt ineptius, & certè agreſtis hic nimis eſt literator. Cornel. Fronto: munus, inquit, eſt quod amicus, uel cliẽs, uel libertus officii cauſa mittunt, uel munus gladiatorium: donum, quod diis datur. inde ubi dona ponunt, donarium

A donarium appellatur. possunt & illa nihilominus dona dici, quæ donant pauperibus diuites & potentes. Illud quoque donum putandum est, quod donatur militibus in castris, ut uallaris corona. Igitur Vlpianus donum latiorem significationem habere tradit quàm munus, negat id Martianus: sed eius sententia nō aduersat Vlpiano: quoniam ipse accipit munus latissimo significatu, cum trahitur etiam ad onera, ueluti munera ciuitatum, munus gladiatorium, &c. Vlpianus uerò munus cum ad largitionē refert, non æquè latam notationem habere putat. Cæterùm quod subiungit Martianus, in eo uentum esse, ut quod munus fuerit, id donum rectè dicatur: ad consuetudinem loquendi respexit, non ad proprietatē: & hoc modo Vallæ impetus coërcetur, tametsi etiam alij aliter dissoluerint, tanquam donum, & generis & speciei nomen sit: quod nō probo. Illud sciendum, in responso Vlpiani, genus & speciem καταχρηστικῶς accipi: sicuti & in institutionibus cū dicitur, populus differt à plebe, sicut species à genere: non aliud enim significatur, quàm latiore sensu accipi populum, quàm soleat plebs. *§. plebs. insti. de iusti. & iur.*

Cur donatio inter uirum & uxorem prohibita sit, Plutarchum nouam rationem assignasse: sed & quædam de libertis uindicta manumissis, nouusque intellectus constitutioni datus. Cap. XIIII.


ANtonini principis oratio, cur donatio inter uirum & uxorē iure ciuili prohibita sit, in hæc uerba ostendit: Maiores nostri inter uirum & uxorem donationes prohibuerunt, amorem honestum solis animis æstimantes, famæ etiam coniunctorum consulentes, ne concordia precio conciliari uideretur, ne'ue melior in paupertatem incideret, & deterior ditior fieret. cæterùm his rationibus aliam addit grauissimus autor Plutarchus, qui Traiani Cæs. præceptor, uir plurimæ lectionis, in opere cui titulum fecit, γαμικὰ παραγγέλματα, sic propemodū scripsit: καὶ γὰρ ὁ ῥωμαῖος νομοθέτης ἐκώλυσε δῶρα διδόναι καὶ λαμβάνειν παρ' ἀλλήλων τοὺς γεγαμηκότας, οὐχ ἵνα μηδενὸς μεταλαμβάνωσιν, ἀλλ' ἵνα πάντα κοινὰ νομίζωσιν. *l. ij. de don. inter uirum & uxorem. in fi.*
B quibus uerbis demonstratur, idcirco prohiberi donationē, quòd absurdum legislator existimauerit, uideri aliquid inter uirum & uxorem, quod commune non esset: præsertim cum sint, ut in sacris literis dicitur, duo in carne una. cum igitur in sponsis hæc ratio locum sibi non uendicet, inde à legislatore permissum est, ut quantum uelit, sponsę sponsus donare possit. Libet & hîc referre, quantum à constitutionibus uideatur recessisse Cornelius Tacitus: is libro hist. XIII. manumittendi duas species institutas scripsit: ut relinqueret pœnitentiæ, aut nouo beneficio locus, quos uindicta patronus nō liberauerit, uelut uinculo seruitutis attineri. quæ uerba indicant tametsi propter ingratitudinem liberti in seruitutē reuocentur, eos tamen nunquam reuocari, qui manumissi uindicta forent. quæ sententia admodum mihi placeret, tum quòd ita Tiberium Cæs. constituisse scribit: tum etiam quòd multis Iurisconsultorum locis quadrare uideo: nisi me Constantini imp. constitutio non parum moueret: is ad maximum præf. præt: Si is, inquit, qui nostro consilio uindicta liberatus est, post coërcionem pœnitentia dignum se præstiterit, ut ei ciuitas Romana reddatur: non prius fruatur beneficio libertatis, quàm si hoc patronus eius oblatis precibus impetrauerit. quæ uerba indicant, & eum qui uindicta manumissus erat, ex ingratitudine in seruitutem reuocari: nisi rescriptū istud alio modo malimus interpretari: ut uidelicet significet, non libertatem quidem amittere, sed solùm ciuitatis Romanæ iura. quod ex eo probatur, quòd requirit lex ut patronus hoc petat: nam si in seruitutem reuocatus foret, non patronus, sed dominus dicendum erat. quòd autem dicitur, non prius fruatur beneficio libertatis: intellige beneficium iustum, quatenus iura Romanæ ciuitatis comprendit. *l. si manumissus. C. de lib. & eorum lib.*

Explicata lex, siue, si mensor falsum modum dixerit: & ex Agennio Vrbico quædam de mensoribus. Cap. XV.


SI mensor falsum modum dixerit, eum ex edicto prætoris teneri cōstat. addit Paulus idem esse, siue de itineris latitudine fefellerit, siue de seruitute immittendi, proijciendique quæratur. contorsit hîc se Accursius: quid enim commune habet mensoris officium cum seruitute immittendi & proijciendi? illa *l. siue. ff. si men. fal. mod. dix.*

enim menſuram non accipiunt: quare intellexit, cum agitur de latitudine loci, in quē mittatur proijciatur'ue: quam expoſitionem ipſe non probo: cum tunc non de ſeruitute ipſa quæratur, ut Iuriſconſultus dixit, ſed de loco in quo ſeruitus cōſtituatur. quapropter ſciendum eſt, menſorum officiū apud antiquos non ſolum in eo uerſari ſolitum, ut agros metirentur, ſed ut etiā pronunciarent: & non de menſuris tantum, ſed etiam de ſeruitutibus. oſtendit id Agennius Vrbicus in libro de cōſtitutionibus agrorum: qui cum de ſeruitutibus itineris, aquæ, pluuiæ, & ſimilibus diſſeruiſſet, ſubiungit, difficillimum eſſe menſori in eis plerunque iudicare. Sed & in iudicando, inquit, menſor uirum bonum & iuſtum agere debet: neq; ulla ambitione, aut ſordibus moueri: ſeruare opinionem, & arti & moribus, omniſq; illa artifici ueritas cuſtodienda eſt, excluſis illis ſimilitudinibus, quæ falſæ pro ueris ſubijciuntur. quidam enim per imperitiam, quidam per impudentiam peccant: totum autem hoc iudicandi officium, & hominem, & artificem exigit egregium. erat æquiſſimum & in aduocatione eandem fidem exhiberi in controuerſijs à menſoribus: ſed hoc poſſeſſores æquo animo ferre nō poſſunt. nam cum his ueritas expoſita eſt, aduerſus ſynceritatem artis eos facere cogunt. multa enim ſunt in profeſſione, quæ generaliter pro ueris aſſerantur, multa quæ ſpecialiter: quædam quæ argumentis etiam mentiri artifices cogunt. & hæc quidem ille de menſoribus refert: quæ idcirco libentius in medium attuli, quoniam is autor nequaquam uulgatus eſt: unà tamen cum Iunio Nipſo, M. Varrone de arithmetica, & Balbo de colonijs Latinis, breui in publicum prodibit: ſi modò per ocium mihi licuerit eos emendare: liber enim ipſe tam abroſis characteribus eſt, ut uix legi poſſit.

l. in ſacris. circa med. C. de prox. ſac. ſcriniorum. lib. xij.

Cur digeſtorū libros hac nota, ff. citemus: itē quid ſit paragraphus. Cap. XVI.



Vid in cauſa ſit, quòd cum digeſtorum aliquem locum uolumus allegare, librum ipſum per duplex ff. ſignamus, quandoq; ut ſententiā meam proferrem requiſitus, non diſſimilia his reſpondi. Cum reſponſa hæc iuris prudentum tanquam in centonem quendam Tribonianus redegiſſet, operi & Digeſtorum & Pandectarum nomen impoſuit: & quoniam Græci ipſi confarctores fuerint, ueriſimile eſt eos ſolitos ſub Græco nomine pandectarum, librū ipſum adducere. Cum itaq; primam tantum notam π̃ cum accentu circumflexo deſcriberent, noſtri Latini eos imitabantur: ſed ſcriptores librarij, qui literas ignorabant, exiſtimauerunt eſſe binas ff. in quam figuram facilè fuit adiecto unco Græcam notā deprauare: & hinc mala hæc ſcribendi conſuetudo inoleuit. Nunc uideamus quomodo apud ueteres paragraphus accipiatur. & ſciendum eſt non tritam, promulgatamq; hanc eſſe uocem: ſed à doctiſſimis quoq; Græcorum ſcribi ſolitam. ſiquidem Hephæſtion autor eſt in Ariſtophanis comœdia, aſteriſcum inſcribi, ubi genus carminis uariatur, eius nota eſt ſtellæ imaguncula: at coronidem apponi, uel cum locorum cōmutatio fit, uel hiſtriones relicto choro abſcedant, uel econuerſo recedat chorus ſubſiſtentibus hiſtrionibus: eius nota eſt linea ab inferiori parte flexa ⅃. Paragraphū uerò eam lineam protenſam hoc modo dici —, quæ περὶ πρόσωπα ἀμοιβαῖα, iambicis & choricis inter ſtropham & antiſtrophum apponitur: huic dipla addi ſolet, redditurq; trigoni obliqui citra baſim ſpecies <. Euſtathius inter poëtarum figuras παραγραφὴν nominat, id eſt paragraphen: quæ fit cum pręcedentia complectentes, ad alia tranſitū facimus, ut apud Homerum, ὣς οἱ μὲν τὰ πένοντο περὶ στρατόν. Idem & alij Grāmatici tradidere: ut poſſimus etiā paragraphen dicere eo ſenſu, quo ineptiores paraphū dicunt. tametſi Iſidorus etymolog. primo, paragraphū ſcribat hac nota [symbol] poni ad ſeparandas res à rebus, quæ incōnexæ cōcurrunt: quemadmodū in catalago loca à locis, regiones à regionibus, in agone præmia à præmijs, certamina à diuerſis certaminibus ſeparanť.

Nouo ſenſu perceptus paragraphus tripli, in inſtitutionibus, de action. & ex Græcis autoribus depromptum quid ſit ſportula. Cap. XVII.



N Iuſtiniani Cod. titulus eſt notiſſimus, qui inſcribitur de ſportulis: ſed & eorum frequentiſſima eſt mentio, paſſim per uaria iuris ciuilis loca. In inſtitutionibus quoque Tribonianus: cum quidam, inquit, maiorem uerę æſtimationis

quantitatem

A quantitatem in libello conuentionis inſeruit, & ex hac cauſa uiatores, id eſt exequuto=
res litium, ampliorem ſummam ſportularum nomine exegerint, tunc ad id quod pro=
pter eorum cauſam damnum paſſus fuerit, reus triplum ab actore conſequatur, &c.
Sunt qui interpretentur ſportulas dici pecunias, quæ nuncijs dantur. addit Accurſius
dictas, quia in ſportulis quibuſdam obligationes ponebant. quæ quantum uera ſint,
iam declarabitur. et ſportulam primò acceptam conſtat pro eo, quod indies clientibus
ſuis ſub limine portæ Romani exhibebant ad uitæ uſum: cuius loco quandoque pecu=
nia dabatur, centum uidelicet quadrantes, ut apud Iuuen. ſaty. prima, & Martialē non
uno in loco legitur. nomē accepit à ſportula, ſeu ſporta, uel ſportella: quæ nomina ſunt
utenſilium ſparteorum ad maioris ſummæ pecunias capiendas. Cæterùm cum aliquis
magiſtratum nouum inibat, uel alicuius lætitiæ cauſa, per liberalitatem pecunias decu
rionibus diſtribuebat, quòd ſingulis dabat ſportula, dici cœptum eſt. quo in ſenſu &
Dion, & Tranq. & Plin. Cæcil. ad Traianum, & Apul. in apolog. & aliqui ex no=
ſtris Iureconſultis uerbum id acceperunt. ſed & alibi pro mercede aduocatis data intel *l. ſi mulier. ff. de do. inter uir. & uxo.*
ligitur, ut apud Cæcil. lib. II. In media baſilica tam palàm ſportulæ, quàm in triclinio
dantur: ex iudicio in iudiciū pari mercede tranſitur. ſed hæc quidem quæ ab alijs etiam *l. ſpurij. ff. de decur.*
tractata ſunt, haud multùm ad ſuperiora iuris ciuilis loca pertinent: quare ut quod ipſe
legerim, in medium proferam, aliter quàm cæteri fecerint, libet ſportulam intelligere.
ſiquidem cum Ariſtophanis nubes per ocium carmine de Greco in Latinum transfer
rem, apudque eum Strepſiadem ſenem mœſtum legiſſem, quòd uereretur ne prytanijs
condemnaretur, Græcum eius poëtæ interpretem, eundemque doctiſſimū uirum con=
ſului: qui prytania nuncupari ſcribit à Græcis, quod Romani ſportulam dicunt. cum
enim conteſtanda lis eſſet, actor & reus pecuniam contribuebant, deponebantque: is
autem qui in cauſa ſuccubuiſſet, omnia pendebat. ea uerò pecunia ſportula dicebatur,
& uel fiſco addicebatur, uel eam iudices pro mercede ſua retinebant. Idem & Suidas
B ſcripſit: qui decimam partē eius, quod à debitore petebatur, pro ſportula dari ſolitam
autor eſt. Igitur cum decima pars dari pro ſportula iudicibus conſueuiſſet, ſi maiorem
ſummam aliquis petijſſet, omne damnū quod ex ea cauſa reus feciſſet, reſarciri illi cum
tripli additamēto Iuſtinianus ſanxit. In authenticis tamen coarctatū id legitur, ut in cen *in auth. de iudic. §. ſi quis autem.*
tenos quoſque aureos, octo exoluerent: cum alioquin denos præſtari neceſſariū fuiſſet.

Conſtitutio, Archigerontes, C. de epi. & cle. declarata, præter Accurſij, cæte=
rorumque ſententiam: & quorundam Grammaticorum error in expoſitio=
ne uerborum iuris ciuilis. Cap. XVIII.


Rcadij Honorijque imperatorum conſtitutio eſt ſub titulo de epiſcopali au
dientia, in hæc uerba: Archigerontes diœcetæque, ἐργασίας ταμείων, nō niſi
Chriſtiani dirigantur, &c. dubitatum fuit quo ſenſu accipi debeat. & in=
ter primos ſe offert Accurſius, qui eos ſacerdotes, quibus delicta ſua in
metallum damnati cōfitentur, Chriſtianos eſſe iuberi hac lege exiſtimat:
idque eo argumento, quòd ſcriptum ſit diocetæ ergaſiotanorum: quæ uerba ipſe inter=
pretatur ſignificare epiſcopos ſeu dioceſanos damnatorum in metallum, id enim eſſe
ergaſiotanos. quæ expoſitio quàm inepta ſit, nemo alicuius iudicij, qui Græcè ſciat, nō
cognoſcet. Igitur fidelis lectio uidetur, quam ſupra retuli: uetant pijſſ. impp. aliquos
præfici qui procurent negocia aulæ principalis, ſeu qui annonam, & penū, & quæ ad
uictum principis palatinorumque pertinent, emant, niſi ijdem Chriſtiani ſint. ἀρχιγέρον=
τες, ſi ad uerbum transferas, principes ſeniorum, ſeu ſummos ſenes ſignificat. qua ra=
tione ἀρχιερεῖς Matthæi in Euan. ſummi ſacerdotes dicuntur. καὶ ἐζήτουν οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ
οἱ γραμματεῖς, πῶς αὐτὸν ἀποκτείνωσιν. diœcetæ uerò procuratores, diſpenſatoresque de=
monſtrat. διοικητὴς procurator, ἐργασία lucrum, quæſtum notat. ταμίειον promptua=
rium, penus. hinc Tamia mulier Homero, σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα. in quo=
libet priuato dicitur ταμίειον. Sed hac in conſtitutione placet intelligere ſolùm de prin
cipis cella: ſicut in XI. Cod. libro de prædijs Tamiacis. Sanè & ταμίας quæſtorem ſi=
gnificat, & œconomum. Et cum Accurſius in harum dictionū interpretatione inſigni=

ter errauerit, non tamen durè agendum cum eo, aut contumelijs insectandum, quod C
quidam Grammatici fecerunt, existimo. siquidem uitia illa temporum fuerunt, nō hominis: perierant enim assiduis bellis non solum Græcæ literæ, sed & Latinæ. at nostra ætate illi ipsi humanioris literaturæ professores, si de significatione uerborum iuris ciuilis errare sibi licere permittunt, cur Accursium non tolerant, in uerborum latinorū sensu cæcutientem? audiui quandoq; irrisum ab Socino Angelum Politianū, quòd ignorasset quis suus hæres diceretur. falluntur Ouidij interpretes in illo carmine, Artificis perijt cum caput arte sua. quòd uidelicet non perceperint quæ sit capitis diminutio. falluntur rursus apud eundem poëtam: Neu uos erronem tellure admittite nostrū. cum uerbum illud iuris erronē non intelligentes, errorem legunt in Sapphus epistola. præuaricantur in Val. Maximum, qui bonorum possessionem non explicant. Labuntur apud Plautum alij in quæstione seruorum, in tribus libertatum speciebus: in eo quod leno filiofamiliâs pecuniam mutuam dare abnegat, ne eum perdat lex. Sunt apud eos trecenta similia, quibus ipsi miserrimè hallucinantur: & deinde non erubescent in Accursio nihil prorsus uelle desiderare.

Callistrati responso in l. semper, de iure immunitatis, restituta Græca diuorum fratrum epistola. Cap. XIX.



Libet in eorum gratiā qui græca didicerūt, particulā rescripti referre, quod à diuis fratribus emanatū, à Callistrato Iurisconsulto citatur, titulo de iure immunitatis. Verba ita se habent: ἦσαν καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν προφάσει τῶν ναυκλήρων, καὶ τὸν σῖτον καὶ ἔλαιον ἐμπορευομένων εἰς τὴν ἀγορὰν τοῦ δήμου τοῦ ῥωμανικοῦ ὄντων ἀτελῶν, ἀξιοῦντες τῆς λειτουργίας διαδιδράσκειν, μήτε ἐπιπλέοντες, μήτε τὸ πλέον μέρος τῆς οὐσίας ἐν ταῖς ναυκληρίαις καὶ ταῖς ἐμπορίαις ἔχοντες, ἀφερεθήτω τῶν τοιούτων ἡ ἀτέλεια. Fuere & quidam alij sub nauiculariorum prætextu frumentum & oleū mercantium in foro populi Romani, qui immunitate fruebantur, æquum ducentes publicas functiones subterfugere: cum neq; nauigent, neq; plurimam substantiæ partem in D
nauicularia & in mercatura habeant: huiusmodi igitur uiris immunitas auferatur, &c. existimo autem hac in lege accipi forum Romanicum, non forum quod Romæ foret, sed ἀγορὰς, id est cōciliabula cōuentusue, in quibus annona uenalis esset: quæ deinde Romam portabatur, alioquin dictio illa ῥωμανικοῦ multum insolens est: ut ea ratione dictum sit ἀγορὰν τοῦ δήμου τοῦ ῥωμανικοῦ, qua horreum populi Rom. Siciliam, Aegyptum, Libyam Aristides appellat in oratione εἰς τὴν ῥώμην.

Isauri latrones, Buccellarijq; in cōstitutionibus quales accipiēdi sint. Cap. XX.



ISauros, qui populi Lycaonibus Pamphilisq;, & Gallogræcis finitimi sunt, latrocinijs infames fuisse Strab. XII. refert: quos cum Seruilius superasset, & ad internetionē redigisset, Isauricus dici meruit. Eosdem Amianus Marcel. in XIIII. scribit sub Gallo Cæsare ad pristinas artes relapsos, piraticam quoq; exercuisse: & coacto ualido exercitu, etiam à legionibus Rom. se aliquandiu tutatos, cū finitimos populos diripuissent: ut non immerito horum audaciam ulturi Arcadius & Hon. Impp. etiā uenerandis paschatis festis, eos ad supplicium duci permiserint, nulla feriarum ratione habita. Leo quoq; Imp. lege Iulia, de ui publica, eos teneri sanxit, qui uel Isauros, uel Buccellarios domi alerent. qui autem fuerint Buccellarij, non ita facile repertu est. Suidas Buccellarios Gallogræcos dictos fuisse scribit: & Buccellariorum regionem, Gallogræciam. Is qui sub Theodosio iuniore militiā Rom. descripsit, autor est, Buccellarios equites fuisse in exercitu Romano, quibus magister militum per orientem præerat, aliosq; iuniores dictos, alijs seniorum nomen fuisse: ut existimare libeat, milites hosce cum missionem accepissent, latrocinari, & rapto uiuere solitos. sed & fortasse gentis uitium hoc fuit. Isauri enim Gallogræcis proximi, cū huiusmodi socijs latrocinia exercebant. Iustinianus quadam constitutione fabricari priuatim arma prohibet, quæ Isauris μονοκῶπα dicuntur, quæq; itē Sitinnos uocant, seu uersabilia. sic enim legendum & in antiquissimis codicibus, & in eo opere, quod sub nouellarum Iustiniani titulo circumfertur, deprendi. dicta sunt fortasse

l. prouinciarū. C. de ferijs. l. fi. C. ad l. Iul. de ui pub.

in auth. de armis. §. fin.

A tasse μονοκώπια, quòd solo manubrio cōsistant, uel quòd etiā remi uicē præberet: Piraticā em̄ exercuisse Isauros suprà scripsi. nō me latet id nominis κοπὶς falcē, seu teli quoque genus significare apud Græcos: sed magis placet ἀπὸ τῆς κώπης ea tela nuncupari.

Emendata lex prima, & rursus lex ultima, in tit. naut. caup. stabul. & qui sint mesonautæ & epibatæ: & aliorū error qui nautobatas legunt. Cap. XXI.



IN eius edicti interpretatione, quo nautas, caupones, stabularios, ut recepta reddant, compelli posse prætor iubet, scribit Vlp. pro nauta intelligendum esse exercitorem: nō enim dominus debet per remigem, ut mesonautam obligari. Interpretatur Hermolaus uilis mancipij nomen esse mesonautam, qui in medio nauis ad imperia omniū excubet: qua ratione mediastini in domo dicuntur. quam sententiam alacrius probarem, nisi in Pandectis Florentinis μησοναυτὴν per ἦτα scriptum esset. subsequitur idem Iurisconsultus: & sunt quidam, qui in nauibus custodiæ gratia præponuntur, ut sunt diætarij. fuit tempus cū legendum existimarem διαιτάριοι: in ipsis tamen Pandectis legitur ναυφύλακες. sed & subsequitur: Si quis igitur ex his suscepit, puto in exercitorem dandam actionem: quia is qui eos huiusmodi officio præponit, cōmitti eis permittit: quanquā ipse uel nauicularius, uel magister id faciat, quod Græci χειρέμβολον appellant, id est manus immissionem, &c. nō me latet à nobis quandoq; aliter lectū fuisse: sed quod nunc probamus, Pandectarum Thuscarum lectioni conuenit: igitur ueterum exemplo cum meliora nactus sim, παλινῳδῶ. Apud eundem Iurisconsultum ita ferè alibi legitur: Si nautæ inter se damnum dederint, hoc ad exercitorem non pertinet: sed si quis sit & nauta & mercator, debebit illi dari. & quid si quis ex his sit, quos uulgò ναυτεπιβάτας dicunt: & huic tenebitur: sed & huius factum præstat, cum sit & nauta. per nautepibatas intelligi eos arbitror, qui nauem inscendunt: & pro precio uecturæ, seu naulo, ipsi nautarū officio funguntur: ἐπιβαίνω, inscendo. non me latet quosdam nautobatas legere hoc in loco,
B & eos interpretari, qui per funes nauium inscendunt: sed hoc nō multùm quadrat sensui, & ex archetypi, quod aiunt, lectione genuinum non esse Iurisconsulto cōuincitur. sanè hic aliqua de epibatis dicerem, nisi hoc instituti nostri minimè esset, uocabula uidelicet interpretari. satis enim id lectori esse debet, si ea attingimus, unde ipsorum Iurisconsultorum sententia possit explicari.

LIBRI TERTII FINIS.

ANDREAE ALCIATI IVRISCONSVLTI IN LIBRVM QVARTVM DISPVNCTIONVM, PRAEFATIO.



SICVTI optimum quenq; militem in ultima acie collocabant ueteres Rom. Imperatores: ita & scribentē me in hac literaria palæstra, meliores obseruationes sub operis finem seruare æquum fortasse fuerat: cum præsertim auiditate rei adducti, prima quæque etiam non digna perlegamus: at in processu, nisi operæprecium sit, utpote fastiditi, minimè persistimus. uerumenimuero neque à nobis tam scrupulosè scribi conueniebat: tum quòd multorum exemplo & per satyram factus hic liber, ne omnem gratiam amitteret, non uerebar: tum etiam quòd uel sola breuitas fastidium id uidetur ablatura: nisi quisquis is fuerit, lector, non dicam delicati stomachi, sed planè imbecilli fuerit, polliceri multa, & uel merces Indicas quarto hoc me libro traditurum nequaquam ausim. quid enim hoc opus, ubi id protinus præstandum est, quod spoponderis: atq; ubi Græca solùm fide cōtrahatur: illud tantum etiam iuratus affirmare possum, bona me fide cū omnibus doctis agere: quapropter nil ultra à lectoribus postulare, quàm ut paria mecum faciant. risi certè superioribus mensibus ineptam μικρολόγου cuiusdam (cur enim non ita appellem eum, qui leuissima quæque insectatur?) parænesim. Is cum quoddam Dispunctionum caput legisset, in contrariā statim iuit sententiam, uulgatamq; interpretationē ita cœpit defendere, ut argumenta à glossematis

Accursij cõfingeret, dictiones impropriè ex fece Doctorũ conformatas inculcaret: breuiter ita pro cõmuni staret, ut clypeo solùm se tueretur, hasta non impeteret. quis dubitat nihil à ueritate tantum abhorrere, ut dicendo (quod ille ait) probabile non fiat: at si quisquis ille ita in animũ sibi induxisset, ut arma potius pro nobis indueret, eadem ratione, & fortasse facilius communia impugnasset: ut nesciam magis faustum fortunæ numen Bartolus habuerit, an iratum quidam alij senserint: cum quæ ille scripsit, cæteris reiectis ita probentur, ut pro eis omnes pugnent: nõ quòd is ueriora alijs, sed quòd popularia magis ædiderit. quapropter non falsò crediderim mentiri Satyrũ, qui in uirtute nullas fortunæ uires tradidit: cũ quotidie uirtutis atq; existimationis præmia inde etiam pendere uideamus, ut & ipsi mihi implorandum eius numen sit, ne nullo non in loco inconstans hæc dea lasciuiat. C

Quid sit propriè nomen, errare uulgares Grammaticos: & noua interpretatione declaratus §. primus, in l. pater. de leg. iij. Bartoliq; & cæterorũ in hac re hallucinatio. Cap. I.

§. si quis nomine. inst. de legatis.



SI quis in nomine testator, uel cognomine, prænomine, agnomine, legatarij errauerit: si de persona constet, nihilominus ualet legatum: idemq; in hæredibus seruari, Iurisconsulti tradunt. declarauit hæc uerba Accursius, ut intelligendum existimet nomen, quale sit Albertus: cognomen uerò quasi familiæ, seu cognationis uocabulum sit, quale est Asinellorum, quę gens fuit Bononiensis. qua ratione nomen mihi erit Andreas, cognomen Alciatus: & sic in similibus. nemoq; est in præsentem diem, cuius uulgata sit opinio, qui non in sententiam Accursij iuerit. Iurisconsulti, Rhetores, Grammatici, turmatimq; cæteri id genus scriptores, non uno in loco hoc prodiderunt. qua ratione Matthæus & Pantheus Veronenses Plinium ex Secundorũ familia fuisse tradiderunt: sicut alij Valeriũ ex Maximorum, Tullium ex Ciceronũ gente natos asserere minimè dubitauerunt. quam sententiam penitus falsam esse spero fore, ut nemo tandem dubitet. & in primis illud nobis cum cæteris nequaquam cõuenit, in nominibus Romanorũ, qualia sunt, C. Iulius Cæsar, quod nomen propriè dicimus, simplicẽ hominis appellationẽ comprendere, sicuti præsenti æuo Albertus, Andreas, Franciscus, & similia. illa enim Iulij nuncupatio etiam familiæ nomen comprendit: quapropter Cæsar ipse ex ea appellandi formula, ex Iuliorum familia fuisse ostenditur: ut non præter rationẽ eius filia Iuliæ quoq; nomen habuerit, quam nuptã Cn. Pomp. nemò ex Tranq. Plutarcho, Lucano ignorat: sed & ipsius amitam eodem modo dictam ex eius oratione Tranq. refert: amitæ meæ Iuliæ paternũ genus dijs immortalibus coniunctũ est: à Venere Iulij, cuius gentis familia est nostra. nam & idem autor est, Claudium Tiberiũ familia Claudia fuisse. patritia gens, inquit, Claudia orta ex Regillis oppido Sabinorũ, inter cognomina & Neronis assumpsit, quod significat lingua Sabina fortis & strenuus. Idem in Nerone: Ex gente, inquit, Domitia duæ familiæ claruerunt, Caluinorũ & Aenobarborũ: ostenditq; Domitium nomen, nõ cognomen esse. hinc Cn. Domitius Neronis atauus, & alij eodem nomine usq; ad Neronẽ: qui & ipse Domitius dictus est, ut scribit Tacitus. qua ratione C. Suetonius Tranquillus, C. Suetonium lenem patrem sibi fuisse attestatur. hinc in antiquis inscriptionibus eodem nomine parentes cum filijs annotatos plerunq; legimus: qualis illa Mediol. ad Victoris Martij. D. M. Aurelio Ian. signi. ex numer. Dalmat. fort. & Aurelio Valentiano exarcho posuit Aurel. Iustus. pater, &c. ecce enim quemadmodum Aurelij nomẽ patri filijsq; cõmune, ostendit familiã significare. nam si ipsum cognomen familiã referret, quomodo Ciceronis, Scipionis, Neronis filia nuncuparetur. hæ enim appellationes fœmineũ sexum nõ comprendunt. quapropter Ciceronis filia Tullia, seu per diminutionẽ Tulliola dicta est, quoniã ipse ex Tulliorum, non Ciceronum fuit familia. quod & in legibus ostendit, dum addubitat, num sui maiores à M. Tullo rege originem trahant. cæterùm & alijs autoribus sententiã nostram probare facilimũ fuerit. Val. Maximus libro VII. autor est, Q. Metellum plures & celeberrimos eiusdem nominis uiros præterijsse, ut extraneũ hæredem institueret, nemo D

certè

A certè aliud per idem nomen hîc intelliget, quàm eandem familiam. Cincius, Gentiles, inquit, mihi sunt, qui meo nomine appellantur. tradidit idem & ad Trebatiũ scribens Tullius in Topicis: Gentiles sunt, qui inter se eodem nomine sunt, & qui ab ingenuis oriundi sunt. extat penes me Val. Max. quoddam opusculum, quod inscribitur de nominibus Rom. in eo ita ferè legitur: Romanos arbitrandum est maximè ab Albanis & Sabinis multiplicandorum nominũ consuetudinẽ traxisse: quoniam ab illis orti sunt: omnia autẽ quæ ad unumquenq; nostrũ differendum excogitata sunt, à nomine differunt: quia eo gens cognoscitur, ideoq; gentilitiũ dicitur: cætera ordine uariantur: nam quod præponitur, prænomen: quod postfertur, cognomen: quod ad ultimũ additur, est agnomen. sed quædam cognomina in nomen uersa sunt, ut Cepio, qui hunc in Bruto nominis locum obtinuit, &c. Diomedes quoq; Grammaticus eandem sententiam pluribus explicat: qui prænomen, inquit, est quod nominibus gentilitijs præponitur, ut M. P. C. nomen proprium est. gentilitiũ, quod originem gentis uel familiæ declarat, ut Portius, Cornelius, Iulius. cognomen est, quod uniuscuiusq; propriũ est, & nominibus gentilitijs subiungit̃, ut Cato, Scipio, Cæsar. agnomen est, quod extrinsecus cognomentum adijci solet ex aliqua ratione, uel casu quæsitum, ut Censorinus, Aphricanus, &c. Idem & in Græcis nominibus fuisse Aruntius Claudius asserit, ut hoc exemplo, Alexander Dardanus Paris, Achilles Aeacides πόδας ὠκύς. ex his declaratur Scæuolę responsum, titulo de manumissis test. qui enixa matre sublatum filiũ nomine patris uocitatum tradit. quod alia ratione dictũ non est, quàm ut ostenderet iura familiæ eum semper retinuisse: ut non omnino imprudenter Baldus scripserit: qui si posthumus nascatur, appelleturq; nomine aliquo paterno, eius filium fuisse præsumi tradit, cuius nomen refert: licet Iason in contrariam iuerit sententiam. nam & alibi in iure plerunque patres filijs cognomines annotaui. Papin. Imperator Hadrianus, cum Iunius Cerealis filio suo Iunio Simonidi, si in potestate sua esse desijsset, &c. Paulus de hæredibus instit. Pacumeuius Androsthenes Pacumeuiã Magnam, filiã Pacumeuij Magni, ex asse hæredem instituerat, &c. Illud παρέργως, Pactuleium potius uideri legendum, sicut & Noniũ Rufum; quorum necis in Cõmodi uita meminit Ael. Lampridius. Igitur & Aphricanus titulo sol. mat. Titia diuortium à Seio fecit: hanc Titius in sua potestate esse dicit, &c. & id quod tradidimus, regulariter uerum est: alioquin me nõ latet, legi etiam plures filios, quorum diuersissima sunt à parentibus nomina: sed id idcirco accidit, cum filij emancipati in alienam familiã irrepserũt, ex arrogatione adoptionéue, uel alia causa: puta quia hæredes ab aliquo instituti fuerãt, cuius nomen ferre erant testamẽto iussi. quandoquidem lege Diocletiani permissum est unicuiq; prænomen, nomen, cognomen sibi mutare, dum id in alicuius fraudem nõ fiat. Cæterùm & serui cũ manumittebantur, domini nomen accipiebant, eiusdemq; cũ domino familiæ censebantur. quapropter Pomponij Attici seruus Dionysius, postquã uindicta liber factus est, cœpit appellari M. Pomponius Dionysius: idem de Eutychide à T. Cæcilio manumisso, qui factus est T. Cæcilius Eutychides: ut est apud Cicer. libro quarto epistolarũ ad Atticũ. cuius cõsuetudinis etiã meminit Tertullianus, & latius explicat Politianus quodam capite Miscellaneorum: ut iam in promptu esse possit, quemadmodum Seruidij Scæuolæ responsum percipi debeat: duobus libertis Sticho & Erote hæredibus institutis, ita cauit: fundum Cornelianũ de nomine meo exire ueto. unus ex hęredibus Stichus ancillam Arethusam testamento liberam esse iussit, eidemq; partem suã fundi legauit. quæro an hæres, & cæteri colliberti Stichi ex causa fideicõmissi eius fundi partem ab hærede Stichi petere possint. respon. nõ contineri. Intelligendum autẽ est non contineri scilicet fideicommisso, & consequenter ab Arethusa restituendum fundum non esse. quod quidem responsum optima ratione subsistit. Finge testatori ex consuetudine Romana nomen fuisse Caio Sempronio Tuditano, qui manumiserit Erotem & Stichum: his huiusmodi nomenclatura attribuetur, C. Sempronius Eros, item, C. Sempronius Stichus. rursus pone Stichum Arethusam liberam esse iussisse, ea dicetur Sempronia Arethusa. cum ergo testator Sempronius Tuditanus uetuerit fundum de nomine suo exire, si Arethusa id habeat, fideicommisso locus non erit, cum & ipsa

l. uxorem.

Ias. in rubri. so. ma. in iiij. col.

B l. imp. ff. ad Trebel.

l. si. ff. de hæred. insti.

l. pater. §. 7. ff. de leg. iij.

Sempronia sit, nomenq́; hoc est familiam, testatoris retineat: ut iure mirari possimus qua ratione Accursius, Bartolus, cæteriq́; ad remotissimam dictionẽ uerbum illud non contineri retulerint, intellexerintq́; Iurisconsultũ negare testatoris nomine Arethusam contineri. quam interpretationem dum quoquo modo defendere satagunt, per cauillationes alius Iurisconsulti responsa peruertũt. Fidei (inquit ille) hæredum meorũ committo, ne fundum Tusculanũ alienent, & ne de familia nominis mei exeat. secundum uoluntatem eos quoq; inuitatos intelligendum est, quibus hæredes extranei fideicommissam libertatem reddiderant. ratio enim huius responsi fuit: quoniã qui ex iussu testatoris manumittuntur, in illius nomen succedunt: quamobrem fideicommissi uerbis comprenduntur, sicuti & in suprascripto Scæuolæ responso: non autem id ex præsumpta tantũ testatoris uoluntate inducitur, quia iusserit eos manumitti, ut Accursius, Bartolusq́; censuit. reperitur etiam aliquoties in iure ciuili hæc dictio nomen: & hoc non alio significatu, quàm familiæ seu gentis. Illud tamen sciendum est, familiam à gente, significatione differre: quoniam gens latius accipitur, ut comprendat omnes eiusdem stipitis & nominis, etiam millesimo gradu disiunctos: Familia magis ad agnationẽ refertur: quod ex Tranq. in Nerone cognitu facile est. & hæc quidem satis.

l. cum pater. §. fidei. ff. de le. ij.

l. ultima. in fi. ff. de grad. succes.

Restitutũ Græcũ adagiũ Iurisconsulto, titulo de iureiurãdo. l. si duo. §. fi. Cap. II.

l. si duo. §. fi ff. de iureiur.



Lpianus libro ad edictum XXII. cuius responsum sub titulo de iureiurando in Pandectis hodie legitur, ita ad uerbum scripsit: Si quis iurauerit in re pecuniaria per genium principis dare non oportere: uel intra certũ tempus iurauerit se soluturũ, nec soluerit: Imperator noster cum patre rescripsit, fustibus eũ castigandum dimittere, & ita ei superindici, προπετῶς μὴ ὄμνυε, &c. Verba hæc sunt reũ admonẽtis, quæ sic Latinè transferas: petulanter, seu temere ne iura. uerisimile autem est uulgò fuisse iactatum huiusmodi dictum: & quod ferè prouerbij loco usurpari posset. Suetonius in Caligula, non multùm dissimilis irrisionis facit mentionem: alterum, inquit, qui se pro salute ipsius periturũ uouerat, cunctantem pueris tradidit uerberatũ, infulatumq́;, ut uotũ reposcentes, per uicos agerẽt, quoad præcipitaretur ex aggere. uerùm has irrisiones, cum quis per ora hominũ cum infula defertur, Græci παραδειγματίσαι appellant: id enim fit ut exemplo cæteris sint: Latinè traduci dicitur Liuio & Tranq. in Vesp. & in Euangelio Matthæi. Cæterùm & in eodem Iurisconsulti loco sic legitur: nunquid ergo qui iurauit furtũ se nõ fecisse, hoc solo nomine condictione, si cõueniatur, exceptione utatur: cæterùm si contendat, qui condicit, quasi cũ hærede se furis agere, non debeat repelli: & quasi μονομερῆ condictio ei dari debet. uocem Græcã, unius partis, ad uerbũ interpretaberis: quod nec Accursium fefellit. sed hanc ego uocẽ à iurisconsulto de rhetoricis libris acceptã crediderim. siquidem scribit Hermagoras, in causis quatuor modis nõ consistere defensionẽ: quorum unus est qui uocatur μονομερής, cũ ex prima parte tantũ, hoc est persona agentis, cõstat causa, nec quicquã ex secunda afferri potest, ut sunt loci cõmunes. uerbi gratia, leno qua parte uenturos ad se adolescẽtes sciebat, foueã fecit occultam, ea iuuenes perierunt: accusatur quòd causam mortis præstiterit: hîc lenoni nulla defensio est. appellatur id genus etiam ἑτερομερὲς & κατ' ἑτερομερείαν, ut Chyrius Fortunatianus scribit. additq́; nõ multùm esse huic dissimile, quod ἀσχημάτιστον dicitur. cum ergo Iurisconsultus eum qui iurasset se furtũ non fecisse, nõ solùm actione furti, sed etiã condictione tutum ostendisset: dubitauit an id tantũ procederet, cum hoc solo nomine, id est ea sola causa conuenitur, quòd ipse furtũ fecerit, an uerò etiam procedat: cum non tanquam ipse fur, sed tanquam furis hæres conuenitur. & respondit non procedere, quapropter actorem habere condictionem μονομερείαν, id est, quæ ex parte rei nullam defensionem habeat: non enim iuramentũ ad hunc casum extenditur. & hic uerus est legis sensus, quem nec Accursius, nec alius quisquam, cuius ædita sit sententia, satis perspexit.

§. idem Iul.

Qui fuerint exconsules, exquæstores, expatritij. Cap. III.



N Iustiniani principis constitutionibus, quarundam dignitatum nomina referuntur: quæ quidem si simplici, & consueta forma annotata forent, nemo est qui non intelligeret: sed quoniam præpositionis cuiusdam additamento scripta reperi-

A pta reperiuntur, quamplurimis etiam doctissimis uiris uestigandi anxietatem præstiterunt: sunt autem hæ dictiones, exconsul, exquæstor, expatritius, & si quæ aliæ similes. existimauit P. Crinitus in libris de honesta disciplina, exconsules esse eos, qui consules fuerant, sed nunc magistratu functi sunt, idemq́ in cæteris: ut qui Ciceronis tempore consularis diceretur, ab Iustiniano sit exconsul nuncupatus. quã quidem sententiam prorsus sequerer, si uel scriptorum eius autoritas, uel rationibus aliquibus id ipse persuaderet: cæterùm cum autorem hac in re nullum laudet Crinitus, non arbitror tantum illi deferendum, ut eo contenti simus, αὐτὸς ἔφα. Igitur ut eius dicto nos intercedamus, quandoq́ opinatus sum exconsules dici, qui consularem quidem dignitatem habebant, sed administratione carebant, & commodis: qualem patrem suum Ausonius describit:

Curia me duplex, & uterq́ senatus habebat,
Muneris exortem, nomine participem.

argumentumq́ huius rei mihi erat impp. Leonis & Anthennij cõstitutio, qua fisci patrono post biennium cõcedi dicitur exconsularis moderatoris prouinciæ dignitas. sed an fortasse uerius: consulem idem esse quod exconsulem, & temporum uitio, quæ iam in barbariem dilapsa fuerant, hanc Latini sermonis inductam corruptelam. ostenditur id ex Iustiniani constitutione secunda, titulo de ueteri iure enuclean. nam in principio constitutionis Tribonianum exquæstorem appellat, quem inferius simpliciter quæstorem dicit. Sed & in autographo Græco, unde illa effecta est, sic legitur: πᾶν τὸ ἔργον τοῦτο τῷ ὑψίστῳ ἀνδρὶ Τριβωνιανῷ ἐπετρέψαμεν τῷ ἀπαγγελιάρχῳ καὶ τοῦ ἱεροῦ ἀνακτόρου ταμίᾳ τε καὶ ὑπάτῳ. quæ uerba sic ipse Tribonianus, ut arbitror, Latinis reddidit: & omne studium Triboniano uiro excelso, magistro officiorum, & exquæstori sacri palatij nostri, & consuli credidimus. hinc euidentissimè apparet, uerbum ταμίας, quod nos quæstorem solemus uertere, exquæstorem, quod idem est, dictum. qua ratione etiam Exarchum,
B quem Rauennæ Constantinopolitani Cæsares constituebant, nomen sumpsisse uerisimile est, quasi τὸν ἄρχον: tametsi ἔξαρχον quoq́ suum Athenienses habuerunt, ut onomasticωn VIII. Iul. Pollux scribit. nam & hæc præpositio in cõpositione quandoq́ ferè nihil à simplici significatione uariat: quod liquidò apparet in dictione ἐξάγγελος, ἔξαρον, ἐξανθῆσαι. Isidorus tamen Criniti sententiæ, quæ eadem & Accursij fuit, autor, dum qui consulatu excesserunt, exconsules interpretatur, non parum me mouet, ut fortè exconsules interpretari debeamus, qui consulari dignitate ornati sunt: siue quia nunc consules sint, siue quia fuerint: quamuis etiam re ipsa eius honoris administrationem nunquam habuerint. fortè etiam qui consulari patre nati sunt, hac appellatione potuerunt contineri, sicut ἐξελευθέρους Græci uocãt τῶν ἐλευθερουμένων filios, quod tamen nõ probo. In Cod. Theod. sub rubr. quorum app. non recip. exantistes dicitur, qui antistes olim fuit: quoniam Chronopius ex antistite, &c.

l. petitionẽ. C. de aduo. diuersis iudiciorum.

l. tanta. C. de uet. iur. enuc. in prim.

Restitutum responsum Iurisconsulti in l. creditor. §. Lucius. ff. mandati, & declaratum optimè. Cap. IIII.

Q Væsitum fuit, num procurator, cuius liberæ administrationi rem suam dominus mandasset, ita ut quemadmodum uellet, de ea negociaretur, posset pro proprio facto rem domini obligare. Et cum quidam posse affirmarent, aduersus eos sensisse Scæuolam iuris autorem libro responsorum primo allegabatur. Item quæro, an cũ Seius magistratu functus debitor extitisset, Lucius Titius eo nomine conueniri possit, uel res eius obligatæ essent propter uerba epistolæ suprascriptæ. Respondi, neq́ cõueniri posse, neq́ res obligatas esse. Cæterùm qui in aliã sententiam iuerant, ita argumentũ id euitabant, ut dicerẽt: tametsi epistolæ uerba uiderent generalia, coarctari tamen ad ea, quæ uenditionẽ, negociationẽ, pignus, similéq́ opus respicerent. quod falsum esse ex ipsis Tuscorũ Pandectis dicebã: in quibus ea epistola hoc modo legit: Σηΐῳ τέκνῳ χαίρειν. ἐγὼ μὲν κατὰ φύσιν νομίζω τό, ὑπὲρ πατρὸς καὶ τῶν τοῦ πατρὸς ὑμῶν πραγματεύεσθαι δίχα τοῦ τινὰ ἐπιτροπικὸν αἰτεῖν. εἰ δὲ δεῖ καὶ τοιούτου τινός, ἐπιτρέπω σοι περὶ πάντων ἐμῶν, ὡς θέλεις πραγματεύεσθαι, εἴτε πωλεῖν θέλεις, εἴτε

in l. creditor. §. Lucius. ff. man.

ὑποτίθεσθαι, εἴτε ἀγοράζειν, εἴτε ὁπουοῦν πράττειν, ὡς κυρίῳ ὄντι τῶν ἐμῶν, ἐμοῦ πάντα κύρια εἶναι τὰ ὑπὸ σοῦ γινόμενα ἡγουμένου, καὶ μηδὲν ἀντιλέγοντος σοι πρὸς μηδεμίαν πρᾶξιν. Seio filio salutẽ. Ego quidem secundum naturã esse arbitror, quemlibet pro patre & parẽtis filijs negociari, etiam sine ulla mandati quæstione. si ergo ita fert usus, mando tibi de omnibus meis rebus, uti uolueris negocia exerceas, siue uendere uelis, siue obligare, siue emere, siue quomodocunq; agere, nõ aliter atq; si dominus tu rerum mearum esses, me quicquid feceris, ratum firmum ducente, & nihil tibi contradicente, nec in unam quidem rem. Igitur ex uerbo illo ὑποτίθεσθαι, quod Accursius pacisci transtulit, nos maluimus obligare: constat generalissimum fuisse mandatum: quod tamen non comprenderet, quæ Seius in propriam causam uerteret. C

Nouus intellectus l. ob æs, C. de prædijs minorum: & ibi quantum referat puncti ratio. Cap. V.



Ationem scribendi, punctaq; dictionibus suo loco addendi, non minime apud Grammaticos diligentiæ partem fuisse illud ostendit: quòd si ea nõ obseruetur, non mediocres intelligendis autoribus tenebras inijcit. hinc cum apud Latinos plerique Grammatici de punctis scripserint, Nicanor quoq; Alexandrinus idcirco στιγματίας est cognominatus, quòd anxiè & nimis solicitè περὶ στιγμῆς scripsisset. Igitur ut etiam in iure ciuili ex eorum omissione aliqua perucrti ostendam, satis erit unicam cõstitutionem referre, quam impp. Diocletianus & Maxim. Augg. & Cæs. Leontio direxere, in hæc uerba: ob æs alienũ tantũ causa cognita, præsidali decreto prædium rusticum minoris prouinciale distrahi permittitur. quam constitutionem nostri interpretes ita interpretantur, ut inde regulariter prodant, taxatiuã dictionem similia non excludere: cum enim legissent, & ex donatione propter nuptias, & ex causa dotis, & alijs quoq; modis prædium minoris posse uenundari, si cõstitutione cauetur ob æs alienum tantũ id fieri posse: consequens est nõ excludi similes causas. & ex hac interpretatione uarijs in locis plurimas quæstiones perperam explicant nostri Doctores, quas per Iasonem alicubi collectas reperire non admodum difficile est. cæterùm omnis hic error ex eo promanauit, quòd suo loco punctum in uulgatis codicibus appositũ non erat: cum post dictionem, alienum, statim subdendum fuisset, eo sensu, ut ob æs alienum fundum distrahi liceret, cognita tantum causa. non enim quamuis statim constet uenditionẽ ob æs alienũ fieri, idcirco decreto opus non est: quinimmo necessaria est causæ cognitio. quid enim si alia ratione, quæ minoribus magis cõnducat, æs alienum dissolui potest, quàm ex fundi uenditione? nectent hic aliqui argutias, quasi indubitati id esset iuris: quos confutare superuacuum est. D

l. ob æs. C. de præd. min.

in l. si cõstante. ff. sol. mat.

l. quod Labeo. ff. ad carb.

Lex, pars literarum, de iudicijs, nouo sensu elucidata, & explicatum qui sint Archontes. Cap. VI.

l. pars literarũ. ff. de iud.



Aulus libro responsorum II. his uerbis utitur, quæ sub titulo de iudicijs, à Triboniano in Digestis relata, in omnibus uulgatis codicibus non satis fideliter leguntur. Pars literarum diui Hadriani: τοὺς ἄρχοντας τῷ ὧ ἄρχουσι ἐνιαυτῷ, μήτε εἰσιέναι δίκην ἰδίαν, μήτε διωκόντων, μήτε φευγόντων, μήτε περὶ ὧν ἐπίτροποι, ἢ κουράτωρες εἰσιν. ἐπεὶ δ' ἂν δὲ ἐξήκῃ ἡ ἀρχὴ καὶ αὐτοῖς πρὸς τοὺς φεύγοντας, καὶ τοῖς φεύγουσι πρὸς αὐτοὺς εἰσαγωγισμοὺς εἶναι τὰς δίκας. Archontas, id est Atheniensiũ summos magistratus, quo in administratione erũt anno, neq; propriã causam introducere oportet, neq; actores, neq; reos esse: nec in eorũ quidem causis, quorũ tutores, uel curatores sint: ubi autẽ magistratu functi fuerint, & ipsis aduersus reos, & reis aduersus illos actiones introducendæ sunt. & hoc modo transferẽda fuit hæc epistola: alioquin si uulgatam lectionem sequamur, dubiũ erit quid sibi uoluerit Hadrianus, cum dixit, non posse magistratus cognoscere de his rebus, pro quibus tutores fuerint. non enim rebus tutores dantur, sed ut Iurisconsulti nostri tradiderunt, personæ. cæterùm & Accursij, Bartoli, cæterorumq; interpretatio minimè conuenit, qui generaliter hanc legem in omnibus summis magistratibus locum sibi uendicare existimarunt. qua in re quantum decepti sint, non dubito quin eruditi cognoscant. quod enim nos alios

sequuti,

A sequuti, τοὺς ἄρχοντας exposuimus summos magistratus, de eis tantum intelligendum ducimus, qui Athenis constituebātur. neq; id nominis apud Græcos frequentius pro alio magistratu accipitur, quàm pro Atheniensi: quod apud Latinos in Spart. quoq; & Treb. Pollione deprendes. scribit Suidas hos magistratus Athenis fuisse Archontas, quos ferè principes Latinè dixeris. hi erant nouem: quorū thesmothetæ, id est, legumlatores numero sex, βασιλεὺς καὶ πολέμαρχος, hoc est rex, itemq; imperator: tum ipse Archon meminit & Plut. in Politicis, & in Periclis uita, Pausaniasq;. horum quoq; mentio est apud Iulium Pollucem. Igitur quod Hadrianus scripsit τῶν ἀρχόντων, intelligendum est specialiter ab eo in Atheniensium iudicibus ita constitutū, ut minimè trahenda sit pars epistolæ ad omnes, qui summum magistratū gerunt, ut hactenus nostri interpretes fecerunt. qui cum complura responsa eorū sententiæ aduersantia uiderent, antinomiam per quædam subterfugia quærunt euitare. sed & exemplo non caret, aliquid in iure ciuili relatum, quod unius tantum ciuitatis iura respiciat. *l. Antiochensium. ff. de priuile. credi.*

Iustiniani inconstantia in condendis legibus sugillatur: tum ex Græcis autoribus refertur quis uir Tribonianus fuerit. Cap. VII.



Xtant in Iustiniani Codicis tractatu ad s. c. Tertullianum, quædam constitutiones tam simul contrariæ, ut nemo extricet: quin clarissimè constat ab altera alteram corrigi: quam rem breuissimè explicabo. defuncto filio, sola matre superstite, ex senatusconsulto mater succedebat: si fratres erant superstites, non succedebat, siue uterini, siue germani forent: si sororum aliquæ extassent, in stirpes uocabantur, ut mater dimidiam, cæteræ sorores aliam dimidiam obtinerent. emendauit hæc iura Iustinianus, & primò cōstituit, ut fratres utrinq; coniuncti, unà cum matre succederent, quæ in uiriles portiones admitteretur. emendauit rursus hoc idem imp. distinxitq; eos, qui utrinq; cōiuncti essent, ab his qui solùm B germani forent. sed & cum sorores extarent, correxit idem imperator legem quam semel confirmauerat: statuitq; ut si sorores utrinq; coniungerentur, succederent in dimidiam: quòd si fratres quoque adessent, eorum beneficio in uiriles partes uocarentur. rursum idem correxit, ut semper mater cum sororibus utrinque adiunctis in uirilem admitteretur, etiamsi fratres extarent: si utrinque defunctum non attingerent, penitus excluderentur. huius inconstantiæ, leuitatisq; rationem cum posteriores interpretes diu uestigare contenderint, atque in primis Corneus mirificè hoc in negocio se distorqueat, ne amplius quisquam se cruciet, libuit Triboniani uitam referre: unde quid in causa huius rei fuerit, facilimè dignosci poterit. Igitur Suidas Græcè quidem, sed in hunc sensum: Tribonianus, inquit, Græcus omnis religionis contemptor, & præsertim à Christiana fide abhorrens, adulator & fraudulentus, persuasit Iustiniano imperatori fore, ut is nunquam moreretur, sed in cœlū cum carne assumeretur: Quæstor fuit Iustiniani: hic tantū naturæ dotibus, ingenioq; pollebat, ut suæ ætatis nemini secūdus esset. auaritiæ autē eousq; erat deditus, ut ius & fas uenale haberet. nam singulis diebus & leges ferebat, & latas reuocabat: uti indigentiū usus, à quibus pecuniam acceperat, postulare uideretur. cum diu post indeptum honorem superuixisset, morbo tandem decessit, ab aliquo nulla prorsus affectus iniuria, quòd uidelicet sermone comi, blandoq; erat, & auaritiæ morbum doctrinæ præstantia uelabat. cæterùm & his non absimilia in Tribonianum Procopius lib. bell. Pers. primo refert, additq; fuisse genere Pamphylium, & unà cum Ioanne ut populi seditiones sedaret, à Iustiniano de magistratu quandoq; deiectum. ut non absimilem illi arbitrari quis possit, quem Ver. notat, qui leges fixit precio, atq; refixit: frequens enim id Græculis delictum fuit. quapropter idem Procopius cum Proclum laudare uellet: erat, inquit, Proclus imperatoris assessor, magistratum quæstoris gerens: uir in primis iustus, & procul ab omni auaritia. Ideo neq; aliquā legem facilè in alicuius gratiā cōscripsit: ut iam Triboniani ipsius mores nemini ignoti esse debeant: tametsi eum Iustinianus ubiq; laudet. sed facile est indocto imponere regi: ἀναλφάβητος quippe Iustinianus fuit, & omniū literarū ignarus. quid mirū? cum eius pater Iustinus à teneris annis suum custos, mox boum, dein lignarij fabri mi *l. pen. & fi. & aut. C. ad Tert.*

nister fuerit, ut Accursij scrupulum tollamus, ubicꝫ dubitantis, propterea quòd Iustinianū, Constantini filium, in decretis legerat. sed ille alius est, nostro posterior: qui ῥινότμητος Græcè cognominatur, quia truncis esset naribus. Sunt tamen qui aliter de Triboniano sentiant, nec temere grammaticis de Iureconsulto credendum arbitrentur. quandoquidem etiamnum uideamus, & sæpissimè experiamur, quanto supercilio id hominum genus, quo iure, qua iniuria & mortuos & uiuentes insectetur, quamcꝫ suis in studijs hi sibi placeant moriæ beneficio felices, alios omnes contemnant: & epistolis ante ipsos legum codices præfixis, Accursiū, Bartolum, cæteroscꝫ acerbissimis conuicijs dilacerent: imperatoris sui Laur. Vallæ exemplo prouocati, cui mortuo honos hoc epitaphio habitus fuit:

Tandem Valla silet, solitus qui parcere nulli est.
  Si quæris quid agat, nunc quocꝫ mordet humum.

Quod sanè carmen longè magis ipsis quàm Vallæ cōuenisset: cuius doctrinæ pleracꝫ huiusmodi condonanda sunt: at hi ea maximè reprobant, quæ non intelligunt.

Restituta Iurisconsulto, titulo de nundinis, Platonis uerba, declaratacꝫ lex ante nos inextricabilis. Cap. VIII.



Cripsit Callistratus iuris autor, titulo de nundinis, in hæc ferè uerba: Si quis ipsos cultores agrorum, uel piscatores deferre utensilia in ciuitatem iusserit, ut ea ipsi distrahant, destituetur annonæ præbitio, cum auocentur ab opere rustici: qui confestim ubi detulerint mercem, tradere eam, & ad opera sua reuerti debeant. denicꝫ summæ prudentiæ, & autoritatis apud Græcos Plato, cū institueret quemadmodum ciuitas bene & beatè habitari posset, in primis istos negociatores necessarios duxit: sic enim ἐν πολιτείᾳ ait: δεῖ γὰρ πλειόνων γεωργῶν τε, καὶ τῶν ἄλλων δημιουργῶν, καὶ τῶν ἄλλων διακονούντων, εἰσαξόντων, καὶ ἐξαξόντων ἕκαστα. οὗτοι δέ εἰσιν ἔμποροι. κομίσας δὲ ὁ γεωργὸς εἰς τὴν ἀγορὰν τι ὧν ποιεῖ, ἤ τις ἄλλος τῶν δημιουργῶν, εἰ μὴ εἰς τὸν αὐτὸν χρόνον ἥκῃ τοῖς δεομένοις τὰ παρ' αὐτοῦ ἀνταλλάξασθαι, ἀργήσει τῆς αὐτοῦ δημιουργίας καθήμενος ἐν ἀγορᾷ; οὐδαμῶς, ἀλλ' εἰσὶν οἱ τοῦτο ὁρῶντες ἑαυτοὺς ἐπὶ τὴν διακονίαν τάττουσιν ταύτην. pluribus igitur agricolis, & alijs artificibus, & ministris opus est, qui importent & exportent singula: sunt autem hi mercatores. cum autē rusticus aliquid horum quæ ipse facit, uel aliquis alius artifex in forū defert, si nō eodem in tēpore ueniat, quo & illi quibus cum est hæc permutaturus, cessabit ab opere in foro consistens? minimè uerò: sed sint qui cum hoc animaduertant, seipsos ad hoc ministeriū præparent, &c. & hoc modo restituendus fuit hic locus: quandoquidem si uulgatā translationē intactā reliquerimus, nullū sensum satis conuenientē possumus elicere. sed & illud admonendus est lector, Callistratū Iurisconsultū, ut breuitati consuleret, nō omnia Platonis uerba retulisse: sed intermissis quibusdam clausulis, dialogorūcꝫ interlocutionibus, simul iuncta adscripsisse, quæ in suam sententiā facerent. longè enim apud Platonē diffusior est hic locus libro de republica secundo, quàm is sit quē Iurisconsultus mutuatus est. ueræ autem lectionis incolumitas in Etruscorū uoluminibus à me obseruata est.

Qui sint parabolani, Accursij error. Cap. IX.

l. placet. & l. seq. C. de epis. & cle.



Idi plerumcꝫ ab eruditis Iurisconsultis dubitari, qui nā fuerint parabolani, & unde dicti: quorum mentio in constitutionibus habetur. & Accursius, qui nihil se pręterijsse uideri uoluit, tanquā rem maximè haberet in promptu, statim pronunciauit, parabolanos esse medicos: nomēcꝫ ab eo sumpsisse, quòd multas haberent parabolas, quòd uidelicet ut quiscꝫ loquacior est, ita doctior medicus uulgi opinione existimetur. quę expositio, meo quidem iudicio, planè ridicula est: quare aliter ipse censuerim: fuisse enim plebeios quosdā parabolanos, qui famulitio uel ecclesiarum, uel hospitaliū, xenonum'ue deputati erant, & quasi adscriptitij glebæ: ut sicut illis omni uita ab agrorum cultura recedere nō licebat, ita his ab seruitio ægrorum, qui in nosocomijs residebāt. parabolanos, glebæ adscriptitios esse, in iuris ciuilis Græco interprete legi, dicti à Græca prępositione παρὰ & βῶλος, quæ uox pro gleba accipitur.

Modestini

A Modestini trutinæ suppositum responsum in l. natorum, de uerborum signifi. Cap. X.



MOdestinus libro excusationum. II. ἡ τῶν, inquit, τέκνων προσηγορία καὶ ἐπὶ τοὺς ἐκγόνους ἐκτείνεται. quod responsum à Triboniano sub rubricã de uerborum signifi. translatum Græcè lectũ fuit, donec aut Accursius, aut quiuis alius latinam maluit interpretationem afferre, in hunc modum: Natorum appellatio & ad nepotes extenditur. cæterùm quoniam me nõ latet, quàm diffusus sit hic tractatus: num appellatione filiorum cõtineantur nepotes, quid item cum liberos dicimus, & rursus num sub nepotibus contineantur pronepotes: uolui lectorem admoneri, firmum & irreprensum argumentum ex suprascripto responso afferri in hanc rem non posse: quandoquidem Modestinus de proprietate, & significatu Græcæ uocis disputat, non Latinæ. *l. natorum. ff. de uer. signi.*

Rationem l. I. C. quæ res exportari non deb. aliam esse, quàm Doctores uulgò tradiderint. Cap. XI.



IMpp. Valentiniani & Gratiani constitutio, ad Theodosium magistrũ militum in hæc uerba legitur: Ad Barbaricum transferendi uini, olei, & liquaminis nullam quisquam habeat facultatem: nec gustus quidem causa, aut usus commerciorum. cuius quidem legis argumento ductus Baldus, existimauit eum, qui lege municipali annonam in aliam ciuitatẽ deferre prohibeatur: si aliquam portiunculam, uel gustus causa deportet, legis pœnæ obnoxiũ esse. Negauit id Iason, non alia ratione quàm quòd pœnas quãmitissimè interpretari æquũ sit. cuius sententiam statim sequutus fuissem, si eius legis uerbis Baldum non adiuuari docuisset. Cæterùm ipse arbitror rationem legis spectandam, quæ profectò non alia meo iudicio esse potuit, quàm ne eius liquoris gustu admoniti Barbari arma in nos uertant: idcircoq; eas regiones armis quærere studeant, unde sibi id liquaminis cõparare B possint. nam qui primi Gallorũ in Italiam uenerunt, hoc gustu allectos grauissimi autores tradiderunt, inter quos T. Liuius lib. V. gentem Gallorũ, inquit, traditur fama dulcedinis frugum, maximeq; uini, noua tum uoluptate captam Alpes transisse: & inuexisse in Galliam uinum illiciendæ gentis causa. cum ergo lex municipalis magis locupletandi territorij sui causa, & auertendæ caritatis, ita iubeat, quàm alia ratione, non arbitror qui gustus causa annonam alibi detulerit, eius iussu coërceri. *C. quæ res expor. nõ deb. l. I.* *in l. ij. in fin. ff. de iur. om. iud.*

Declarata lex, cum quis. §. codicillis, de leg. III. & restitutæ Græcæ dictiones etiam in l. II. C. commu. delegat. Cap. XII.



SErbidij Scæuolæ responsum, sub rubricã de legatis tertio, in hæc uerba in emendatioribus libris legit̃. Codicillis ita scripsit: Βούλομαι πάντα τὰ ὑποτεταγμένα κύρια εἶναι μαξίμῳ κυρίῳ μου δηνάρια πεντακισχίλια, ἅτινα ἔλαβον παρὰ καταθήκην τοῦ θείου αὐτοῦ ἰουλίου μαξίμου, ἵνα αὐτῷ ἀνδρωθέντι ἀποδώσω, καὶ γίνονται σὺν τόκῳ τρὶς μύρια, ἀποδοθῆναι δὲ αὐτῷ βούλομαι, οὕτως γὰρ τῷ θείῳ αὐτοῦ ὤμοσα. uolo omnia, ut infrà digessi, firma esse Maximo domino meo denaria quinque millia, quę in depositũ à patruo ipsius Iulio Maximo accepi: ut ubi uir factus esset, cum incremento et usuris triginta milliũ redderẽ: restitui ipsi uolo, sic ẽm ipsius patruo iuraui. quęsitum est, an & ad pecuniã depositã petendam sufficiant uerba codicillorũ, &c. Libuit ex archetypo Florentino Græcũ hoc responsum referre: tum ut Roglerij audacẽ nimis expositionẽ confutarẽ, qui cũ Græcas dictiones nõ uidisset, ex cõmodo Latinas nihil ad rem faciẽtes cõfinxit: tum etiã ut importunã nimis Bartoli quæstionẽ offenderem, huius legis argumento colligentis, paria nos facere, siue legemus cũ quis uir fuerit, uel cum adultus. quam sententiã ipse minimè probo. cæterùm huius consuetudinis, cum in testamẽto testatores iureiurando se obligant, meminit Iustin. quadam cõstitutione: cuius uerba quoniã in uulgatis codicibus nimiũ concisè referuntur, operępreciũ fuerit referre. Omne uerbũ significans testatoris legitimũ sensum, legare uel fideicõmittere uolentis, utile atq; ualidum est: siue directis uerbis, quale est iubeo forte: siue precarijs utatur testator, quale est rogo, uolo, mãdo, fideicõmitto: siue iuramentũ interposuerit. *l. cum quis. §. codicillis.* *l. ij. C. communia delega.*

cum & hoc nobis audientibus uentilatum est, testatore quidem dicente ἐν ὅρκῳ, parti- C
bus autem huiusmodi uerbum huc atq; illuc lacerantibus, &c. In impressis enim deest uox Græca, nonnullius tamen momenti, si uerba constitutionis recte percipere uoluerimus: cum enim testator ἐν ὅρκῳ, id est cum sacramenti religione legasset, dubitabatur nunquid deberetur legatum? puta, iuro me daturum Titio centum. legata enim uoluntatis liberæ sunt, non necessitatis, ut iusiurandum necessarium sit.

Paragraphus ult. in l. dominus, de pec. leg. quemadmodum uertendus de Græco erat. Cap. XIII.

l. dominus. §. fin. ff. de pecu. leg.



Aliud quoq; est eiusdem Scæuolæ responsum in tractatu de peculio legato, in hunc uerborum modum: Seruis libertates legataq; dederat, & conditionem ita scripserat, ὅσους κατέλιπον ἐλευθέρους καὶ τὰ ληγάτα, αὐτοὺς τούτους βούλομαι εἶναι ἀνεξετάστους. quæsitũ est, an peculia quoq; eis legata uiderentur. Respondi secundum ea quæ proponuntur, non uideri legata: idem etiam ut reliqua rationum legata non sint. transtulit eam clausulam nescio quis ex ueteribus, & non satis perspicue: uerbum enim illud ἀνεξετάστους, interpretati sunt, non seruatos, & sine inquisitione: quod ineptissimum est. si enim aliquis factis legatis subderet huiusmodi clausulam, nónne uideretur adimere legata? quid enim aliud significat, nõ seruari? igitur ita transferendum fuerat: quotquot dereliqui libertos, atq; eis legata, ipsos uolo esse inexcussos. hoc sensu, ut inexcussus accipiatur pro eo qui liberatus sit à fastidio adamussim reddendæ rationis, & calculum semel ductum rursus ineundi. ἐξέτασις indagatio est: unde deducitur ἀνεξετάστους. potest & ad illud trahi, quasi inobseruatos dicas, ut uidelicet minimas operas hæredibus debeant.

Legem II. de legibus, non recte ab Accursio intellectam: quapropter emendata & declarata. Cap. XIIII.

l. ij. ff. de lib.



Martianus libro Institutionum primo, cum definiret quid esset lex, Demo- D
sthenem Chrysippumq; autores adduxit. eius responsum sub titulum de legibus Tribonianus retulit: sed cum parte plurima græcis characteribus notatum esset, superiorum temporum incuria pene incognitũ manserat: retulimusq; quandoque quemadmodum quod ex Demosthene adducebat, legendum foret, nunc opportunum fuerit, ut Chrysippi quoq; uerba restituamus: præsertim cum quisquis fuit ille, qui ea transtulit in Latinum, haud multùm feliciter sit rem aggressus. Sic itaq; eo in loco legendum esse iudicamus. sed & philosophus summus Stoicæ sapientiæ Chrysippus, sic incipit librum, quem fecit περὶ νόμου: ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς, θείων τε καὶ ἀνθρωπείων πραγμάτων. δεῖ δὲ αὐτὸν προστάτην εἶναι τῶν καλῶν καὶ τῶν αἰσχρῶν, καὶ ἄρχοντα, καὶ ἡγεμόνα, καὶ κατὰ τοῦτο, κανόνα τ' εἶναι δικαίων καὶ ἀδίκων, καὶ τῶν φύσει πολιτικῶν ζώων, προστατικὸν μὲν ὧν ποιητέον, ἀπαγορευτικὸν δὲ ὧν οὐ ποιητέον. quæ uerba sic in Romanam uocem transferri possunt: diuinarũ humanarumq; rerum regina est lex, quã præsidere, principem, ducemq; esse & honestis & turpibus cõuenit: secundumq; hæc iustorũ iniustorumq; regulam esse, & eorũ quæ naturaliter ciuilia sunt animantium: ut facienda quidem iubeat, rursus non facienda prohibeat. Intellige autem κανόνα, id est regulam, quam omnes imitemur: sicut Plinius lib. XXXIIII. Polycletus, inquit, fecit quem canona artifices uocant, lineamenta artis ex eo petentes, uelut à lege quadam: solusq; hominum artẽ ipse fecisse artis opere iudicatur: ut in aperto Accursij error sit, qui regulã eo sensu accepit, quo Iurisconsulti tradunt, eam esse quę rem, quæ est, breuiter enarrat: quod minimè in præsenti casu congruit. sed & idem scholiographus existimauit, dum de diuinis rebus Chrysippus dixit, idcirco factũ, quoniam plurimæ leges ius diuinũ respiciunt: ut quæ de fide catholica loquuntur, quæq; sacerdotibus leges statuunt. quod etiam minimè nobis applaudit: quandoquidem tempestate Chrysippi harum legum nulla extabat. Item βασιλεὺς non satis quadrat. quapropter ad illud Euripidis in Hecuba allusum esse magis crediderim:

Nos imbecilles forsan & captæ sumus?
At dij ualentes, lexq; diuis imperans,

Etenim

A Etenim uel ipsos lege censemus deos.

Aequa atq; iniqua hac finientes uiuimus. ut intelligamus legibus quoq; ipsis subijci deos, hinc apud Ouidium Iupiter sic deos alloquitur:

Vos etiam (quoq; hoc animo meliore feratis)

Me quoq; fata regunt. Connectet hic aliquis argutias: quoniam in iure quandoq; legerit, principes ipsos legibus subiectos non esse. sed alia est lex, quam Chrysippus definit, aliæ sunt Impp. constitutiones, quibus ipsi non coërcentur.

Quem sensum accipiant uerba illa, ditis causa, &c. in l. III. cõmodati. Cap. XV.



Iurisconsultus Caius de uerborũ significatione libro primo, sæpe ad hoc, inquit, commodantur pecuniæ, ut ditis gratia numerationis loco intercedant. quod responsum ab Iustiniani cõsarcinatoribus in tractatum cõmodati translatum est: ibiq; se mirum interpretem Accursius ostendit, qui ditis interpretatur, id est diuitis: uerbaq; responsi in eo accipit, qui ut diues appareat, commodata utitur pecunia, ne eum facultatibus labi cernentes alij creditores, nimis durè statim exigere uelint. quẽ sensum si illis uerbis exprimere uoluit Caius, mirum est quàm bardus, latiniq; sermonis imperitus fuerit. primũ id ab eo quæsierim, ubi nam gentium dis pro diuite singulari numero in Romana lingua ex communi usu recipiatur? rursusq; & si maximè admissum sit, nunquid ea uerba illum intellectum patiant? Ipse plerunq; de lectionis incolumitate dubitaui: sed quoniã uix occurrebat quod in eum locum simile uerbum quadraret, plurimorumq; ueterum codicum scriptura contra me erat, non ausus fui quicquã pro certo constituere. hoc solùm opinatus sum: longè magis conuenire, si non ditis gratia, sed dantis legeretur. finge me tibi debere decem, quæ tua intersit tibi debere titulo mutui: hoc ut commodius fiat, mihi decem commodabis, quę ego coram testibus recipiam, promittamq; restituturum ex lege mutui: deinde ubi testes abscesserint, commodatum tibi restituam: supereritq; tibi actio ex mutuo, nec mihi ulla exceptio non numeratæ pecuniæ competet. erit autem eo casu commodatũ pecuniæ: quia easdem quas mihi ut numerarẽ dedisti, protinus restituo. l.iij. ff. commo.

B

Quomodo à principis rescripto appellatur, diui Pij epistola, ut debuit, translata, reiectis aliorum nugis. Cap. XVI.



Quæsitum est, inquit Vlp. an aduersus rescriptum principis prouocari possit, forte si præses prouinciæ, uel quis alius consuluerit: & ad consultationem eius fuerit rescriptum: est enim quæsitum, an appellandi ius supersit. quid enim si in consulendo mentitus est? de qua re extat rescriptum diui Pij, quo ostenditur prouocari oportere. uerba rescripti ita se habent: l.j. ff. de ap.
ἐάν ἐπιστείλῃ τις ἡμῖν, ἅμα δὲ καὶ ἀντιγράφωμεν ἡμεῖς, ὅτι ὂν ὑπάρξει τοῖς βουλομένοις ἐπικαλεῖσθαι πρὸς τὴν ἀπόφασιν. εἰ γὰρ διδάξαιεν ἢ ψευδῶς, ἢ οὐχ οὕτως ἔχειν τὰ ἐπεσταλμένα, οὐδὲν ὑφ᾽ ἡμῶν εἶναι δόξει προδιεγνωσμένον τῶν ὡς ἑτέρως ἐχόντων τοῖς γραφεῖσιν ἀντεπεσταλκότων. hoc est, si scripserit quisq; ad nos, & illi aliquid rescripserimus, uolentibus ad sententiã nostram prouocare permissum erit. si enim docuerint uel falsa, uel non ita se habere quæ scripta sunt, nihil à nobis uidebitur iudicatum, priusq; contrà scriptũ fuerit, quemadmodum aliter res se habeat, quàm nobis insinuatum sit. Et hoc modo legendi emendandique sunt codices: qui enim uulgarem lectionem instituit, is non sat rectè rescripti, neq; uerba, neque sensum latinis reddidit, & præsertim dum uolentibus, inquit, prouocare ab enuntiatione licentia extat. Græca enim uerba πρὸς ἀπόφασιν, id est ad sententiam dicunt: ut uidelicet accipiendum sit de eo ad quem prouocamus, non autem à quo: ut minimè dicatur appellari posse ab enuntiatione, idest mendacij relatione principi facta, ut Accursius sensit, sed ab ipso rescripto, eo uidelicet prætextu, quòd minus uera in supplice libello enarrata fuerint. sed & hoc ex rescripto dubius alioquin articulus finietur: finge iudicem secundum sacri rescripti formam iudicasse, ad quem erit prouocandum? num ad eum, qui illo iudice superior est, an ad ipsum principem, à quo rescriptum fuit? & suprascriptæ epistolæ uerba indicant ipsum principem adeundum.

Quid sit cõmilitiũ in l. hęreditate, de castr. peculio: & correcta lex illa. Cap. XVII.

l. hæreditate. ff. de cast. pecu. in prin.



IN titulo de castrensi peculio, Triphonij Iurisconsulti responsum legitur: quod quoniam insigni corruptela notatum est, nec Accursius illud intellexit, nec eo modo scriptum quisquam alius, nisi per coniecturas intelliget, nostri itaque erit instituti, breuiter quemadmodum castigatè legendum sit, percensere. sic ergo reponendum est: Triphonius libro IX. disputationum: Hæreditate ab agnato cõmilitone data, Scæuola noster dubitabat: quia potuit & antè notus, & amicus dare: potuit & non dare, nisi commilitium charitatem auxisset. nobis ita uidetur, si ante commilitium, factum sit testamentum, non esse peculij castrensis eam hæreditatem: si postea, contrà. emendandæ igitur sunt in uulgatioribus libris tres dictiones, commilitonum, commilitum, itaq;. Dicitur autem latinè commilitium, militum commercium, & facultas ipsa seu ius quo unà militant. Reperitur hæc dictio etiam apud Tacitum, & in epistolis Sidonij Apollinaris.

Legem, qui habebat, de leg. III. nequaquam fideliter ab Accursio translatam, intellectamq;. Cap. XVIII.

l. qui habebat. ff. de leg. iij.



SCæuolæ uerba sunt: qui habebat in prouincia, ex qua oriundus erat, propria prædia, aliaq; pignori sibi data ob debita, codicillis ita scripsit: τῇ γλυκυτάτῃ μου πατρίδι βούλομαι εἰς τὰ μέρη αὐτῆς δοθῆναι, καὶ ἀφορίζω αὐτῇ χωρία πάντα ὅσα ἐν συρίᾳ κέκτημαι σὺν πᾶσι τοῖς ἐνοῦσι βοσκήμασι, δούλοις, καρποῖς, παραθέτοις, καὶ σκεύαις πάσαις. quæsitum est, an & prædia, quæ pignori habuit testator, patriæ suæ reliquisse uideatur: secundum ea quæ proponebantur, respondi nõ uideri relicta, si modò in propriũ patrimonium, quod ferè cessante debitore fit, nõ sint redacta. cæterùm ut clarior sit Iurisconsulti sensus, ita transferri possunt legati uerba: suauissimæ patriæ meæ uolo in partem suam dari, & ipsi separatim adiudico prædia omnia quæcunq; in Syria possideo, cum omnibus in eis existentibus, & pecoribus, & seruis, & fructibus, & usu cõsumptibilibus, & apparatu omni. ex Accursij enim interpretatione illud inprimis dubium relinquitur, num testator pecora solùm, quæ ibi insunt, omnia reliquerit: quandoquidem uniuersalis illa dictio, omnibus, pecora tantum apud eum respicit. at in græco legato generaliter & absolutè dictum fuerat, σὺν πᾶσι τοῖς ἐνοῦσι. rursus dictio illa παραθέτοις, quam ille depositis uertit, à græco uerbo παραθάω deducitur, quod consumere significat. quapropter melius fuit eam referri ad omnia, quæ usu consumi possunt, & prodigi. nam si prædia cum depositis quisquam legauerit, forte non idem iuris fuerit: cum is qui pignori fundos habet, satis possit dici depositos eos habere penes se, donec debitor fidem absoluat.

Nouo sensu exposita l. Titia. §. Titia cũ nuberet, de leg. II. nihilq; ad rem ibi enunciatiua uerba facere: & Græci legati uerba restituta. Cap. XIX.



QVàm diffusa, & quàm longis tractatibus explicata sit illa quæstio, num uerba enunciatiua disponãt, nemo opinor ciuilibus studijs initiatus ignorat: & in ultimis uoluntatibus disponere Petrus Besutius, ciuis meus, & Raphaël Comensis tradiderunt: idq; ex Modestini responso, quod integro uolumine interpretatus præceptor meus Paulus Picus, mihi tamen plerunque dixit, se ipsius Iurisconsulti sensum uix potuisse percipere, tum quòd ineptè translata erant in eo de græcis quædam uerba: tum quòd & latina, propria obscuritate non quadrarent, quibus uerbis mihi alioqui plus nimio curioso, aurem uulsit: quapropter sententiam meam explicaturus sum. ea uerba sic legi debent: Titia cum nuberet Caio Seio dedit in dotem prædia, & quasdam alias res: postea decedens codicillis ita cauit: Γαΐον Σήϊον τὸν ἄνδρα μου παρακατατίθεμαί σοι ὦ θύγατερ, ᾧ βούλομαι δοθῆναι εἰς βίου χρῆσιν καὶ ἐπικαρπίαν μετοχὴν κώμης Νακκλήνων, ἣν ἔφθασα δεδωκυῖα εἰς προῖκα σὺν σώμασι τοῖς ἐμφερομένοις τῇ προικὶ, καὶ καὶ μηδένα ἐνοχληθῆναι αὐτὸν περὶ τῆς προικὸς, ἔσται γὰρ μετὰ τελευτὴν αὐτοῦ σὰ καὶ τῶν τέκνων σου ὤν. hoc est: C. Seium maritum meum commendo tibi ô filia: cui uolo dari in uitæ usum & fructum, participationem pagi Naccleni, quam olim in dotem cum corporibus doti illatis dedi: & in nulla re eum molestari in dote; erũt enim post

A post mortem ipsius tua & filiorum tuorum. præterea alia multa huic eidem marito legauit, ut quandiu uiueret, haberet. quæro an propter hæc quæ codicillis ei extra dotem relicta sunt, possit post mortem C. Seij ex causa fideicommissi petitio filiæ hæredi Titiæ competere, ut earum rerum nomine, quas in dotem C. Seius accepit. Modestinus respondit: licet nõ ea uerba proponantur, ex quibus filia testatricis fideicõmissum à C. Seio, postquam præstiterit, quæ testamento legata sunt, petere possit, tamen nihil prohibet propter uoluntatem testatricis, post mortẽ C. Seij fideicommissum peti. sensum itaq; huius responsi sic interpretamur: cum in dotem Seio Titia fundum Nacclenum instructum dedisset, iussit eum restitui post mortẽ mariti: quærebatur num etiam ea quæ ultra dotem marito legauerat, essent restituenda. & uidebatur non esse, propterea quòd fideicommissi illa uerba, erunt post mortem tua, & filiorum tuorum, solùm ad bona dotalia referuntur, non ad alia legata. & quamuis in eis dictum fuisset, ut ea quandiu maritus uiueret, haberet: poterant tamen huiusmodi uerba intelligi, ut non inde fideicommissum esse uideretur, cum etiam si hæres C. Seij ea haberet, aduersus uerba testatoris non uideatur factum: quippe tum quoq; maritus quandiu uiuit, ea habet: sed tamen Iurisconsultus ex præsumpta testatricis mente, non solùm bona dotalia, sed etiam alia, fideicommisso comprendi interpretatur. cum enim quisquam ita legat, ut quandiu uiuit legatarius habeat: licet scrupulosa quadam interpretatione dici possit, non esse fideicommissum: attamen mens testatoris illa esse satis creditur, ut restitui post mortem debeant. nihil igitur ad rem facit, an uerba illa, erũt post mortem tua, &c. enunciatiua dicantur, uel id minus, cum Iurisconsultus pro claro habeat fideicommissum inducere: sed in hoc dubitauit, an in cæteris legatis idem iuris esset. quapropter cum in uulgatis codicibus legitur, & earum rerum nomine, &c. corruptus est locus, & non coniunctiua dictio, &, legenda est: sed potius quæ ad similitudinem refertur, ut pro sicut. quæritur enim, num petitio fideicommissi competat ratione bonorum, quæ
B extra dotem relicta sunt, ut pro sicut, competit earum rerum nomine, quæ in dotem datæ sunt, ob castellum Nacclenum cum corporibus uidelicet illatis. in hoc enim clarissimum est, competere actionem: sed dubium fuit, respectu illarum rerum, quas marito legauerat, ut eas haberet, quandiu uiueret: ut inde cognosci possit, quàm minima elementi unius inuersio, totum sensum obnubilet, & obscurum reddat: tum & illud, nihil ad præsentis responsi interpretationem, eam quæstionem facere, num enunciatiua uerba disponant. quem tractatum, cum identidem à quibusdam ubique inculcetur, meritò repositam cramben appellauerim.

Legẽ, diem functo, malè intellectam ex unius dictiunculæ inuersione. Cap. XX.



PApinianus libro responsorum tertio: Diem, inquit, functo legato Cæsaris, salarium comitibus residui temporis, quod legatis præstitutum est, debetur, modò si non postea comites cum alijs eodem tempore fuerint: diuersum in eo seruatur, qui successorem ante tempus accepit. hæc uerba sub titulo de assessoribus relata hodie leguntur: corruptis tamen exemplaribus, in quibus non præstitutum, sed præstitum falsò legitur. uerùm & tantum negocij ex eis, interpretibus nostris fuit illatum, ut in quatuor hæreses diuisi, uaria in responsi interpretatione tradiderint. nos omisso quid ipsi senserint, cum facilè unusquisque eorum commentarios sibi comparet, nostram sententiam sic explicamus. Cum imperatores legatum suum in prouinciam mittebant, salarium suum quod sibi haberet, constituebant: tum etiam aliud quoque assignabant, quod suis assessoribus dederet. fingamus igitur legatum, cum in prouinciam uenisset, mortem obijsse: num idcirco de suo salario assessores periclitabũtur? & non periclitari responsum est. finge rursus non decessisse, sed successorem illi datum, & tunc aliud iuris obseruatur: quando enim præsidi ante tempus successor datur, non fit id, nisi cum ipsius contumelia, & ob peruersos mores: quapropter & omnes qui ab eo electi sunt, decidunt, quoniã ab improbo sunt delecti. in morte non ita est: nec dicat quisquam, posse successorem dare legato, qui tamen nullius culpæ erit reus: quoniam nisi delinquat, non solet princeps alium subro-

gare ante finitam administrationem: cum etiam si sua opera indigeat possit præses per C delegatum, quem princeps approbauerit, in magistratu esse: nam & qui Romanæ historiæ peritus fuerit, non opinor hac in re aliquid dubitaturus est.

Multa Iurisconsultorum responsa, de uasis mensurisq; loquentia declarantur, reducunturq; illæ ad nostri temporis normam. Cap. XXI.



Mphora uas est uinarium, mensuram uidelicet continens. Vt autẽ breuibus expediã, nõ tam quòd alij longissimis tractatibus prosequunt̃, quàm quid ipse sentiam: Hemina uncias continet nostras septẽ semis: sextarius, uncias XV. cõgius, heminas XII. modius, heminas XXXII. urna, heminas XLVIII. amphora, heminas XCVI. Sed quoniã qui sextarij pondus nouit, cætera nouisse facillimè potest, probandũ à nobis est, in sextario XV. esse uncias: & in primis Plinium laudo autorem, qui lib. XXI. cap. ultimo, cyathum pendere drachmas X. scripsit: unde cum in sextario constet XII. esse cyathos, sequit̃ centum & XX. drachmas, hoc est uncias XV. pendere. sic & Rhem. Palęmon de cyatho: bis quinq; hunc faciunt drachmæ, si appendere tentes. Cleopatra quoq; quæ de unguentis, & chemistica ratione græcè scripsit: ὁ ξέστης, inquit, μέτρῳ μὲν ἔχει κοτύλας β. σταθμῷ δὲ δραχμὰς ρκ. καλεῖται δὲ παρὰ Αἰγυπτίοις ὁ ξέστης ἴνιον. id est, xestes, qui & sextarius, mensura habet heminas duas. pondere drachmas CXX. uocaturq; ab Aegyptijs Inium. Galenus quoq;: παρὰ δὲ τοῖς ἰταλοῖς, inquit, εὑρίσκεται ὁ χοῦς μέτρῳ μὲν ἔχων ξέστας ς. κοτύλας ιβ. σταθμῷ δὲ ὕδατος ὀμβρίου, ὅπερ ἐστὶν ἀψευδέστατον, δραχμὰς ψκ. in Italis congius inuenitur, in quo mensura sextarij sex insunt, id est heminæ XII. pondere uerò drachmæ DCCXX. aqua pluuiali accepta, quòd ea iustissimum semper pondus habeat, nec mentiatur unq̃. nec me mouet quòd ab autoribus traditũ est, in xeste, seu sextario Atticas uncias XVI. alibi uncias XX. esse. quoniã Attica uncia erat aliquanto leuior q̃ Romana. communis uerò Græcorũ longè leuissima, eiusdemq; ponderis D erant Romanę quindecim, cuius Atticæ XVI. Græcæ XX. quæ res cum à me alibi tractata diffusius sit, non est quòd hîc repetatur. Sanè cadus congios decẽ continet, sicut & metreta Dioscoridi lib. V. licet alij cadum duodecim cõgios cõtinuisse referant. Pollux metretam, amphoram quandoq; significasse scripsit: sed priorem sententiam probo. Hæc uolui præfari, ut quædam Iurisconsultorum loca exploratiora facerem in titulo, de tritico, uino & oleo legato. Pomponius, uino legato, ea demum uasa sequuntur, quæ ita diffusa sunt, ut non ad perpetuum usum reseruarentur, ueluti amphoræ & cadi. cum enim amphora, & cadus uasa sint mensoria, & non magnæ amplitudinis, in eis uinum perpetuò non seruatur, sed ad tempus conditur. non ita est in dolijs, quia dolia etiam maximæ amplitudinis fiunt, nec certã mensuram habent. hinc eodem titulo Proculus: Illud uerum esse puto, cui uinum legatũ cum uasis erit, ei amphoras, cados, in quibus uina diffusa seruamus, legatos esse: uinum enim in amphoras & cados hac mente diffundimus, ut in his sit, donec usus causa probaretur: & scilicet cum his amphoris & cadis id uenditamus. In dolia autem aliam mentem conijcimus, scilicet ut ex his postea, uel in amphoras & cados diffundamus, ut sine ipsis dolijs ueneat. declaratur eodem modo aliud responsum, quo traditur, legato uino in amphoris illud comprendi, quod in urnalibus erat: urna enim dimidiam amphoram comprendit.

Legẽ, quisquis, C. si cert. pet. hactenus non intellectã: tum quid ibi significet collectarius: rursusq; quædã de argentarijs & mensarijs. Cap. XXII.

l. quisquis. C. si cer. pe.



Mpp. Honorij & Arcadij ad Theodosium præf. præt. constitutio est, in hæc uerba: Quisquis iudici fœnebrem pecuniam mutuauerit, si in prouincia fuerit uersatus, quasi emptor legũ atq; prouinciæ: uel si quis collectarius honoris precium dederit ambienti, exilij pœna unà cum ipso iudice plectetur. pro huius constitutionis interpretatione dubitatum fuit, quid significet collectarius. & Accursius, mox alij existimauerũt, eum hanc appellationem sortiri, qui eundem honorem ambienti riuali suo pecuniam dat, ut desistat, nec secum concertet: quæ sententia nullius autoritate comprobatur. Suidas, Collectarius, inquit, est, ἀργυρα-

A est ἀργυραμοιβὸς ἤτοι κέρμα ἀντὶ ἀργύρου ἀλλασσόμενος. hoc est argentarius campſor, &
pro argento monetã uiciſſim tribuens. Acron quoq; in Horatium, collectarios pro co
actoribus argentariorũ accipit. Igitur ſciendum, in re nummaria eſſe argẽtarios nũmu
larios, menſarios, campſores, trapezitas, collybiſtas: quæ omnia uocabula ferè idem
ſignificãt: niſi quòd argentarij maiores negociatores erãt, qui non in permutando tan
tum, ut cæteri, tabernam exercebant: ſed qui etiam nummos fœnori collocabant, non
ſuos tantũ, ſed etiam aliorum. hinc apud Plautum argentarius pro fœneratore accipit:
ſicut enim noſtris temporibus in foro mercatorum literis quibuſdam, quas cambij uo
cant, debitores ſubſcribunt, ſoliusq; proxenetæ teſtimonio utuntur, ita ueteres illi ar=
gentarij rationes pro inſtrumento habebant: quapropter ne fides labefactaretur, de pu
blico ſolebant conſtitui: eligebanturq; magnæ fidei homines. ſi itaq; aliquis collecta=
rius, id eſt argentarius, pecuniam ambienti aliquem honorem præſidi, quò eum facili=
us conſequatur, dederit: & ipſe & præſes exilij pœna coërceri debent. hic itaq; rectus
eſt conſtitutionis ſenſus, ut nemini dubium eſſe poſſit, uulgatum illum Accurſij explo
dendum eſſe: niſi quiſq; in ſignificatione uocabulorum idoneũ illum habet autorem.

Præſcriptis uerbis actio unde dicta: & quid ab exceptione diſtet præ=
ſcriptio: quid item ſit actionem dare: & declarata l.
II. C. de formulis. Cap. XXIII.


THeodoſij Valentinianiq; impp. conſtitutio eſt, Hieronymo præf. præt.
ſcripta his uerbis: Nulli prorſus non impetratæ actionis maiore, uel mino
re iudicio agenti opponatur exceptio, ſi aptam rei & propoſito negocio
competentem eam eſſe conſtiterit. quæ quidem conſtitutio non id reſpi=
cit, ut à Pontificibus, quod Accurſius & quidam alij atteſtati ſunt, actio=
nes impetrari ſolitas oſtenderet: cum id etiam ante horum impp. tempora, in uſu eſſe
B deſijſſet: ſed potius ad iudiciorum, quæ ſub prætoribus agitabantur, conſuetudinem
refertur. nam priuſquam quiſquam litem conteſtari permitteretur, neceſſe erat, ut præ=
torem adiret: narrataq; illi re, prætor quæ cõpetere ſibi uidebatur, actionem illi dabat.
Cicero in Verrem, ſi quis eum pulſaſſet, edixit ſe iudicium iniuriarum non daturum:
quicquid ab eo peteretur, iudicem de ſua cohorte daturum: ipſi autem nullius rei acti=
onem ſe daturum. hinc in edictis prætorum, quæ paſſim ſub titulos digeſtorum com
poſita leguntur, itemq; in interdictis, prætor nunc ſe daturum actionem affirmat, nunc
uti æquitas ſuggerit, negat. erant autem actiones quibuſdam formulis cõprenſæ, quas
litigatoribus iudices præſtabant: niſi quòd ex facti differentia plerunq; eas prætor im=
mutabat: & pro arbitrio uel expungebat, quæ ad rem non faciebant, uel quæ neceſſa
riò erant apponenda, ſubiungere non grauabatur. nõ ita erat in contractu innomina=
to, in quo certa forma uerborum erat ſtatuta, ut uidelicet quemadmodum ſe res habe
ret, deſcriberetur: tum quæ cõtractus ſpecies eſſet, referretur. hinc actio præſcriptis uer
bis dicta. Cicero de finibus bonorum & malorum: omnis autem in quærendo, quæ
uia quadam & ratione habetur oratio, præſcribere primum debet. ut quibuſdam in
formulis ea res agatur. Idem in oratore ad Brutum: quid eſt quo præſcriptũ aliquod,
aut formulam exprimas, cum in ſuo quodque genere præſtet, & plura genera ſint?
præſcribere enim latina lingua ſtatuere, & certo modo antè ordinare comprendit. cu=
ius uulgatæ ſignificationis non eſt quod hîc ſatagam probationis cauſa quicquam af=
ferre, ut inde fortaſſe præſcriptiones pro exceptionibus ſumi credendum ſit: quòd cer
tis formulis exceptiones ita cõſtarent, ſicut & actiones, Fortunatianus certè rhetor, atq;
idem conſultus, libro primo inſtitutionum rhetorices: quid intereſt, inquit, inter præ=
ſcriptionem, & tranſlationem? quòd præſcriptio excludit actionem, tranſlatio autem
differt. quibus uerbis oſtendit, generalius eſſe exceptionis nomen, cũ præſcriptio ad *in rub. ff. de ex-*
eas ſolùm referatur, quibus ſeu à principio, ſeu poſt litem conteſtatam probatis euane *cep. Dec. in ru.*
ſcit actio: licet Socinus aliam ipſe differentiam excogitarit, quam non ſequor. *extra. co.*

DISPVNCTIONVM FINIS.

ANDREAE ALCIATI IVRISCONSVLTI, AD MAGNIFICVM ET CONSVLTISS. VIRVM IOANNEM BAPTISTAM APLANVM REGIVM SENATOREM EPISTOLA. C


VIt hoc ſemper inſtituti mei ampliſſ. Senator, ut ſi qua à nobis ingenij monumenta elaborari contingeret, ea non niſi ad eruditiſſimos quoſq; deſtinarẽ, qua in re imitari ueterum ſcriptorũ diligentiam exiſtimaui, qui opera ſua non tam amicis dicabant, quàm corrigenda tradebant. accidit enim plerunq;, ut hallucinemur, & cũ diuino illo Homero, nimio pluſquam deceret dormitemus: quapropter plurima, quæ nunc ædunt, emendatione indigent. ſic Cicero Atticum, Varronem, Brutum, operum ſuorũ titulis prætulit: ſic ad Balbum Iulius Fronto, ad Nemeſianũ Calpurnius, ex noſtris Vlpianus, Paulusq; ad Sabinum ſcripſere. Idem & mihi his diebus uſu euenit. cum enim ſuperiore anno Venetijs agerẽ, ubi hoſpes publicam priuatamq; urbis magnificentiã perſpexiſſem, non potui diu ſolus, hoc eſt, ſine libris eſſe: quapropter cõmodato acceptis quibuſdam iuriſciuilibus interpretibus, eius quod intereſt tractatum perlegi: qui & ſi mihi aliâs lectus animaduerſusq; fuiſſet, propter crebras tamen occupationes in multis exciderat. hæc poſtq; à me materia diligentius conſpecta eſt, quòd quidam interpretes longè & latè à linea aberrare mihi uidebantur: decreui in eam militiã & ipſe nomen dare, uireſq; meas experiri, num dilucidè & latinè interpretari ipſe poſſem: eaq; argumentis confutare, quæ à uero abeſſe iudicaſſem. aſſumpſi itaq; prouinciam, non ſatis ſcio an humeris meis parem, quibuſdamq; noctibus ad umbilicum perueni. quapropter cum dubitarem, ne accelerata nimis æditio, raraq; librorum ſupellex, diligentiæ noſtræ multa detraherent, non ſum auſus impreſſoribus tractatum eum te inconſulto tradere: ſi qua enim nos fefelliſſent, ea, ſcio, minimè ingenij tui ſummũ acumen præteribũt. quod & à D me idcirco alacrius, confidentiusq; factũ eſt, quòd te uirũ noram non Iuriſconſultorũ ſolùm (quod de Vlpiano Modeſtinus ait) κορυφαῖον, ſed etiam humaniorũ literarũ ita ſtudioſum, ut quoties per publicas occupationes licet, in earũ ſinum, ceu in amœniſſimum uiretũ ſoleas diuertere. Laudarem hîc uirtutes tuas, & ſicut æquũ eſſet, latiſſimo in bene dicendi campo uagarer: quod & ſi tuæ gloriȩ, quæ ſupra captum ingenij noſtri eſt, nihil conferret, poſteris tamen exemplo multùm profuturũ uideret, dũ unuſquiſq; optimos tuos mores reſpicere, te imitari quȩreret, te uti ſpeculum ſibi proponere in primis curaret: ſed tua quoq; humanitas talis eſt, ut celebranda facere quàm celebrari malis: & cum ad uirtutis ſummum gradum perueneris, nihil tamen te ſupra cȩteros extollis. quæ incomparabilis tua humanitas & prudentia, omnium animos in ſui admirationem erexit: ut cum maximos amicos beneficijs tuis obnoxios comparaueris, non minores quotidie uirtutibus magnis allicias. tot ergo merita tua, tot animi fortunæq; munera, hoc de me etiam poſtulare uidebãt, ne ſilentio te prȩterirẽ. Qui uentri, qui luxui dediti ſunt, qui malis artibus famã aucupanť, eorum æquiſſimũ eſt perpetuis ignorantiȩ obliuioniſq; tenebris nomina inuolui: quod & λήθη palus, decantatuſq; poëtis abyſſus ἀλληγορικῶς ſignificat. at qui uirtute ornati, moribus cõſpicui, uita innocentes, tuiq; planè ſimiles ſunt, eos in omniũ ore eſſe, & pro roſtris nomina ſemper recitari conueniret, ut inde omnes ſibi exemplum ſumerẽt. meritò igitur & hac quoq; cauſa tibi librũ addixi, dicauiq;: quamuis mei potius honoris hac in re rationẽ habuiſſe uideri poſſim: cũ enim acerrimo tuo iudicio lucubrationes hæ noſtræ indigeãt, certè ſi eas tuo arbitratu correctas ȩdiderim, longè cõſultius egero. fuere inter ueteres, qui quòd aliquid in arte prȩter cæteros exploraſſent, nouos ſibi atq; eoſdem ſuperbos titulos indiderint: qualis Callimachus ille ſculptor, qui ſe τηξίτεχνον, quòd artẽ ſubtilius expolijſſet, appellauit. his ego contraria penitus ſententia, rectè mecũ actũ exiſtimabo, ſi obtrectatorum dignas uoces euitauero: tantũ abeſt, ut quicq; mihi laudis aut gloriæ cõparari putem. ut igitur ex uoto negociũ omne ſuccedat, tua hoc induſtria efficere poterit, ſi uehementem te cenſorem, ac qualis Ariſtarchus fuit, criticum, expertus fuero. Vale.

ANDREAE

ANDREAE ALCIATI

IVRISCONSVLTI IN COMMENTARIOS EIVS QVOD INTEREST, PRAEFATIO.



ORIS fuit apud quosdam ex antiquis autoribus, ut quotiescunq; aliquid præter uulgatam consuetudinem æderent, tanquam causæ suæ diffidentes, à lectoribus ueniam peterent. quamobrem cum Albinus, nescio quis, Romanus scriptor, patriam historiam Greco idiomate tractaret, indulgeri id sibi in operis procemio petijt: quod uti ineptũ M. Cato non immeritò delusit: si enim Amphictyonum decreto coactus fecisset, æquum id concedi fuerat: sed ei qui sciens prudensq; deliquit, haudquaquam ueniam dandam esse arbitratus est. Ego etsi contra aliorum consuetudinem, latinè in iure ciuili dissertururus tantum abest quicquam deprecer, ut potius qualiquali commendatione non indignum me existimem. non me latet ab Romani imperij inclinatione nullius opera extare, quæ latina dictione in ciuili disciplina concinnata sint: quin potius tum primum ab recto cursu flecti cœptum est: & barbarismis quibusdam corrupta commentaria, in precio tamen habebantur: deinde processu temporis Mandrabuli more eò deuentũ, ut nostris hisce diebus nulla bona litera in omnibus, quotquot sunt, iuris ciuilis interpretibus, reperiri queat: & iam uulgò circumferat, nullum esse Iurisconsultum posse, qui latinè loqui & eleganter sciat. quod certè nescio qua ratione absque impudenti calumnia dici possit: cum antiquos, uel XII. tabularũ, uel rescriptorum, uel edictorum interpretes uideamus & doctè, & eleganter scripsisse. ex quibus Herennius Modestinus non solùm quædam græcè ædidit, sed etiam uersificator egregius P. Maronis periochen composuit. Antistius Labeo omniũ scientiarum cognitionẽ professus ab Gellio quoq; traditur. Atteium Capitonẽ non minus eloquentia, q̃ cæteris artibus preditum Tacitus affirmat. quin & legislator Solon, quanta humaniorũ studiorũ autoritas fuerit, ipse expertus est. siquidẽ ut Demosthenis interpres περὶ πρεσβείας, & Plutarchus Laërtiusq; tradit, cũ Attici & Megarenses de Salaminos insulæ possessione cõtenderẽt, Solon Atheniensium causam Homerico uersu approbasse dicit:

Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας:

Bis senis Salamine Aiax cum nauibus ibat.

Cui carmini subsequens ex suo tanquam Homeri addidit:

Στῆσε δ' ἄγων ὅθ' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες:

Cecropidum quo castra loco posuere phalanges. quem numerum Homeri esse iudices arbitrati, autoritate uatis ducti, tanquam omni memoria Atheniensium Salamin fuisset, pro Solone pronunciauerunt. his accedit, quòd & non hos tantum, sed principes quosque Philosophos ab hisce studijs non abhorruisse, ferè constat, cum tam eleganter Plato scripserit, ut non alia lingua locuturum, si in terras descenderet, Iouem Cicero diceret, quàm Platonica. mitto Empedoclẽ, res naturæ carminibus decantantem. quid Socratis hymnos, Epicharmi modos, Xenophontis historias, Xenocratis satyras commemorem? cum uel maximè Epicurum damnet Cleomedes, quòd barbaras uoces suis scriptis inseruisset: & M. Cicero quosdã sui temporis philosophos insectetur, qui se neq; distinctè, neque eleganter, neque ornatè scribere profitebantur. quam ob causam lectione indignos eorum libros attestatur. quanto melius Madaurensis Apuleius, qui sibi de philosophia disputanti nec unum solœcismũ ignosci, nec unam syllabam barbarè pronunciatam donari, uolens libensq; agnoscit. possem & Christianæ pietatis mystica in exemplum adducere, quibus satis in confesso est, & Hieronymus fatetur, uatum prophetarumq; responsa lyricis carminibus constare: tanta fuit humanitatis studiorum autoritas: quapropter & illud traditum, deûm oracula uersibus ędita fuisse. quid igitur est quod quisq; miretur, si interpolata ueterum cõsuetudine, in iura ciuilia latinas interpretationes cõdidero? & hæc quidẽ, non quòd ipsi hanc nobis gloriã uendicemus, quasi uel lepidiusculè, uel eleganter disceptatores hac in disciplina esse possimus: sed q; etsi non satis rectè omnes, nos tamen minus quàm cæteri

(quod ad huiuſmodi ſtudia attinet) barbarè loquimur, & ſcribimus. ſit itaq; hic quem C ædimus tractatus, quaſi quoddã huius noſtri conaminis ſpecimen: quod ſi læta fronte ſtudioſi excipiant, ad cætera capeſſenda animum fecerint: alioqui græci carminis memor, pedem referam: πάλιν δρόμησαι μᾶλλον ἢ δρόμειν κακῶς. mecumq; interim illud inſuſurrabo: bene qui latuit, bene uixit. cæterùm antequam inſtitutum munus exequar, conſtitutionis ipſius uerba recitanda ſunt.

Imp. Cæſ. Iuſtin. Aug. Ioanni de ſententijs, quæ pro eo quod intereſt proferuntur.



Vm de eo quod intereſt dubitationes antiquæ in infinitũ productæ ſint, melius nobis uiſum eſt, huiuſmodi prolixitatẽ, prout poſſibile eſt, in anguſtum coarctare. Sancimus itaq;, in omnibus caſibus, qui certam habẽt quantitatem, uel naturam, ueluti in uenditionibus & locationibus, & in omnibus cõtractibus, hoc quod intereſt, dupli quantitatem minimè excedere: in alijs autem caſibus, qui incerti eſſe uidentur, iudices qui cauſas dirimendas ſuſcipiunt, per ſuam ſubtilitatem requirere: ut hoc quod reuera inducitur, damnum hoc reddatur, & non ex quibuſdam machinationibus, & immodicis peruerſionibus in circuitus inextricabiles redigatur: ne dum in infinitum cõputatio reducitur, pro ſua impoſſibilitate cadat: cum ſcimus eſſe naturæ congruũ, eas tantũmodo pœnas exigi, quæ uel cum competenti moderamine proferuntur, uel à legibus certo fine concluſæ ſtatuuntur. & hoc non ſolùm in damno, ſed etiam in lucro noſtra amplectitur conſtitutio: quia ex eo ueteres quod intereſt, ſtatuerunt. & ſit omnibus, ſecundum quod dictũ eſt, finis antiquæ prolixitatis huius conſtitutionis recitatio.



Vòd in primis in lege dicitur, dubitationes antiquas fuiſſe, uidendum eſt qua in re ueteres dubitarent. & Accurſius in eo uerſari dubium credidit, quemadmodum æſtimatio quatenus intereſt facienda eſſet: id ne quod extra rem lucrum, damnumq; uenit, an id quod circa rem tantum uerſatur. D quod ipſe quidem non probauerim: hæc enim conſtitutio idcirco eſt ædita, ut ueterum altercationes tollerentur: quamobrem ſi dubitatum foret, quatenus extrinſecus intereſſet, debuerat hoc præſenti lege imperator declarare: cum tamen res hæc tam dubia adhuc ſit, quantum nunquam. Petrus & Cynus [a] uariatum in eo tradunt, quòd ueteri digeſtorũ iure, id quod intereſt in bonæ fidei actionibus ad duplum uſq; progrediebatur: ſed an idem in cõtractu ſtricti iuris eſſet obſeruandum, non æquè conſtabat. ſed & id nihilomagis placet: cum ſi ita fuiſſet, æquum & rationi conueniens erat, ut ex contextu legis hoc tandem explicaretur: cum tamen poſſet adhuc ea opinio defendi, in contractu ſtricti iuris ad duplum non prorogandam æſtimationem: nam lex duo exempla affert, uenditionis ſcilicet & locationis, qui contractus bonæ ſunt fidei: & licet uulgò dicatur regulam, exempla non arctare, ſi tamen plura exempla ſint [b], in confeſſo eſt ſaltem declarari, ut in eadem ſpecie ſolùm regula procedat: nec obſtarent uerba conſtitutionis in omnibus contractibus, &c. quoniam de ſimilibus tantum accipienda ſunt illa uerba, & id cum Accurſio. Igitur omnes contractus intelligere poſſemus, qui tamen bonæ fidei eſſent. ſi itaque admitteremus eorum ſententiam, conſequens eſſet, in eo adhuc ambigi, quod ſe declaraturum imperator credidit. Bartolus [c] autem uidetur exiſtimaſſe, nihil dubitatum, an lucrũ, quod ceſſaret in eius quod intereſt æſtimatione, eſſet computandum: ſed idem prorſus hodie iuris eſſe, quod & olim in hac quæſtione fuerat: quod & Fulgoſius opinatus eſt [d]. & in hanc ſententiam crebrius eſt itum. ſed num circa id quod extrinſecus intererat, quicquam per hanc conſtitutionem ſit immutatum, non reperio qui Accurſio diſſentiat: quem tamen ſuprà non probaui. cæterùm nec illud nobis ſit uériſimile, nihil hac lege noui inductum: quo fit, ut (cum lex dicat, in contractibus certis, quod ſingulariter intereſt conuentæ ſummæ duplum excedere non poſſe: in incertis ſecus) putem in hoc potiſſimum ceſſaſſe ueteres: ſed tamen in digeſtis nihil reperiri, quod eorum ſententiam iuuet, qui aduerſantia huic conſtitutioni prodiderunt: quoniam huiuſmodi reſponſa per Tribonianum, collegasq; de eo uolumine ſint reiecta [e].

a Bal. in ix. op. hic.

b gl. in l. nunquã. de priua. deli. Lancel. in l. j. de iur. om. iu.

c Bar. hic in viij. col. uerſ. uenio. ad ulti. partem.

d in l. j. de act. emp. ff.

e arg. §. j. quibus in prima cõſti. cod. & no. in l. j. de leg. j.

Quod

de q minintur et natura


Vod subsequitur, certam quantitatem uel naturam; disputemus quemadmodum certa quantitas accipienda sit: & Bartolus quid alij opinati sint, refert. ex quibus Accursius: cōtractus, inquit, dicuntur certi, quorū quantitas uel species certo fine terminata, potest ostendi qualis quantaq; sit[f]. cū ergo in obligationem uertitur certa quantitas, certam quantitatem habere dicitur: cum certa species est in obligatione, dicitur habere certam naturam. sed ab hac interpretatione idem recedit tum Bartolus, cęteriq;, eo maximè argumento, quòd uerbum, naturam, ita in lege superflueret: nam & ea quæ certam speciem habent, dicuntur certam quantitatem habere. qua ratione si quis legauerit quantas summas dictauerit, censuit Aristo[g], species quoq; contineri: & si quis stipuletur sibi dari quantas pecunias ex hæreditate peruenerint, non precium, sed rerum corpora stipulatus uidetur[h]. sed tamen quamuis cæteri id probent, satis leuiter arbitror hanc sententiam oppugnari: quoniam eadem ratione Iurisconsultus Paulus reprenderetur: qui, certū, inquit, est cuius species, uel quātitas ostenditur[i]. superflueret enim species. sed & appellatione quantitatis propriè speciem contineri nusquam probatur: imò ex aduerso plura argumenta deduci possent[k]. nec nos tangit Aristonis responsum: quandoquidem aliud est si dixero, lego Sempronio quantitatem: aliud, si quantas summas, &c. dictio enim quantus adiectiua, non ad solam quantitatem refertur, imò ex propria uocabuli significatione magnitudinē potius notat. Ex poëtis affatim exempla succurrūt. Verg.

Nam qualis quantusq; cauo Polyphemus in antro. Idem:
Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.

ex Iurisconsultis illud[l], quantæ audaciæ, quantæq; temeritatis sint publicanorū factiones, &c. nec de sermonis proprietate ambigit, standum esse grāmaticis. nec obesset, quòd uerbum quantitatis à quanto formetur: quoniam consuetudo loquendi à doctis obseruata, ipsa est quæ uerbis proprietatē tribuit, ut Fab. Quintil. lib. 11. est autor[m].
B unde cum consuetudo non assumpserit uerbum quantitatis pro specie, adiectiuū uerò ex adiuncto frequentius: non est absurdum, alterum propriè dici, alterum non æquè: nam & familia à famulando dicitur, & famuli appellatione non uenit dominus[n], & tamen uerbo familiæ comprenditur. Item adnotauit Aristo uerbum, summæ, quod ipse probauit ad certas species referri: tum & in eo casu uoluntas testatoris ex præfatione talis esse conijciebatur: quapropter tot collectis, æquum fuit statuī ibi certam speciem contineri: sicut & cum quis quantam pecuniam dari stipulatur, quippe uerbum pecuniæ generale est, & species comprendit. consequens igitur est, primam hanc Accursij sententiam posse defendi, quamuis semet ipse damnauerit, ab ea in aliam transiens. Hæc est, ut per certam quantitatem, speciem quoque accipiamus: per certam uerò naturam id potissimum intelligamus, cum promissio de genere aliquo est facta: ueluti promitto hominem, spondeo equum: & homo enim & equus certos fines naturaliter habent. non placuit id Iacobo ab Arena, quibusdam rationibus, quas per Bartolum reiectas cernere est. pergit etiam Accursius id declarando, ut certum intelligatur, cum in obligatione est datio: quamobrem si stipuler dari Titium, certam speciem stipulor: si dari centum, certam quantitatem: si uerò dari hominem, uel equum, tunc stipulor certam naturam, & debebitur mediocris[o]. Cæterùm si fieri aliquid stipulemur, puta dari curari centum, uel Stichum, uel hominem[p]: hæc stipulatio incerta est, quippe facti, & stipulationes facti sunt incertæ. damnāt rursus id Iacobus ab Arena, & Petrus: nam uenditor solùm tenet tradere[q] quod facti est: & tamen lex uēditionis contractū appellat certum. sed uenditionē meri facti non esse respondet Bart. quoniam uenditor si dominus sit, nō tradere tantum, uerùm etiam transferre dominium tenetur[r]. cæterùm, ut idem affirmat, non idcirco defenditur Accursius: quoniam in lege subsequitur exemplum locationis, quæ proculdubio est facti: cum conductori dominus patientiā præstet, quę meri facti est[s]. Aliter itaq; accepit ea uerba Iacobus ad Arena: quem dum Bartolus improbare uidet, explicat: nec tandem ab eo ipse dissidet: quod & Baldus facit. aiunt illi, contractus dici certos, qui certam quantitatem, uel naturam respectu sui uel adiuncti, habent. quam sententiam sequor. nam id quod interest, non in iure, sed in

f l. certum. ff. si cer. pe.
g l. quisquis. de lega. iij.
h l. cum stipu. de uerb. sig.
i in d. l. certum.
k ueluti in l. ex morte. C. de pac. conuen.
l l. quantæ. ff. de pub.
m Barto. in l. j. col. pen. si cer. pet.
n l. familiæ. ff. de uerb. sig.
o l. legato generaliter. de leg. j.
p l si. ff. si cer. pe. l. ubi autem. ff. de uerb. oblig.
q l. ex empto. de act. emp.
r l. in conuentionalibus. de uer. oblig. l. si rem alienam. de act. emp.
s no. in l. ij. de uerb. oblig.

t in l. quatenus. de regu. iur.
u l. Arethusa. de stat. hom. l. triticum. de uer. ob.

facto consistere Iurisconsulti dicunt[t], solent autem ea facti appellare, quorum uis est dubia, & omnis à probationibus pendet[u]. Igitur in tractatu eius quod interest, certitudo uel dubietas non est accipienda ratione obligationis, uti fit in obligatione dandi faciendique: & in hoc deceptus est Accursius. nec est accipienda ab eo quod ab initio in obligationem deducatur id quod interest, uel nõ deducatur: quod Nicolaus Matt. credidit: sed id quærendum est, possit protinus probari, uel non possit. Igitur in uenditione & locatione cum de precio conueniatur, clarum est, si conuenta non seruentur, minus interesse nequaquam posse, quàm sit precium: & idcirco cum hic contractus respectu probationis euidens sit, dicitur certus: idem in pacto eundi Romam, si uicissim promissa sit pecunia: & si qua similia, uti declarat Bartolus: qui tamen adamussim nõ extricat, quomodo certam naturam intelligamus, si enim eum sequamur, idem fuerit uel certam quantitatem, uel certam naturam dicere: quod non probo. nec admissa eius sententia, quam cæteri omnes creberrimo calculo approbant, Accursij opinio procedit: nam si hominem generaliter promitto, ipse existimauit promissionem hanc certæ naturæ esse: & tamen eius æstimatio ratione sui, uel adiuncti, non fit planè certa. concedamus deberi mediocrem, non sequitur tamen certitudo: potest enim pluris æstimari unus mediocris alio æquè mediocri: quandoquidem hæc mediocritas certos fines non habet. & cum hæc electio sit multùm difficilis, & ambigua, non uidetur certam naturam habere. non itaque omnino hac in re communem sententiam sequor: quæ & eo amplius conuincitur, quòd nulla lege naturam ita accipi probant: quare illud debemus scire: ea de natura contractus dici, quæ tametsi non exprimantur, in eum deducta intelliguntur, uel ex consuetudine, uel alia de causa, ueluti in emptione: nam de natura huiusmodi contractus est, ut præstetur euictio[x]: quod inductum est, quoniam assidua cõsuetudo fuit ut præstaretur. dicitur etiam de natura rei illud, quod illi regulariter accidit[y], quamobrem Raphaël Comensis de natura penoris esse tradidit, ut breui consumeretur[z]: certè in eius æstimatione ipsius quoque naturæ ratio ducenda est. non me fallit penoris naturam interpretatos esse alios fauorem, quoniam penus propter alimenta fauorabilis sit: sed frequentius admittitur de natura, quod primò dixi. Igitur in proposita quæstione dicendum opinor, per certam quantitatem intelligi ea, quæ expressè solent deduci in contractum, puta precium & rem: per certam naturam, quæ tacitè de natura contractus recepta creduntur. exempli causa: uendo uel loco tibi domum centenis: hic contractus certæ quantitatis est: trado Stichum, est certæ speciei, quæ facilè æstimationem capit. mutuo centum frumenti modios tu recepisti: negas reddere æquè bonum: hic contractus habet certam naturam, de eius enim natura est, ut æquè bonum reddatur. iudex itaque hac ex constitutione id æstimaturus est. Baldus aliter uisus est intellexisse, ut per uerbum naturam, accipiamus facta, quorum natura respectu uicissitudinis mensuram recipit, ueluti precium ratione rei, usus rei ad pensionem: sed & id reuoluitur eòdem, nam si concedo tibi usum rei non statuta pensione, in æstimationem redigetur ille usus, ex natura similium contractuum, & ex consuetudine, quantum pensionis de huiusmodi rebus præstari soleat[a]. & hæc quidem satis & super. Cæterùm quoniam Accursius uidetur existimasse, in contractu emptionis factum non uersari: & Bartolus nòn merum factum, sed etiam dationem: Iacobus autem ab Arena, contraria disseruerit: uideamus cui sententiæ adhærendum sit. & in tractatu, si certum petatur, communis ferè omnibus est opinio[b], si uenditor dominus sit, teneri dare: si uerò dominus non sit, tradere solum obligari[c]. à qua sententia nullo pacto discedendum esse Fulgosius, Doctor alioqui peruicax, & cæteris refractarius, prodidit. nobis tamen quid ultra alios occurrat, subticendum non est: & in primis hoc existimo, sententiã quam turmatim alij sequunt, à ueritate abesse: quinimmo indistinctè & impromiscuè uenditorem tradere tantum obligari. cuius rei primũ argumentũ est, quod Celsus scribit[d]: si tibi pecuniã dedi, ut Stichum dares, nõ emptionem, sed innominatũ contractũ esse: nam si datio ad emptionẽ faceret, nequaꝗ̃ præscriptis uerbis agi posset. respondet huic rationi Philippus Decius[e]: ideo cõtractum hunc innominatum esse, quoniam eo modo concepta erant uerba, quo in contractibus innominatis

x l. pacta. ff. de cõtrah. emp. ubi gl.
y l. cum quid. si cer. pe.
z l. ita stip. magna. de uer. ob.
a l. cũ quid. si cer. pe. l. quod si nolit. §. in assidua. de edil. edict.
b in l. certi conditio. in prin. ff. si cer. pet.
c in d. l. ex empt.
d l. fi. de condi. ob cau.
e in d. l. certi conditio.

Exempla

[handwritten margin note, partly illegible] ... intelligi

A minatis solent; alioqui si contrahentes uoluissent emptionem esse, non eo modo concepissent. quam responsionem non probo: quoniam ex uerborum forma contractus iuris gentium nequaquam uariantur [f]; non enim attendimus quod nomen contractui detur, sed quid in eo deductum sit: quamobrem etiam si contrahentes uerbo emptionis & uenditionis uterentur, & pacto expresso uenditor diceret se rem dare, nihilomagis emptio non esset. & quamuis eo in responso Celsus dubitet, an emptio fuerit, cum tamen subiungat nullam aliam obligationẽ, quàm prescriptis uerbis oriri, consequens est, nihil referre an contrahentes emptionem appellauerint, cum non ab ipsis, sed à iure publico nomina contractibus data sint. quare rursus respondet idem Doctor, idcirco in responso Celsi, contractum eum innominatum esse, quoniam pecunia uti certa species data sit. quod quidem diuinatoria coniectura affirmat: nihil enim hac de ratione est in eius uerborum contextu. Igitur iterum referunt generaliter quidem uenditorem non teneri dare, nisi idem & dominus sit, & tradendi facultatem habeat. uerùm & hoc perquam improbabile est, cum in responso Celsi coniectetur, eum qui Stichum dare promiserat, non fuisse dominum: quod præterquam quòd extra legis uerba inducitur, nequaquam uerisimile est, aliquem scilicet id promittere uoluisse, quod in se non haberet. nam & Celsus competere ait repetitionem pecuniæ, si Stichus antequam des, moriatur: quod referre operæpreciũ non erat: cum etiam si Stichus mortuus non esset, competeret tamen repetitio: quippe tibi dedi pecuniam, ut Stichum dares: si ergo Stichi dominus non es, quomodo potes eum dare? omnimodo igitur pecuniam condicere possum: quoniam non dedisti, ut conuenit, sed tradidisti. non recedunt itaque recentiores à prima responsione, quam confutaui: & eò magis, quoniam si is contractus emptio esse potuisset, absurdum non erat, si Celsus pronunciasset, & condictionẽ ob causam competere, tanquam ex contractu innominato: & etiam actionem empti, tanquã is contractus emptionis & uenditionis esset. simili enim ratione motum Vlpianum sta

B tuisse utranque actionem competere posse aliquando legi [g]. Secundum huius sententiæ argumentum est, quod Papinianus scripsit [h]; si uenditor nouata priori obligatione, uenditori per stipulationem spondeat rem dare, nihilominus non nisi ad tradendum obligari: quia uerisimile non est id actum, ut obligatio augeatur: ut qui tradendi solùm reus erat, uoluerit dandi quoque obligationem superaddere. loquitur autem Iurisconsultus in eo uenditore, qui dominus erat. Id ex eo probamus, quòd si uenditor ancillam tradidisset, Iurisconsultus [i] in bonis emptoris futurã tradidit: nam si dominus is non fuisset, non dominium, sed usucapiendi facultas solùm esset translata: non enim res in bonis dicitur, nisi quæ in dominio est [k]. Tertius, & quidem fortissimus locus est ab Celsi autoritate, in tractatu de actionibus empti [l]. Is tradidit, si iactum retis emero, & captos pisces piscator nolit tradere, ad estimationem rei agendum: nam si uenditor dare teneretur, non ad æstimationem, sed ad ipsam rem specialiter obligaretur: piscator enim piscium quos capit, dominium iure gentium nanciscitur. hunc obicem ita remouent recentiores, quòd ad factum obligatus principaliter uenditor esset, retia scilicet aquis immergere. quamobrẽ quamuis pisces acquirat, datio tamen uti accessoria facti principalis naturam respicit: unde in id quod interest, obligatio succedit. hanc responsionem memini, cum Iason confutare uellet, & Decius etiam deposito pignore tueri conaretur, doctissimum quendam græco hemistichio utrunque taxasse: ἀλυσκάζω ἀλύσκωφ ἐκεῖνον. Ipse certè arbitror non defendi: quoniam si solum factum illud principale cõsideretur, locatio esset, non emptio [m]. quandoquidem si precium des, ego uicissim factum, operarum locatio est: sicut si rem, esset emptio. In proposito ergo casu diceretur piscator locasse operam: quod falsum est: cum Iurisconsultus emptionẽ esse uoluerit, si argumentum à titulo uerũ est. nam cum iactus hic propter pisces fiat, debuit censeri ac si pisces ipsi absque aliquo facto uenum darentur: quo casu piscium datio in obligationem uenisse uidetur: factum autem quod dationis causa inducitur, dationis effectus operatur [n]. Præterea existimo factum id non aliter considerari, quàm in eo qui uenationem uendat, cum indagines disponit: quod utique leuissimum est, utrunque enim Iurisconsulti æquiparant [o]; atqui nullius facti esse indagines, & retia pedicas ue collocare, nemo fere ignorat:

f ff. de præs. uer. l. insulam facit. l. si quis in fundi. ff. de leg. 3.

g l. Labeo scri. si mihi bibliothecam. ff. de contrahen. emp.

h in l. si stipulatus. ff. de decu.

i l. sequitur. §. de illo. ff. de usuca.

k l. bonorum. de uerbo sig.

l l. si iactum. ff. de ac. emp.

m l. cõuenit. l. fundi. ff. de cõtrah. emp. l. ij. ff. locati. §. fi.

n l. naturalis. §. quod si faciam. ff. de præs. uerbo. l. cũ seruus. ff. de condi. & demon.

o l. ex empto. §. fina. ff. de act. emp.

rè ignorat: sed & factum ipsum non uenditur, uerùm pisces ipsi qui capientur: cur ergo C
factum hîc principaliter asseramus? respondent itaq; alij, idcirco æstimationem pisciũ peti, quoniam illi facilè corruptibiles, litis finem integri non expectant: quod adhuc perquam frigidum est: id enim temporis quo durant, debuit saltem posse eos peti, distinguendumq; à Iurisconsulto fuisset, extarẽt, uel non: nam & uerisimile est, in re leui, qualis est captura piscium, protinus ius reddi à prætore [p]: qua ratione interdictum de glande legenda triduo perimitur [q]. Aliter itaq; Aretinus Socinusq; cauillantur. nam ideo non teneri dare piscatorem aiunt, quoniam à principio uenit in contractum id, cuius nondum uenditor erat dominus. quod equidem ratione caret: cum emptor spem emerit, & in eum casum collatus sit contractus, quo uenditor dominus futurus esset. non dubito itaq; eo ex responso probari uenditorem, quamuis dominum, non tamen specialiter, ut det, cogi: quæ sententia ex prima quoq; lege de actionibus empti probatur: licet Fulgosius etiam id opinatus sit, uenditorem non dominum, si tradendi facultatem habeat, tradere ad unguem teneri. Adducuntur etiam in hunc sensum Vlpiani uerba [r]: qui uendidit, necesse non habet fundum emptoris facere, ut cogitur qui fundum stipulanti spopondit. nam eum loqui in uenditore qui dominus sit, illud est argumento, quòd non esse eum similem dicit promittenti fundum: quoniam is cogitur dare: si enim cogitur dare, necesse est esse dominum: quoniam impossibile est, ut qui dominus non sit, det: cum traditio nil amplius transferat quàm in se habeat. si igiť in sponsore qui dominus sit, uerba Iurisconsulti accipiuntur, certè & in uenditore domino accipi debent, cum aliter claudicaret argumentum. Sed & alibi Vlpianus, uenditorem reum tradendi esse ait: dein subiungit, siue is uenditor dominus sit, siue non [s]. respondent recentiores: cum uenditor est dominus, teneri quidem tradere: quæ traditio secum dationem habet: inquit enim, oportet uenditorem tradere: quod uerbum puram necessitatem tradendi inducit, unde æstimatio solui non posset. non id mihi placuerit, cum oportere plerunque aliquid fieri dicamus, quod nullius necessitatis est [t], sed commoditatem tantum respicit: nam & cum in datione duo insint, ipsa traditio, sine qua dominium non transfertur, & etiam dominij ipsius abdicatio, debuisset potius Vlpianus uerbo dandi uti cum appellatione traditionis: quæ leuior est datio, nõ comprendatur. D
Sunt & pro hac sententia aliæ rationes, quas cum alij referant, & nihil inpræsentiarum quod illis addam occurrat, referre supersedeo. Superest ut argumentis, quibus contraria sentientiũ opinio fulcitur, respondeam. ea omnino relatu digna duo sunt. Primum est, quod Iabolenus scripsit [u]: nemo potest uideri eam rem uendidisse, de cuius dominio id agitur, ne ad emptorem transeat: sed hoc aut locatio est, aut aliud genus contractus. Respondet Socinus ex Baldi sententia [x], pactum quod naturalia contractus impedit, non ualere: quod falsum est: substantialia quippe contractuum pactionibus tolli nequeunt, naturam respicientia queunt [y]. colligi itaq; inibi uidetur, dominium de substantia contractus emptionis esse: sed tamen & id non probo. si enim dominium substantiam eius contractus respiceret, res aliena uenundari non posset [z], & tamen nemo dubitat ualere uenditionẽ. Igitur aliter dicendum putauerim: nam cum emptio & uenditio inuentæ sint, ut per eas acquiramus iure gentium dominia, uel usucapiendi conditionem, lex absurdum existimauit posse expressè conueniri, ne dominium transferatur: expressa igitur nocent, non expressa nõ nocent [a]. Alterum argumentum est: quòd si emptor possessionis, uacuã possessionem tradi stipulatus sit à uenditore, huiusmodi stipulatio causam bonorũ continet, ut Vlpiani [b] responso cautum est: sed certè responsum illud in emptore intelligi non potest, sine expressa uerborum cauillatione. quamobrem eam interpretationem Iason se idcirco attestatur sequi, quoniam meliorem non reperit. Ipse cum Accursio aliter sentio: ut distinguamus, an aliquis simpliciter tradere promittat, & solum factum uidetur promisisse: quòd si etiam uacuam possessionem spoponderit, tunc talis stipulatio causam bonorum cõplectitur. differentiæ ratio est: nam nisi ex hac posteriore dominium transferretur, tradi uacua possessio nõ diceretur: cum ille penes quem dominium residet, meritò animum possidendi habere præsumatur [c]: non igitur possessio esset uacua. nec hanc interpretationem argumenta Iasonis conuellunt, qui

p *l. 1. §. sed excipiuntur. de ferijs.*
q *l. 1. de gla. leg.*
r *l. si ita distrahatur. ff. de contrah. emp.*
s *l. ex emp. ff. de ac. emp.*
t *l. cum oportet. C. de bon. quæ lib.*
u *l. cum manu. §. fi. ff. de cõtrah. emp.*
x *in d. l. certi conditio.*
y *gl. in l. pacta conuenta.*
z *§. precium. inst. eo.*
a *l. nunquam. ff. de condi. & demon.*
b *l. in conuentionalibus. §. fi. ff. de uer. obl.*
c *glo. in l. fi. uer uacuam. C. unde ui.*

lunt, qui

sunt, qui Pomponij illud affert [d], emptorem qui possessionem sibi tradi stipuletur, idem facere ac si uacuam possessionē tradi stipuletur. nam respondeo, solere expressionem aliquando plus operari, quàm si tacitè idem ageretur. nam & in emptore illud procedit, qui secundum contractus naturam stipulatus intelligitur [e]: secus est in eo qui sola stipulatione possessionem sibi uacuam tradi stipuletur. & hoc modo sublata sint argumenta, quæ cōmunem sententiam adiuuabant: reliquū est ut ratiunculas quasdam neotericorum elidam: ueluti dum dicitur, uenditorē de euictione teneri [f], quod admonet obligari eum dominium transferre. nam consequens id esse negauerim: alioqui si hæc præsumptio reciperetur, is quoq; qui rei uenditæ dominus non esset, dare cogeretur, cum euictio eum teneat. alia est ratio ex eo responso, quo [g] qui alienam rem uendiderit, si medio tempore dominium acquirat, cogitur implere uenditionem. sed & dici potest, in eo casu rem non fuisse traditam priusquam dominiū acquireretur: & hinc satis impleri uenditionē dici, eam tradendo, ut in eius interpretatione Accursius scripsit. ex hac igitur opinione, quam aduersus cōmunes traditiones tutatus sum, constat argumentum, quod Iacobus ab Arena contra Accursium intorquebat, uerum esse: nec per Bartolū rectè responderi. animaduertendum tamen est, si à frequentiori sententia non recedamus, mixtamq; dandi & faciendi obligationem in uenditione fateamur, nihil impedire quin idem in locatione defendamus, prorsusq; ab Iacobo Accursium tueamur. Ille enim usus, quo conductor fruitur, loco dominij succedit, quod Socinus arbitratus est [h]: quod & ipse idcirco comprobauerim, quoniam à nemine nō traditum est, ubi conductor fructus collegerit, tum demum illorum dominium acquiri, non prius: quapropter damnū uel uenientis exercitus, uel alterius rei, fructibus collectis, ad conductorem pertinet: si adhuc in agro sunt, locatoris periculo pereunt [i]: nam damnū rei ad dominum semper pertinet. & hanc Soci. sententiam defendi posse in agri, similisq; rei locatione crediderim: non in eo qui operas locat, puta nomenclatore, tibicine, histrione: non enim hi quicquam faciunt quod ad dationem trahi possit. qua de re scitū est apud Plutarchum Dionysij tyranni dicterium: Is Musici canorem admiratus, eo ardore animi præmiū ingens illi promisit. post aliquot dies musico promissa repetenti, nonne, inquit, par pari relatum est? tu me re inani, sono uidelicet, alacrem fecisti: contrà ego te spe pollicitationis, quæ æquè inanis est. quærendum hîc esset, an seruitutes certæ dicantur, uel incertæ: & uideretur id ab ea quæstione emanare, an in seruitutibus principaliter datio uersetur, an factum. quam rem aliquando latius excussi in lege quę secunda est, de uerborum obligationibus. sed quod ad rem præsentem attinet, id inquirendum non arbitror, ius ne, an factum contineant: cum in hoc tractatu hoc modo certitudinem non accipi suprà dixerim. Igitur puto esse incertas, cum in his nequaquam sit certa quantitas, aut natura: in arbitrio ergo ius dicentis fuerit, quatenus intersit in eis æstimare.

QVod lex habet, id quod interest &c. uideamus quid sit id quod interest, tū & quotupliciter intersit. Et Accursius dupliciter id definit: Interesse est (peto à latinè scientibus insolentis uoculæ ueniam) singulare rei precium. nam Venuleius [k], stipulationes, inquit, quanti ea res est, promissionem habent. quę uerba id quod singulariter interest, respiciunt. definitionē tamen hanc ueteres non probant: idem & Bartolo, Baldo & Salyceto uidetur. nam id solum finit quod singulariter interest, cum tamen alijs quoq; speciebus intersit. sed hoc facilè reiecerint, qui existimabunt de una hac tantum specie loqui constitutionē hanc, quod inferius enarrabo. Igitur aliter impugnāt, cum in eo quod interest, ratio damni emergentis ducatur, sicut & lucri cessantis: cum tamen de hac re in definitione sit nihil. posset responderi, uerbū rei generale esse, & augmenta diminutionesq; sub eo cōprendi [l]: appellatione enim rei auctarium quoq; eius continetur [m]. quapropter ex hac definitione ita accipiendum erit, ut interesse sit singulare preciū rei non præstitæ cum suo augmento accessioneq;, hoc est lucri, damniq; nō habita ratione. alia item ratione urgetur hæc definitio. nam id quod interest, precium rei quandoq; excedit [n]: sed uti asserui, res hîc generali significatione accipienda est, non ut id tantū quod à principio in contractum

d l. datio. ff. de act. em.
e glo. in l. si stipulatus. in gl. j. de usur.
f l. Iulianus. §. j. de uer. ob.
g l. si quis alienam. ff. de actio. empt.
h in l. certi conditio.
i Scrib. in l. si merces. §. uis maior. ff. locati.
Interesse singulare rei precium
k in l. fin. de preto. stip.
auctarium
l l. ait prætor. §. per hāc. ff. quæ in frau. cred.
m l. etiam. ff. de solu.
n l. j. de actio. emp.

deducitur, comprendat: sed ut sequentiũ quoq; accessionũ ratio ineatur, quippe dubium non est, æstimationẽ rei simpliciter acceptam, interesse non dici [o]: sed eam æstimationem cum damni emergentis, & lucri cessantis æstimatione iunctã, tum demum eius quod interest uerbo contineri. Secunda Accursij definitio hæc traditur: Interesse est damnum emergens, & lucrum cessans ex eo quod aliquid fieri cessatur. hanc probant Martinus, Iaco. But. Baldus, & ex antiquis maior pars. reprobauere tamen aliqui, quod interesse damnũ non est. sed hîc accipiendum est damnũ pro eius æstimatione, exemplo legislatoris, qui, damnũ hoc, inquit, reddatur, id est damni æstimatio: superadditur aliud, quoniam plerunq; lucri cessantis ratio non habetur [p]. respondet Salycetus: licet omne lucrum non attendamus, id tamen deduci quod iure cõmuni delatum est. procedit itaq; definitio in lucro, quod iuris est, ut computetur. nam id negare non possumus, cessantis lucri rationem in eo quod interest haberi: id enim hac constitutione expressim cauetur. satis autẽ est si definitiones casus regulares comprendunt, non qui rarò, & obiter proueniunt. qua ratione Alexander dotis, Nicolaus Tudiscus iudicij, Aretinus testamenti uulgares definitiones tuentur. quam rem in Paradoxorum sexto sub incudem reuocaui. In idem Bartolus quoq; argumentat̃: quoniã reperire est, quod publicè intersit, & æstimationem non capiat: uti libertas, fauor dotium, & id genus cætera [r]. cui rei respondendum est, omne quidem id generaliter & in uniuersum statui nõ posse: sed tamen lex quandoq; moderatur, & ad æstimationẽ redigit. præterea absurdum non esset, si fateremur, de eo quod inæstimabiliter intersit, definitionẽ non loqui. quid enim id ad præsentem tractatũ? lex quippe de eo facta est, quòd à prætore taxari possit. Prosequitur Bartolus, aliterq; impellit: quoddam, inquit, interesse appellamus, cum non lucrũ cessat, sed damnũ, & econuerso lucrũ emergit [s]. Finge hostẽ mihi damnum dare, certè mea interest cessare damnũ: idem in legato repudiato, interest enim mea lucrum emergere. uerùm argumentũ id ἀντίστροφον, ut Græci dicunt, & conuersorium est, tolliturq; ex inuersione capitum: nam si aduersus hostem ago, in causa est damnum, quod emersit, emersurũq; est mihi: si heredem qui me legatũ coëgit repudiare, in ius uoco, id idcirco facio, quoniã eius causa cessauit lucrũ. similis argumenti exemplum habemus apud Gelliũ, & etiam Africanum, titulo ad legem Falcidiam [t]. sunt & qui alijs rationibus idem impugnent: quoniam nõ id quod interest comprendit, cum damnũ ex eo infertur, quòd id fiat quod fieri non debet. respondet Salycetus, satis comprendi: quoniam appellatione facti, non facere (ut ipse ait) continetur: hinc si stipuler non fieri, stipulatio facti est [u]. Sed & ipse in hanc definitionẽ illud intorqueo, quòd nõ comprendit id quod nostra interest: quia cum promisisses dare, nõ dedisti: in obligationem enim rem dari id quod interest, deducitur, quamuis non iure obligationis, saltem iudicis officio [x]. Cum igitur id non contineat̃, cõsequens est definitionẽ non esse perfectam: nisi dixeris appellatione faciendi latissimè dationẽ uenire, licet impropriè [y]. præter cæteros aliam quoq; finitionem ædidit Bartolus: ut distinguamus id quod in genere interest, an quod etiam uniuersaliter. si enim sequenti hoc modo accipiamus, interesse, inquit, est iusta alicuius utilitas. quod sanè quàm impropriè à Bartolo dicitur. nam & genus, ut ipse ait, generalissimum in eo quod interest dici, sicut & alibi professus est, in officio iudicis, nemo dialecticus unquam admiserit: itaq; non dubitauerim id quod interest, generaliter dici posse. quod uerò aliud sit æstimabile, aliud quod petatur, aliud inæstimabile, aliud quod peti non possit, sintq; hæc eius species: ipse nequaquam fatebor: cum potius accidentia sint quæ speciem diuersam non faciunt. ut si dixerim, hominum quidam albi, quidam nigri sunt: qua ratione possessio pro emptore, aut pro donato, aut pro derelicto, species quidem possessionis non sunt, sed differentiæ quædam ex accidenti [a]. Cæterùm etiam si Bartoli hanc distinctionẽ admittamus, dubio tamen non caret eiusmodi definitio, cum iusta alicuius utilitas reperiatur, quæ tamen propriè ad id quod interest, non refertur: quale est rei precium [b]. quòd si probari dixeris æstimationem quidem rei ab eo quod singulariter interest non comprendi: sed non tamen esse consequens, quin id quod in latissimo genere intersit, æstimationẽ hanc cõtineat, respondeo, ab eo genus remoueri, à quo omnes eius species abdicantur. hæ autẽ species sunt,

o l. hæc uerba quanti. ff. de uer. signi.
p l. si sterilis.
r l. j. sol. ma. l. libertas. de regu. iur.
s arg. l. fin. de his qui deiec.
t l. qui cccc.
u l. ubi autem. §. illud ff. de uer. oblig.
x l. uinum. si certum peta.
y l. iij. §. dare. de usufru. l. si stipu. de usur.
a Bar. in l. j. iiij. col. de acquir. pos.
b d. l. hæc uerba quanti. de uer. signi.

A cies sunt, singulare conuentum cōmune, quibus speciebus clarū est rei æstimationem
non contineri. In eundem etiam illud contorquetur, aliquid nostra interesse: non tan=
quam utilitatis non habitæ preciū, sed uti damni emergentis æstimationē [c], & de pro=
prij sermonis natura multum differentiæ est, si dicamus damnū emergere, uel utilitatē
non haberi: alioquin in Accursij definitione superflueret, lucrū cessans, cum expressis=
set id damnū emergens. meritò itaq; Bartoli definitiones sectatorē nullū in hoc tracta=
tu habuere: sed Accursio creditū est. præcedentem nostrā rationē Dyni [d] argumentū
confirmat: is inter iuris regulas hoc syllogismo utitur: hæc uerba, quanti ea res est, non
ad id quod interest, sed ad rei æstimationē referūtur, ut Iurisconsulti tradunt: negatiua
autem uerbo, potest, præcedente, omnis potentiæ actus excluditur [e]: quoniā uniuersa
liter negat. rei ergo æstimatio nullo modo id cōtinet quod interest, & tamē iusta est ali=
cuius utilitas. nam & quod idem dixit, aliquid fieri nostra interesse, quod quidem æsti
mari possit, peti nō possit, nimis planè perfunctoriū est. nam quatenus interest, in facto
cōsistit, quod ad probationē referri superius dixi: si igitur peti nō potest, nec in iudiciū
deduci ualet, & probationes erunt incongruæ, nec à iudicibus admittendæ. non uideo
itaq;, cū probari nequeat, quomodo nostra interesse dici possit, tum iniri æstimatio, nisi
Bartolū loqui intelligamus de eo quod intersit quidē uerè, sed probari nequeat: quod
si probaretur, æstimationē caperet: probatio enim nihil de rei substantia immutat [f]. de=
finiuit & aliter Dynus: qui interesse, in quantitate consistentem damni æstimationē di
xit: quod quidem defendi potest, si appellatione damni, rationem quoq; lucri cessantis
ducendam putauerimus: & id enim quodammodo damnum dici potest [g]. In hanc ta
men definitionem aliquis idcirco dixerit, quoniā id quod nostra sola affectione intersit
non comprendat. Item dum putat æstimationem esse in quantitate consistentē, nescio
an satis probem: quoniam fortasse mea interest habere fundum [h]: id ergo quod mea
interest, in quantitate non consistit: licet damnum mihi per dationem quantitatis resti
B tuatur, & hoc argumento suprascriptæ Doctorū definitiones reprobari possent: quia
interesse, ut ipsi dicunt, non est ipsa æstimatio rei uel damni, lucriue: sed per huiusmodi
æstimationem compensatur mihi, & restituitur damnum, ita quod mea amplius non
interest. uerùm aliud est ipsa res, aliud rei solutio: nam & æstimatio hæc quoddā quasi
subsequens est eius quod interest [i], quoniam ex ea rem ad precium deducimus. defini
tiones autem rei substantiam amplecti debent, non exteriora [k]. nemo enim dixerit æsti
mationem substantiā eius quod interest, respicere, sed potius quendam effectū. qua=
propter cum lex dicat, quatenus intersit in facto consistere [l], definitiones autē non quæ
facti, sed iuris sunt, soleant terminare, non arbitror in hoc inquirendum: modicæ enim
id utilitatis: definitiones uerò in iure periculosæ sunt, quamobrem & Iurisconsulti ue=
teres descriptionibus potissimum utuntur [m].

c l. j. §. fin. ff. si quis iud. l. fi. de præto. sti.
d Dy. in c. mora.
e c. j. de reg. iur. libro vj.
f l. duo sunt. ff. de testa. tu.
g l. Proculus. de dam. infec. l. iij. in prin. ff. usufruc. quemadmo. cau.
h l. in fundo. de rei uen.
i l. j. de contrahen. emp.
k Bar. in rub. de appel.
l d. l. quatenus.
m l. j. de reg. Cat. l. j. de do. l. suus. de hæ. insti.


Væro, id quod interest, quot modis accipiatur. Et plures species adducun
tur, quæ tandem in treis reuoluūtur: interest enim singulariter, communi
ter, & ex conuentione. interesse singulariter dicimus, quod in persona pe
tentis consideratur: cōmuniter, quod communi æstimatione. finge, uen=
didi tibi fundum reditus aureorum sex in annos, dein accepta pecunia nō
trado, quinimo annum integrum retineo, tu tandem mecū agis: iudex id quod inter=
est æstimabit, si singulariter æstimaturus est, accidere posset tua uel uiginti interfuisse,
quod statim non tradiderim [n]: uel ex probabili aliqua affectione, uel ducta alicuius da=
mni ratione quod tibi euenit, quia fundū non tradidi. si cōmuniter æstimatio ineatur,
fortasse tua nō referret XII. puta quia in homine eiusdem qualitatis cōmuniter ex mo=
ra maius in simili re detrimentū non accidit. sed finge rursus in eo cōtractu affuisse pa=
ctionem, ut si euestigio fundum non traderem, dena tibi rependerem: dicetur ex con=
uentione interfuisse decem [o]. Superest uideamus ut uera sit hæc distinctio: & in primis
Dynus [p], & alij quidam existimauerunt unico tantum modo nostra interesse: cuius rei
argumentum in hac cōstitutione esse arbitrati sunt, dum sanxit Iustinianus, hoc quod
interest, dupli quantitatem minimè excedere, id est duplum communis æstimationis.
aiunt ipsi igitur, cōmunis æstimatio non est species eius quod intersit, cum quod exce=

n l. j. ff. de ac. em.
o l. fi. de præt. sti.
p in c. mora.

dit, minimè idem sit cum eo quod exceditur. nam & quæ res disponit, & quæ res dispo nitur, eiusdem non sunt generis [q]: quamobrem si id quod cōmuniter uel ex cōuentione interest, æstimationē rei prætergreditur, disponitur & restringitur, ne duplum excedat, æstimationēq; coarctat. Igitur absurdum est opinari eiusdem generis species esse: consequens alioqui foret, æstimationem cōmunem non respicere id quod interest. sed respondendum est huic rationi, uerum esse, cōmunem æstimationē ab eo quod interest differre: non enim ipsius rei cōmunis æstimatio, & interesse cōmuniter idem est, ut argumentum Dyni supponit: sed ultra rei cōmunem æstimationem damni emergentis, & lucri cessantis communi usu ducta ratio id efficit, quod interesse cōmune appellant, & Bartoli, cæterorumq; uerba ita accipi debent: ut malè faciant recentiores [r] quidam, qui, ut Bartolū arguere uideantur, eius uerba falsò referunt, & pessimè declarant. Illud tamen profitebor, si ex mora damnum aliquod non accidisset, nec propterea à lucro esset cessatum, tunc latissima significatione æstimationē rei in eo quod interest contineri. Adducit & in sententiā suam alia argumenta Dynus, quæ si referam, operæprecium facturus non sum: quoniam id satis esse debet, legi ea apud Salycetum confutata posse. uerior itaq; ea est cōmunis opinio, quā suprà retuli, tribus scilicet modis id quod interest diuisionem capere: à qua tandem nec Dynus ipse recessit. Videamus quemadmodum singuli modi probabiles sint: & quòd communis æstimatio sit pars eius quod interest, deducitur ex eo quòd qui iudicio aliquem sistere promittit, ad cōmunem æstimationem condemnatur [s]: & tamen lex quandoq; affirmat, damnari in id quod interest [t]. nam & in litem iuramus, quatenus nostra interest [u]: & tamen in tali iuramento uenire rei æstimationem constat [x]: quinetiā lex Aquilia quandoq; legitur æstimationem damni ulcisci [y], quandoque plectere quatenus interest. Id uerum est, posse id intelligi, quatenus interest singulariter, non cōmuni æstimatione: allegant in hanc rem & quædam alia Dynus Salicetusq;, quæ tute uidere poteris. at illud quod ex cōuentione debetur, interesse conuentū dici Baldus [a] quibusdam rationibus prodidit: nam precium id ex debitoris, non tradentis mora petitur: ergo ratione eius quod interest præstatur. siquidem ex pœnitentia precium non datur, quando in nominatis contractibus pœnitere non liceat: cōsequens igitur est ex mora præstari [b], quod nō aliud est, quàm quod interest. sed hoc argumentū efficax non est: cum non ex mora principaliter id precium debeatur, sed ex contractu, quia ita conuenit si non fieret, tantum dari. quare cum legi contractus paritū non sit, euenit conditio: debetur itaq; illa pœna nō propter moram, sed propter conditionis euentum. alia Baldi ratio ex eo deducitur, quòd si rem æstimatam uxor marito in dotem dederit (cum non hoc est actum, ut uendita sit) soluto matrimonio, diminuta re uel perempta, æstimatio petitur [c]: idem in pecore æstimato in societatis contractu [d]. Certè hæc æstimatio dicetur conuenta, cum ita æstimari conuenerit. quod argumentū friuolum est: cum æstimatio conuenta ab eo quod interest in conuentione differat. addit idem scriptor, probari id in Venulei responso [e]: quo dicitur, id quod interest in conuentionem expressa quantitate deducendum esse: quoniam alioquin difficilis sit huiusmodi probatio. Et hoc argumento clarissimè explicatur, quid sit quod Doctores interesse conuentum appellant: nō enim esse ipsam rei æstimationem, ut præcedenti ratione deduxerat: sed pœnam quæ additur, si principalis cōuentio non obseruetur: ueluti uendo tibi Seianum fundum centum aureis, & promitto tradere: & si non tradidero intra annum, spondeo XX. quod nam hîc erit interesse conuentum? certè ipsa uiginti, non autem centum, quæ sunt ipsa rei æstimatio. Idemq; Dynus probat, & quandoq; Bartolus [f]: licet idem cum Accursio etiam uariauerit: & ipsa centum, interesse conuentum existimauerit: si quis tamen in proposito exemplo centum & uiginti interesse conuentum appellauerit, uiginti quidem in ea summa propriè dixerit, centum impropriè. & hæc sunt de aliorum traditionibus, quæ prosequi placuit. Cæterùm quæ nobis magis adlubescant, talia sunt: & inter cætera uerbū, interesse, substantiuo modo prolatum, in iure ipso ciuili nō reperiri. quoniā latinè sic dici nō potest, nisi ex adiecto insolens dictio tēperetur: quale illud Ausonij: Hoc quod amare uocat, aut misce, aut solue Cupido. solent itaque Iurisconsulti appellare id quod interest.

sed &

q l. fin. de fund. instru.
r in rep. l. quatenus.
s l. ij. §. fin. ff. qui satisd. cog.
t l. fin. ff. si quis in ius uoc.
u l. penul. de in lit. iur.
x l. uideamus. §. si tamen. eo. ti.
y l. lex ait quanti. l. si seruū. ad l. Aquil.
a Bal. in ix. col.
b l. cum te. C. de pac. inter em.
c l. æstimare. ff. so. ma.
d l. cum duobus. §. damna. ff. pro soc.
e l. fin. de præto. stip.
f in viij. colum. uer. uenio ad ultimam.

A sed & diuisiones hæ, quas suprà ex recentiore disciplina tradidi, à ueteribus nõ referuntur. neq; enim singulariter, uel cõmuniter, uel ex cõuentione interesse, apud antiquos legere est: sed uoces hæ à neotericis interpretibus factę sunt, ut facilius quod mente cõceperant, declararent: quod etiã Fulgosium non præterijt [g]. Igitur quicquid ad me pertinet, qualitercũq; dum non iniustè pertineat, mea interesse dicitur: nostra enim refert, ne quicquã iurium nostrorũ aliquis perditum uel minutũ eat: in summa, quicquid ad nostram utilitatẽ spectat, nostra interest: formatur autẽ ab eo quod est in re esse, qua de re si promisisti dare centũ, & nõ des, nostra interest te centũ dare: si spopondisti tradere Stichum hominẽ, & nõ tradas, ad nostrã rem pertinet, ut tradas, uel id soluas quod cõmuni æstimatione Stichus ualet: & idem in similibus. Potest itaq; pro certo affirmari, in eo quod intersit etiã rei preciũ uersari: si ẽm rem non das, utiq; mea interest te æstimationem saltẽ dare. si ergo hoc quod interesse uocãt, generaliter accipiatur, omnes species cõprendet, & quidẽ propriè: species enim suo generi propriè inest [h], nisi quis existimet hominẽ propriè non esse animal, & equũ non esse bestiã, uel pauonẽ propriè non esse auem. Illud tamen aliquando accidit, ut uerba anguistiore significatione accipiantur, q̃ proprietas uocis ferat [i]: aliquãdo latiore & uberiore, uti uel rei de qua agitur ratio, uel loquendi cõsuetudo tunc requirat [k]. quapropter quod legit̃, hæc uerba quanti ea res est, non ad id quod interest, sed ad æstimationẽ referuntur. idcirco dictũ est, non quòd nostra nõ intersit, æstimationẽ habere, sed quòd æstimationẽ deberi alia ratione iam clarũ est. unde cũ dicitur, non ad id quod interest, &c. intellige generaliter, uel ratione cõmunis interesse uel affectionis, uel alio modo: sed ad æstimationẽ, id est rei preciũ, ut quod interest illã æstimationẽ non excedat. Illud non diffiteor, in tractatu nostro interesse illud intelligi, quod singulariter interest, quamuis & quandoq; cõmune accipiamus, sed id rarius. idq; hac ratione, quoniã utrunq; incertũ, & probari debet: quare & æstimatio communis, quæ nondũ certa est, hoc uerbo plerũq; accipitur: si uerò certa sit, rarissimè

B sic nuncupari reperies: quoniã aliud habet nomẽ, & quidem elegantius, uidelicet æstimatio uel precium, quo frequentius appellatur: & quæ loquendi cõsuetudo, in altero insolentiã & quandam improprietatẽ induxit. Igitur omne quoquo modo intersit, dicitur propriè interesse: & licet aliud peti possit, aliud non possit, non tamen ideo minus dicitur interesse: nec propter hanc differentiã, speciei uarietas uidetur inducẽda [l]: quocirca quod interest intra rem, uel extrà, uel affectiõis causa, in speciẽ differre nõ opinor.

AIt lex, dupli quantitatẽ minimè excedere: quæsitũ est, duplum id quemadmodum colligendum sit. & Accursius treis sententias refert: & prima Placentini est, id quod ex cõuentione interest, duplari. hunc ipse Accursius, Bartolus, cæteriq; damnant: quippe plurimos esse casus, in quibus nihil quod intersit, in conuentionẽ deducitur, nec coarctandam legem. quamobrem Bulgarus, & Iacobus Butr. id quod communiter interest, duplari crediderunt. Accursius Bartolusq;, ubi interesse cõmuniter potest, in æstimationemq; id cadit, hoc duplari malunt. si uerò communis hæc æstimatio iniri non possit, tunc quod ex conuentione interest, ad duplum usq; protendi poterit, ita tamen, ut si eadem in re accidat & communiter interesse, & ex conuentione, id quod cõmuniter interest, dupletur: si maior ea summa futura est, quàm ea quæ de æstimatione conuenta fuerit: alioquin dupletur conuenta: & hoc in odium eius qui in mora est: quoniã is in maiori quantitate semper condemnandus est [m]. Videamus quemadmodum interesse ex cõuentione hîc accipiamus: & si pœnam ipsam, quæ inobseruantiam cõtractus principalis punit, intelligamus, dubio procul existimo Bartoli & sequiorum sententiam à ueritate abesse. si enim contrahentes expressim cauerunt, non uidetur ab eorum prouisione recedendum [n]: cum regulam iuris habeamus, quæ expressè aguntur, ea quibus tacitè lex prouiderit, tollere. & hanc sententiam Salycetus probat, qui fragile Bartoli argumentum ostendit. satis enim est, si qui contractui non paret, id quod interest ad duplum pendat, durissimeq; secum ageretur, si maioris summæ duplũ repræsentare cogeretur. sed quid si Bartoli sententiam accipiamus in æstimatione conuenta, hoc est, in rei ipsius precio? nec etiam arbitror rectius sentire Placentinum. & in primis sciendum est, aliorum sen-

g Fulg. in l. j. de act. emp.

h l. prætor ait. de sus & le.

i c. cum de no. de præb. lib. vj.

k l. si uno locati.

l Bar. in l. j. in iiij. colum. de acqui. pos.

m arg. l. contumacia. de re iudic.

n l. fin. ff. de præto. stipu.

o l. j. de act. em. tentiam unico Vlpiani[o] responso pauxillum adiuuari: is tradidit, si res uendita nõ tradatur in id quod emptoris interest agi, hoc autem interdum preciũ egreditur, nõ enim statuit Iurisconsultus summã ad quam usq; protendatur: tu intellige egredi usq; ad duplum, ut hac lege cautum est, quæ efficaciter in illos inducitur. Ait lex, in contractibus certis, qualis est emptio & locatio, id quod interest, dupli quantitatẽ minimè excedere: constatq; his in contractibus uersari preciũ[p], idq; esse quod æstimationem cõuentam appellamus. Cum igitur lex dicat non excedi duplũ, ratione simpli dictũ id nemo negauerit, cum in duplo simplum insit[q], & sic ipsa æstimatio. at æstimatio rei alia non est: præter cõuentam, cum conuenta cõmunem tollat, quoniã quod expressum est, tacitũ tollit. nam & in uenditione quod conuentum est, semper attenditur, cætera negligun tur[r]. quare & Bartoli ratio explodenda est, qui in contumacis iniuriã maiorem summã attendi probauit. Nam potius quod minus est, obseruandum fuerit: cum hæc constitutio, non ad extendendam eius quod interest æstimationẽ, sed ad coarctandam promulgata sit. Sed & nostra hæc opinio Pauli Africaniq; responsis luce clarius probatur[s]. hi, si hæres seruum, cui fideicõmissaria libertas debeatur, uendat, & emptor in eo erudiendo multas pecunias effuderit, deinde ex constitutione seruus in libertatẽ prouocet, competere emptori repetitionem precij tradiderunt, & id omne quod emptoris interest, quia in eo erudiendo profudit, ita tamen ut precij duplum non excedatur. en ergo quemadmodum ipsa æstimatio cõuenta dupletur. Sed quia subsequitur aliud responsum, uideamus an supradictis aduersetur. si enim aream aliquis alienam uendiderit, & emptor in ea ædificauerit, deinde per dominũ euincatur, dubitat Iurisconsultus, an emptor in omne id quod interest, uenditorẽ conuenire possit. & cum erga dominum exceptione ut sibi restituat quod ædificando impendit, tutus fuerit, nõ posse à uenditore id repeti statuit: in omnibus tamen his casibus si uenditor alienũ sciuerit, omnimodo teneri debet. respondẽt quidam, uerbũ id, omnimodo, ita coarctandum, ut duplum nõ excedat: sicut uerbum, omne, in priore responso positũ, per Iurisconsultũ ad duplum restringitur. quod ego, cum cauillatione non careat, non admitto. Bartolus priorem legem per hanc sequentem corrigi tradidit, quod æquè absurdum est. Fulgosius nõ corrigi, sed declarari arbitratus est: ut distinguamus an uenditor ignorauerit rem esse alienam, & duplum nõ excedetur: an sciuerit, & tunc omnimodo teneri: quod & Bartolo ferè placuit. Sed & id ipse nequaquam sequar: cum uerisimile non sit, Iurisconsultum, qui priore responso ignorantiã in hærede nullam tradiderat, tam citò de sententia decessisse. Itaq; arbitror ueterũ & hac in re perspicacitatẽ longè defecisse: uersiculus enim ille ultimus, non ad computationem referendus est, quæ in æstimatione eius quod interest prius facta fuerat, sed ad obligationis ipsius substantiam. quod ostenditur ex illis uerbis, teneri debet, &c. traditur enim an teneatur, uel id minus, nõ autem quomodo uel quatenus teneatur. Igitur quia superius explicauerat, cum aream alienam quisquã uenum dedisset, si ubi emptor ædificia struxerit, euincatur, an uenditor in id quod interest emptoris, sit condemnandus: & si emptor in possessione fuerit, non teneri tradiderat, cum dominũ exceptione doli mali expensas reficere emptor compellere potuerit: si uerò in possessione non fuit, tum agere contra uenditorem emptorẽ posse. quod declarando Iurisconsultus prosequitur: ut cum uenditor rem alienã sciuit, omnimodo teneatur: non possideat emptor siue possideat, & doli exceptionẽ non opposuerit. nec aliter exprimit quatenus ratione eius quod interest, sit condemnandus uenditor. quod & ex superiori responso, & ex hac constitutione deciditur, duplum non egredi. Igitur distinctio in sciente tradita in secundo illo casu procedit, non autem ad hæredem serui uenditorem, quod in priore responso scribitur, trahenda est. hæres enim suprascripto casu dubio procul onus manumissionis sibi à testatore impositũ norat: quamobrem & Seia legatũ accipere noluit, utpote ferè inutile. nec uerisimile est, hæredem testamentũ quo institutus fuerit, ignorasse[t]: uox itaq; illa, omnimodo, ad proximiorem casum referenda est. quæ interpretatio etiã regula iuris adiuuatur, relationes uidelicet ad proxima quæq; trahi[u]. Cæterùm & sententia hæc nostra ex ipsius legis ratione cõfirmat̃. in contractibus eñ certis duplũ idcirco excedi nequit, in incertis uerò quantũcunq; interest, deducitur:

p §. preciũ. insti. de contrahen. emp.

q §. tripli. instit. de act.

r l. si uoluntate. C. de rescin. uend.

s l. Titius. & l. seq. de actio. emp.

t l. eius qui. ff. si cer. pe. Bart.

u l. j. §. deinde. de postu.

A deducitur: quoniã in illis, cum certã quantitatem uel naturã habeãt, facilius quod simplum est dignoscitur: quamobrem contrahentes non uidentur uoluisse illud maxima summa excedere: at in incertis non ita est, cũ haud facilè simplũ reperias. Si igitur hæc ratio uera est, nemo quippe est qui eã non probet, in quẽ alium finẽ certitudo ista considerari potest quàm propter preciũ? quoniã uidelicet hi cõtractus certũ precium uel habent, uel habere haud difficulter possunt. quod enim cõmuniter interest, quibuscunq; in casibus deprendi potest. puta uicissim promisimus, ego Romam ire, tu Venetias, id nonne in cõmunem æstimationẽ redigi potest? cõsequens igitur est, aut legis huius distinctionẽ ratione carere, aut ipsius rei æstimationẽ conuentã duplari. quam sententiã ferè cõmunẽ dixerim, cum non solùm Placentino, sed & Salyceto placuerit: tũ Petro, recentioribusq; quibusdã Aurelienſibus [x]: hi ita existimauerũt, in casibus certis cũ preciũ statutũ est, illud duplari. quòd si nihil certi constitutum sit, quod cõmuniter intersit attendendum, nõ habita affectus ratione [y]: finge igitur me tibi centũ sestertijs domum uendidisse, nec postea tradidisse, quã propter morã tu trecenta amittis, si aduersus me agas, & tantũ te damni passum probes, iudex me in ducentis solùm condemnabit: duplum enim nõ excedet. quòd si te amisisse quinquaginta tantũ probaueris, in ea quinquaginta damnabor: excedere ita duplum non potest, in minorem summã cogere potest. in incertis contractibus id iuris nõ est: quia quicquid interest, id omne redditur. & differentię rationẽ dixi: quoniã cum certum est preciũ, seu conuenta æstimatio, qui maius damnũ duplo patitur, suam culpã agnoscere debet, qui non quibuscunq; remedijs usus sit, ut sibi cõuenta seruarentur: sed cum à principio incerta est æstimatio, quicquã actori imputandum non est, cum incertus fuerit quantum potuerit sua interesse.

x Moder. in l. quatenus.
y l. precia. ad l. Falc.

B HAec legis uerba, ut quod re uera inducitur damnũ, hoc reddat, declaranda diffusius sunt, & id uestigandum est, quemadmodum ipsius quod interest æstimatio ineunda sit: hoc eñ est damnũ reddere. discutiamus itaq; quid sit cum singulariter interest, tum de eo quod intra rem uertitur, dein quãdo extrinsecus intersit, tandemq; quid in maleficijs iuris sit. quod primò quærendũ proposui, ita explicat Bartolus. Cũ de eo quod singulariter affectionis causa interest dubitamus, condemnationẽ idcirco non augendam, quoniã ex cõmuni usu precia rerũ constituuntur [a]: & si seruũ aliquem meũ quis occiderit, ex Aquilia lege in eius precium condemnatur [b]: nec idcirco pœna augetur quòd eũ ualde amauerim, quod ue paterna ex hæreditate ad me peruenerit. In actionibus tamẽ bonæ fidei huius affectionis rationẽ habendam Papinianus scripsit [c], indeq; actionẽ dari, quod in stricti iuris iudicijs est contrà [d], nisi fauor minorum tum quoq; dari suadeat [e]. & suprascripta Baldus, Salycetus, cæteriq; omnes probant. Mihi quædam notare placuit. & dum generaliter traditur propter affectum, condemnationẽ nunquam augeri, in bonæ fidei iudicijs actionẽ tamen dari, quæ alioqui non cõpetisset, rationẽ huiusce rei nullã esse dixerim: si enim affectus hic ita sit efficax, ut actionẽ inde dari fateamur, quanto magis poterit in causa esse ut æstimatio augeatur? maioris quidem operæ est rem nouam concedere, quàm concessam paulisper augere. sed & diminutionẽ æstimationis suadente affectione Celsus fieri [f], in proposita specie scripsit. si areæ alienæ inædificauerim, re euicta à domino restituendum mihi est quod fuerit impensum, nisi is dominus sit: qui si omne restitueret, laribus fundisq; auitis carendum haberet. si igitur diminutio æstimationis ob affectus quandoq; fit, ita si idem affectus iusserit, augmentũ faciũdum uidetur [g]. Cæterùm & quod passim aiunt, in actionibus bonæ fidei ob affectũ agi posse, cũ alioquin in stricti iuris cõtractu aliud sit, probare ipse nequeo: cũ in confesso sit, actionem, qua testamenta rescidimus, stricti esse iuris [h], sicut & aliã quamlibet rescissoriã: & tamẽ hac competere ob affectionẽ Iabolenus autor est [i]. Pone libertũ meũ, qui soluendo nõ erat, me testamento præteriuisse, an contra tabulas bon. poss. petere possim? & cum mea non intersit, nõ posse uideretur. quòd si in eius hæreditate fundus est, qui parentũ meorũ quandoq; fuerit, uel seruus qui singulari aliquo officio me demeruerit, cur mea non interest? competet itaq; persecutio. Sed & alibi traditũ est [k], patri qui fundum pro filia dotis nomine tradiderit, si is fundus constante matrimonio euincatur, actionem

a l. precia. ad leg. Fal.
b l. qui seruum ff. ad leg. Aq.
c l. cum seruus. ff. manda.
d l. fideiussoris. ff. de pac.
e l. si in emptione ff. de min.
f l. in fundo. ff. de rei uen.
g arg. l. fin § fin. de leg. iij.
h Bar. in l. si hæres. ff. de eo qd' certo loco.
i l. libertus qui soluendo. ff. de bo. lib.
k l. pater. ff. de euic.

ex stipulatu duplæ ob affectionẽ competere. neq; dixerit quisquã stipulationẽ hanc, quoniã uenditioni accesserit, bonæ fidei esse [l]: nam stipulatio eius cõtractus naturam, cui accedit, ita imitatur, ut firmiorẽ ualidioremq; conuentionẽ faciat: non ut qui nõ teneretur, idcirco teneatur: & qui agere nõ poterat, idcirco possit [m]. Nam & si tradidero tibi seruum, & mihi tecũ conuenerit, ut eum manumittas; uel si ancillam tradidero, pactus ne prostituatur, & tu conuenta non serues, agam in id quod mea affectionis ergò interest [n]: atq; id impromiscuè, seu cõtractus bonæ fidei fuerit, seu non: idemq; Accursio uisum est. cõmunem igitur sententiã meritò non sequor. nec me mouerint quæ referunt Doctores argumenta: quale illud ex Papin. responso [o]: cum seruus se ab extero emi mandat, si emptor non manumittat, domino cõpetere in id actionẽ: quoniã in bonæ fidei iudicijs affectus ratio haberi solet: interest autẽ uenditoris ut manumittat affectu. Nam responsum illud non ita simpliciter accipi debet: sed hoc potissimũ modo, cum seruus se emi ab extraneo mandat, mandatũ à principio non ualet, sed eius robur ex domini uoluntate descendit, ratam ne habere uenditionẽ uelit: hoc est preciũ accipere, an mancipiũ consequi: si igitur approbat contractũ, quicquid in eo est deductũ, censetur approbasse, non solumq; ut seruus sit uenditus, sed ut manumittatur, quoniã illud est consequens, & idcirco seruus mandauit se emi. In cõtractibus autẽ bonæ fidei id esse actum, uidelicet ut seruus manumittatur, præsumitur, eius affectionis ratione, quam homo homini debet, præsertim cũ libertatis accedit fauor. at in contractibus stricti iuris nõ præsumitur actũ, nisi quod expressè constat [p], & quod perquam necessariò consequens est. nõ itaq; in proposito casu actio simpliciter datur, quia propter affectionem intersit: sed quoniã tacitè ita conuentũ uidetur, ut fieret seruus ille liber, alioqui dominus nõ fuisset uenditurus. Non ergo id propter naturã actionis omnimodo est inductum: sed quia cum dominus principalẽ contractũ approbauerit, uidetur etiam consequentia approbasse, & id egisse, ut seruus manumittatur. in contractibus enim bonæ fidei id deducitur omne quod actum est, in stipulationibus uerò id quod est expressum. Aliud adducit̃ argumentũ ex Neratij Prisci respõso [q]: is tradidit, si in fundi in se collata minor adiectione superari se passus sit, in integrũ restitui, cũ sua interest: puta quia fundus ille paternus fuerit. quod cum specialiter in minore inductũ fuerit, cõmuniter affectionem non considerari in his iudicijs ostendit: restitutio enim in integrũ stricti iuris est. Sed & hìc animaduertendum est, cum minorẽ respexerimus, satis fuisse quod prætor in integrũ restitutionẽ concessit, nec æquũ fuit ut accumulato nouo fauore specialiter in eo affectionẽ cõsiderandam duceret. quare hoc scire nos æquũ est, id responsum ita intelligi debere, cum minor rem emit, quam affectionis causa habere sua interest, & dein ex licitatione superatus eam perdit, restitui eũ in integrũ posse: agit enim de ea re rursus in suum patrimoniũ redigenda: fauorabiliorq; causa recuperandi est, quàm acquirendi [r]. at semel fundum minoris fuisse illud ostendit, quod adiectione superatũ dicitur. sanè uenditio ea lege facta, pura est, sed quæ ex conditionis euentu resoluatur [s]. Quapropter suprascriptis rationibus aliter distinguendum opinor: cũ enim agimus ut ius nostrũ conseruetur, nec quicquã depereat, affectionis ratio habẽda est [t]: idemq; iuris, cum res nostra perdita est. sed nos id agimus, ut recuperetur in his qui facultatẽ recuperandi habẽt [u], & hæc rei illius ratione quã à nobis teneri nostra interest. quòd si de ipsarum rerũ æstimatione tractemus, ea tam in bonę fidei quàm stricti iuris cõtractibus ex affectu nõ auget̃ [x]. cum uerò an ex huiusmodi affectione actio detur quærimus: & si expressè cõuenit, dari nemo dubitauerit: idq; siue bonæ fidei actio, siue sit stricti iuris [z], aut nihil expressè est actũ: & in bonæ fidei contractu facilius tacitè actũ præsumitur [a], quàm in cæteris: sed & in cõtractu stricti iuris tacitè id cõuenisse, quandoq; præsumit̃: ueluti si fauore dotis admoneamur [b], uel aliter ita dictet æquitas. Nec nostræ huic sententiæ negociũ facit quod legit̃: si libertus fundũ uendiderit, & in fraudem suã uenditũ patronus idcirco asserat, quòd in eo maximã haberet affectionẽ, ex uicinitate, opportunitate, zelo: quod ue illic fuerit enutritus, uel parentes sui sepulti, non tamen Flauiano iudicio experientẽ audiri [c]: nã nihil id patronũ mouere debuit: cũ in rebus suis arbitrari quoquo modo uelit, libertus queat, potestq; libere accepto precio alienare, dũ minor centenario

l arg. l. si stipulatus. de usu.
m Alex. in l. j. ff. de pac.
n l. si seruus ea lege. ff. de ser. expor.
o l. cum seruus. ff. manda.
p l. quicquid. de uer. obli.
q l. si in emptione. ff. de minor.
r l. uideamus. ubi Bar. ff. de usur.
s l. j. ff. de in diẽ adi. gl. in l. ij. eo ti.
t d. l. in fundo.
u d. l. si in emp. & d. l. libertus qui.
x d. l. precia rerũ. d. l. si seruus.
z d. l. seruus. ea lege.
a d. l. cum seruus. & l. j. §. ij. ff. de tut. & rat. dist.
b d. l. pater. de euict.
c in l. j. §. si quis in frau. ff. si con di. in frau. pet.

A centenario non fiat: non enim nos admiserimus, quotiescũq; de reuocando agitur, id quod ob affectionẽ interest, in æstimationẽ deduci: sed tum deduci, cum is qui agit, ius reuocandi habet. Igitur ex suprascriptis huiusmodi quæstionis ueritas elucescit: cũ pater Titio in uxorem filiã tradidisset, & curator Titij uiaticũ se ei præstiturũ promisisset, ut Romæ studiorũ causa ali posset: defuncto curatore dubitatũ fuit, an aliqua actio patri competeret, ut curatoris hæredes Titio uiaticũ præstare cogerentur. & Baldus Nouellus respondit competere [d]: interest enim soceri, generum fieri eruditiorem: quod eò procedit, quoniam cõtractus dotis respectu soceri bonæ fidei est [e]. Sed & alia quæstio deducitur: lege municipali cautum est, ut agnatus rem, quæ paterna fuerit, uenditam redimere intra annum & diem possit: an si minor, cui facultas hæc competijsset, lapsu temporis exclusus est, possit in integrum restitutionẽ petere, & recentiores posse arbitrantur [f], & hoc ex Neratij Prisci responso, quod suprà ostendimus, nõ multùm sententiam hanc adiuuare, quandoquidem eo in casu ius in re minor habuerat, quod per negligentiam amissum est: at in proposita quæstione debilius est ius, uidelicet ad rem, quod non ita euidenter minorẽ lædit. utcunq; sit, eorũ sententiam non damno. Illud etiam non est prætereundum, Accursiũ existimasse, in contractu stricti iuris affectionẽ considerari [g]: quam opinionẽ reprobari supradicta ostendunt. Cæterùm quoniã Bartolus id, quod ob affectionẽ interest, singulariter interesse dixit [h], recentiores quidam argutias in eum intendunt. nam eius quod singulariter interest, in emptionis cõtractu ratio habetur, & tamen affectionis non habetur. Item id quod interest, indistinctè peti lex ait, & tamen ex affectu non petitur. quæ argumenta nullius precij sunt: quoniam non idem planè esse id quod singulariter interest, & quod ex affectione, Bartolus scribit: sed alterum alterius partẽ esse, & uti speciem in genere comprendi. in his enim casibus, quibus affectus ratio ducitur, nostra singulariter interesse dicimus. Discutiendũ nunc est aliud Bartoli pronunciatũ: id huiusmodi est, aliquando nostra ob affectionẽ

B peculiariter interesse, unde etiã in litem iuratur, id cõsiderari generaliter, & ut actio detur, & ut æstimatio augeatur, quæ quidem usq; ad duplũ protendi potest: sequunturq; idem Alexander, Iason, cæteri. Ego etiã duplum excedi posse crediderim, quod ex Vlpiani responsis probo [i]: is iurari in infinitum posse, tradidit. Idem dubitat, an iudex qui iusiurandum defert, possit quantitatẽ taxare intra quã iuretur. si enim suprascripta opinio uera esset, quis dubitauisset posse, uel saltem cum duplũ usq; taxatur? quæ enim lege permittuntur, indubitatum est fieri posse. quod item operæpreciũ fuit, quicquam de ea taxatione ambigere? cum hac cõstitutione specialiter coarctetur. sed & idem in bonæ fidei iudicijs arbitrio iudicantis reliquit, an taxare eam summã uelit: quod apertissimè ostendit, nihil eam taxationẽ ad legem nostram pertinere. distinguendum quippe non in bon. fid. uel stricti iuris iudicijs, sed certis uel incertis casibus fuerat. Prosequitur idem, cum iuratum est posse iudicem ex magna causa à iureiurãdo discedere: quod certè non rectè dictum esset, cum etiam sine causa, ubi duplũ excessum est, recedatur. nam & constitutio cum in casibus certis duplum non excedi iussisset, in incertis uerò id attendendum, quod uerè probabitur, subiungit ita statutum, ut uitetur infinitas. Viden' ergo quod ad duplum restringitur, infinitũ non dici? & tamen suprascripto casu in infinitum iurari diximus. nam & cur ita iurari lex concessit, si regulariter id iuramentũ intra duplum coërcetur? uerumetiam alibi idem Vlpianus [k], qui restituere iussus, rem interuerterit, condemnandum scribit, quanti actor in litem in infinitum sine ulla taxatione iurauerit. id enim est longè duplum excedere, cum sine taxatione, id est iudicis præfinitione iuretur: quod etiam uerborum geminatio exuberantiaq; arguunt. Nec obstat nostra constitutio, à qua Vlpiani supradicta responsa corrigi Iacobus ab Arena existimauit, quod sanè non satis probabile uerisimileq; est. Igitur ipse crediderim, cum lex concedat in litem in infinitũ iurari, id omne quod iuratũ est, præsumi uerè iurantis interesse: idcirco præstandum tanquã res ita sit iudicata. locum itaq; sibi uendicat constitutio, cum per alias probationes damnũ probatur, quàm per iurisiurandi sacramentum, quod præsumptionẽ efficacissimã inducit. Albericus [l] Rosates nobiscũ sentit: & in eo quod ob affectionem interest, cõstitutionem nequaquã procedere existimat. sed & eandem sententiã Fulgosius probat [m].

d Bal. Nouellus in tracta. dot. in quarta parte, in fin.

e not. in §. fuerat. de acti.

f in l. dudum. C. de contrah. emptio. in l. quatenus. iiij. col. de regu. iur.

g glo. in l. si unus. in prin. in uer. uideamus. ff. de pac.

h l. j. de actio. emp. hac l.

i l. uideamus. §. fi. de in lit. iur.

k l. qui restituere. ff. de rei uend.

l Alb. hic in ult. col.

m Fulg. in d. l. uideamus.



SEquens quæstio est, quid cum intrinsecus damnũ incidit, an omne redda C
tur. Et priusquam ulterius progrediamur, agendum paulisper est de uer-
borum significatione, quid sit quod intrinsecus interest, & quid quod ex-
trinsecus. & Bartolus arbitratus est, quæ ex ipsa re continenter proueni-
unt, ut partus, fructus, & similia, ad id quod intrinsecus interest referri:
quæ uerò non ex ipsa re, sed occasione rei procedunt, extrinsecus respicere. unde con-
sequens fuit, hæreditatem seruo meo delatã, uti habeam ad me extrinsecus pertinere.
Petrus & Albericus id notarunt, quin potius intrinsecus dici quod rem quacunq; co-
mitatur: idem & cõfirmarunt alij, quoniam lex uenditorem quanti emptoris interest,
rem non esse euictã præstare debere ait [n]: ueluti ancilla prægnante euicta, uel seruo cui
hæreditas relicta sit: æquat enim partum & hæreditatem relictam, quæ paritas ostendit
utrunq; intrinsecus spectare. Idem & alibi [o] similibus argumentis probatur, quæ no-
bis satis leuia uidentur, cum nos de nomine disputemus, illa ad rei effectum pertineãt.
Ipsi in Bartoli sententiam, quæ cõmuniter probatur, pedibus uado. ea Antonini con-
stitutione [p] adiuuatur, qui damnũ extrinsecus ueniens illud appellat, quod non ex re
uenit, sed in rem datur ex remota causa. Vlpianus [q]: hæreditas, inquit, augmentũ & di
minutionẽ recipit. sed ea quę ex ipsa hæreditate proueniunt, puto hæreditati accedere:
si extrinsecus, nõ quia personæ possessoris accedunt. Caius [r]: procurator, inquit, quod
ex lite consequutus est, seu principaliter, seu extrinsecus, restituere domino mandati a-
ctione compellitur. quibus uerbis constat, quicquid principaliter non adhæret, extrin
secus interesse. non tamen diffiteri ausim, uerbum id aliquando largius, quandoq; ali-
ter accipi, prout res quam tractamus requirit. inde cõditiones extrinsecus [s] uenire alia
significatione dicimus: item in stipulationibus extrinsecus [t] aliqua deduci eodem sen-
su lectũ est. Sed quod hæreditas seruo nostro delata, ad nos extrinsecus pertineat, alia
quoq; ratione probari potest: nam cum intrinsecus nostra interest, quia in eo uersatur
rei æstimatio, cum his accessionibus, quæ continenter ex re proueniunt, semper auge-
tur condemnatio: eiusq; ratio habetur [u]: ex his enim accessionibus locupletiores dici- D
mur, quod euidenter constat: etenim uaccam prægnantem pluris licitabere, quàm ste
rilem: & tamen qui eum seruum habeat, cui hæreditas delata sit, non idcirco dicitur lo-
cupletior [x]. non igitur ita intrinsecus hoc nostra interest. Vtcunq; tamen hoc in articu
lo opinemur, disputationem omnino utilem non arbitror: quoniam uoces hæ, intrinse
cum uel extrinsecũ interesse barbaræ sunt, à Doctoribusq; nostris confictæ: nec in iure
ciuili specialiter appositæ reperiuntur, ut aliquid in eo quod interest denotent. fatuum
igitur crediderim super recentiorum uerbis disputare: cum qui ea fecerunt, illis possint
quam uoluerint significationem dare. Nec enim in iure uidimus, idcirco magis ratio-
nem eius quod interest duci, quia extrinsecus intersit, uel non: res equidem cõsideran
tur, non uerba, quæ non alia ratione pennata Homerus dixit, quàm ut leuitatem nota-
ret. Hoc tamen ex Bartolo annotatione dignũ duxerim, eum ferè existimasse, causam
seruitutis ab ipso fundo separatam dici. quod recentiores non probant: nam creditor
pigneratitia actione conuentus, non solùm fundum, sed etiam seruitutes tenetur resti-
tuere [y]: quod argumento est, fundum seruitutes in se, non extrinsecus continere. serui-
tus enim fundo annexa est, & sine eo esse nequit [z], quam sententiã & ipse confirmaue-
rim: quandoquidem petitione hæreditatis nõ solùm fundos consequimur, sed etiã ser-
uitutes [a]: & tamen lex ait, nos ex ea nõ consequi, nisi quod intrinsecus comprenditur.
Nec Bartoli mouemur argumento: nec enim passim uerum est, seruitutes non esse in
bonis [b]: quinimo sunt, licet protinus fundo debebantur, & consequenter ad nos per-
tinent. unde existimauit Bartolus, quæ ab aliqua re porrò descendunt, ea illius rei esse
extima. quod legi municipali intelligendæ confert [c]: qua cauetur, cogi quemlibet iu-
rare delata sibi ab aduersario iurisiurandi forma, stariq; sacramento, præterquam in his
quæ extrinsecus à formula ueniunt. Finge, detulisti iusiurandum, an mutuatus mihi
centum fueris: iuro te mutuatum, sed me tibi tantundem uini præstitisse, extimum id
est, nec crederetur compensatio, si suprascripta sententia uera esset. Adde etiam exti-
mum id dici, quod de rei natura non est [d].

n l. uenditor. de euic.
o l. præterea. de rei uend. l. actione. §. diximus pro socio.
p l. j. C. locati.
q l. item ueniunt. §. item non solum. ff. de peti. hære.
r l. qui proprio. de procur.
s l. conditiones, quæ extrinsecus. ff. de condi. & demon.
t l. extrinsecus. ff. de uer. ob.
u l. nõ quocunq;. §. Iul. de lega. j
x l. precia rerum.
y l. creditor. ff. de pig. actio.
z l. cum fundus. ff. com. præd.
a l. item ueniunt.
b l. j. de usufru. l. Bar. in d. l. j.
c Segnor in consil. post malef. Ang. Aret.
d l. flum. §. utrũ. de dam. infecto.

Explicitis



A Xplicitis itaq; uocum ipſarũ quibuſdam quaſi interpretatiunculis, proſequendum eſt, quemadmodum ſupraſcriptã quæſtionẽ determinemus: et quod intrinſecus intereſt, quatenus rei æſtimationẽ ſpectat, ſemper conſiderari, rationẽq; illius duci, Bartolus, & cæteri tradiderunt[c]. Sed in eo nõ modica difficultas uertitur, quòd dubiũ eſt à quo tempore æſtimatio creſcat. nam ſi tibi uinũ mutuo dederim, nec reddas, æſtimationis rationẽ ineundam temporis, quo in iudicio petierim, Sabinus ſcripſit[f]: at ſi uinum uendiderim, nec tradam, æſtimatio emptori computabitur, quanto pluris uinum ualuit, uel cum uenditum eſt, uel cum fuit petitum: quod Pompo. tradit. quemadmodum hæc reſponſa extricabimus? & ueteres interpretes plurifariã diſtinctionibus ea diſſecuerunt: quorũ ſententias Bartolus, & recentiores confutant[g]. Igitur ipſe in uenditione tempus quo contractus initus eſt, perpendi idcirco prodidit: quia tunc in mora eſſe uenditor incipit, cũ precio accepto ſtatim teneatur uinũ tradere. non probant id recentiores, nec admittunt ſtatim uenditorem precio accepto eſſe in mora: nam nec lex Bartolũ defendit[h], cum precio accepto uenditor non ſolùm rem, ſed etiam rei acceſſiones teneatur tradere, ſolumq; ratione lucri non faciundi ſit in mora, non autem ſi damnum emergit. Aliter itaq; ipſi reſpondent, in Pomponij reſponſo actũ fuiſſe ut ſtatim uinum præſtaretur: & hoc per locum à ſolitis conijciunt: uſitatum enim eſt, ut in uenditione data pecunia ſtatim res tradatur. item mutui natura eſt, non ut incontinenti reddatur, ſed poſt aliquod tempus: at in uenditione cum aliud non agitur, præſenti die debetur. igitur in mutuo contractus tempus non inſpicimus, quia tunc non ſolet reddi: in uenditione contrà. & ita Fulgoſius quoq; exiſtimat: ſed in aduerſum deducitur: quoniam ſi cõtractus tempus in uenditione reſpiciamus, conſequens eſſet, ut tum uinum quoq; periculo uenditoris periret: quod falſum eſt, cum periculum emptor ſubeat[i], ut Vlp. ſcribit. niſi dixeris tunc periculum ad emptorẽ pertinere, cum uenditor morã non cõmiſit: at in Pomp. reſponſo cõmiſerat: quia interpellatus fuit.

B cum enim Iuriſcon. loquatur, cum uenditor fuerit in mora, neceſſariò debemus interpretari uenditorẽ fuiſſe compellatũ: alioquin mora non dicitur. nam quoties legiſlator aliquid refert, intelligere debemus omnia interueniſſe, quæ actui neceſſaria ſunt[k]. Accipiendũ itaq; Pomponij reſponſum eſt, ut interpellationem ab emptore factam dicamus: alioquin ſi uenditor uinum non tradidiſſet, nulla in eo fuiſſet mora. Cæterùm quoniam hic tractatus reſponſa quædam ſimul pugnantia continet, quorum concordiã cum diu interpretes noſtri tractauerint, uoto fruſtra habiti ſunt: quoniã ut Iaſon oſtendit[l], eorum diſtinctiones & in cauillis & cõiecturis quibuſdam fallacibus conſiſtunt: noſtræ operæ fuerit, Gordianũ hunc nodum, nõ ut Alexander fecit, gladio ſecare: ſed quantũ uires poſſint, manibus diſſoluere. & quoniam ueritas uerborũ adminiculis non indiget, aliter quàm in præſentẽ diem quiſquã exiſtimauerit, ſic arbitror explicandum. Cũ de his contractibus ambigimus, in quibus debitor facere tenetur, ueluti fundũ reſtituere, rem tradere, diſtinguendũ putamus eos qui ſunt ſtricti iuris, ab his qui bo. fid. dicunt. in illis morã purgare ad litis uſq; conteſt. permittitur[m]: & idcirco æſtimatio nõ niſi à litis cõteſt. tẽpore initur[n]: in his, quoniã magis ex bona fide procedit, uſq; ad ſententiã tradi uel reſtitui res poteſt[o]: quapropter rei æſtimatio nõ fit, niſi in ſententiæ tempus[p]. Cum uerò de his cõtractibus quærimus, in quibus uerſat datio, eodem modo diſtinguendum, ut in bonæ fidei contractibus æſtimatio ineatur, utrius tẽporis uoluerit actori, moræ an ſententiæ[q]: in contractibus ſtricti iuris litis cõteſtatæ tempus obſeruemus[r]. quòd ſi certã ſpeciem dari actũ eſt, quamuis obligatio præciſi uideatur[s], tamen tẽpus ſententiæ attendemus: ita tamẽ, ut ſi res interim deterior facta ſit, eius quoq; ratio habeat. quapropter tali caſu lex litis æſtimationẽ ſolui iubet[t]: quæ æſtimatio & rei ipſius & acceſſionũ omniũ, eiuſq; quod intereſt ualorem reſarcit. unde conſequens eſt, ut præciſè non cõpelli quenquã ad dandum exiſtimem, prӕterquã eum qui rei uendicatione ſuperatus ſit: ab hoc enim res manu militari propter ius dominij, quod in actore eſt, auferri debet[u]. at in caſu noſtro ſatis eſt litis ęſtimationẽ dari: nam quamuis lex teneri eũ omnimodo dicat, non tamen cõſequens eſt, ut aliter quàm in pecunia cõdemnandus ſit[x]; ſi enim dominiũ promiſſor nõ transferat,

c l. uinum. ff. ſi cer. pe.
f l. datio. §. cum per uenditorem. ff. de actio. emp.
g in d. l. uinum.
h l. curabit. C. de acti. emp.
i l. j. de pericu. & commo. rei uen.
k Decius in c. j. de iud. Fulg. Alb. de Roſa. Iaſ. in l. Barbarius. in j. col. de offic. præto.
l in l. uinum.
m l. inſulam. ff. de uer. oblig.
n l. hominem. ff. manda.
o §. in bonæ fid. inſt. de act.
p l. iij. §. in hac. ff. com.
q l. datio. §. ſi per uend. ff. de act. emp.
r l. fi. de cõd. trit. l. uin. ſi cer. pet.
s l. ubi autẽ. §. fi. de uerb. oblig.
t l. ſi ſeruus. de euict. l. hæredes. §. ſi unus. & §. ſi incerto. fam. herc.
u l. qui reſtit. ff. de re iud.
x Alex. l. ij. §. ex his. col. pen. de uerb. oblig.

non exprimitur in lege quo alio remedio sit agendum: tametsi & nõ inepte dici posset; C
in promissore fundi Tusculani procedere, qui idem & dominus sit, & rei dandæ facul-
tatem habeat: at nos in eo loquimur, quem clarissime non constet certæ illius speciei
præstandæ potestatem habere. priorem tamen resolutionẽ magis probo. Si igitur sub
ipsum sententiæ ferendæ tempus debitor offerat æstimationem, quia dare nolit, iudex
debet id admittere, & creditorem compellere, ut rei petitæ precium recipiat: quoniam
y §. fin. insti. de temp. ap. si reus rem tunc daret, eius respectu liberaretur [y]: idem ergo si precium præstat. quòd
si reus tunc nihil offert, iudex rem petitam solui pronunciabit: & si reus non soluat, ex
z d. l. uinum. officio iusdicens id curabit, ut æstimatio in stricti iuris cõtractibus reddatur [z], eius tem
poris respectu quo res petita est, tunc enim mora incipit. in bonæ uerò fidei contracti-
bus, iudex in æstimationem (ut dixi) condemnabit, utrum actor uoluerit, aut tempore
quo expressim mora facta est, puta per interpellationẽ, seu tacitè, ueluti cum dies qua
solui actum fuisse præsumitur, interpellat: aut à tempore quo sententia est ferenda. &
a d. l. datio. §. cũ per uendi. Pomp. ita accipiendum est responsum [a], dum inquit uenditorem cõdemnari utro tem-
pore pluris uinum fuerit, uel quo uinum uenit, uel quo lis in condemnationem dedu-
citur, id est lis ipsa fit condemnatio, & fertur sententia: non enim de litis contestatione
hîc quicquã accipitur, quippe uerba repugnarent: quid tunc ad rem faceret cõdemna-
tio? & suprascripta locum sibi uendicant circa æstimationem ipsius rei principalis: non
autem in fructibus accessionibus ue, quæ indistinctè à mora incipiũt in tempus senten
b l. Iulianus scribit. l. fructus. ff. de rei uen. tiæ [b], ut infrà enarrabimus. & si in præsenti tractatu hoc modo distinxerimus, Accursij
& Bartoli [c], cæterorumq; cõmenta minimùm nos offendent: è quibus alter cum rem
non satis perspectam haberet, antiquorum ingenia tenebris inuoluta fuisse tradidit. Di
c Bar. in d. l. ij. §. in hac. xerit fortasse aliquis, absurdum esse, eũ qui in mora ad usq; sententiæ tempus perseue-
rauerit, tam leuiter plecti, ut rei æstimatio non habeatur, nisi quatenus tunc ualet. cui
ipse responderim, æstimationem quidem, uti diximus, ineundam: sed non idcirco mi-
nus poterit reus in eo condemnari quod ex mora iure inducitur: non enim ideo effe- D
d l. uinum. ctus moræ sublati existimantur. Igitur Sabini responsum intelligi debet [d]: cum iam sen
tentia sua iudex declarauit uinum reddi debere, & hoc est quod in eo dicitur uinũ per
iudicem petitum fuisse. in obligationibus enim dandi æstimatio non soluitur iure obli
gationis, sed post latam sententiam officio iudicis. actor enim ubi reus condemnatus
e l. si intra. ff. de re iud. fuerit uinum reddere, in executionem iudicati officium iudicis implorabit [e]: & si ui-
num non reddetur, iudex in æstimationẽ & quatenus interest, reum compellat. quod
ergo in responso dicitur per iudicem peti, ociosum non est: licet si cõmunem eius legis
interpretationem sequeremur, nullius esset momenti, uel certè inauditam rem confir-
maret: in mutuo uidelicet nõ solùm certi conditione agi, sed officium quoque iudicis
f d. §. si per uenditorem. implorari. Verùm & in Pomponij [f] responso illud adnotandum est, obligationẽ dan-
di esse, quoniam uenditor in genere tenebatur [g]: quod & recentiores, quamuis Bar-
g l. ex empto. ff. de actio. emp. in prin. tolo repugnante [h], approbant. nam & locũ sibi uendicare arbitror in rei iudicatæ exe-
cutione, quo officiũ iudicis requirimus: cum enim uenditor esset obligatus ad genus,
h in d. l. uinum. in principali causa solùm quæritur, ut uenditor det, non autem de eo quod ob moram
actoris interest. Cæterùm quoniam in hoc tractatu non mediocrem scrupulum Vlpia
i l. iij. ff. de tritic. nus inijcit [i], eius uerba παρέργως, & obiter emaculanda sunt. Is in lege III. de tritica-
ria condictione, in Pandectis Florentinis ita scripsisse deprendit: In hac actione si quę-
ratur res, quæ petita est, cuius temporis æstimationem recipiat, uerius est quod Seruius
ait, condemnationis tempus spectandum. si uerò desierit esse in rebus humanis, mor-
tis tempus. sed etiam ἐν πλάτει secundum Celsum erit spectandum: non enim debet
leuissimum uitæ tempus æstimari, &c. significat autem dictio illa ἐν πλάτει, quasi lati-
us dicas, & inobseruatis iuris angustijs: ne ita tempus mortis spectetur, ut ad leuissimã
æstimationem rem redigamus: sed potius quod bonum æquumq; est, æstimemus. In-
ducenda igitur circumscribendaq; est uox illa, antea, quæ loco græcæ dictionis suppo
sita fuit, ut uarię illæ & inconstantes Accursij expositiones explodantur: qui dum illud
aduerbiũ tripliciter interpretatur, ostendit planè se textum non intelligere. & hæc qui-
dem à nobis dicuntur, nõ quòd nostra distinctio à uulgata lectione discrepet: sed quòd
non ab re

A nō ab re ducimus huiuſmodi caſtigationes ceu gemmulas noſtris ſcriptis inſerere. Vt ergo unde digreſſi ſumus reuertamur, illud contra ſuperſcriptam diſtinctionem fortiſſimè intorqueri poteſt. nec enim in obligationibus facti eam differentiam admittendam eſſe uideretur, ut in ſtricti iuris contractibus, quanti res ualeat in litis cōteſtatæ tempus inſpiciamus, tanquam hucuſque rem promiſſam dare liceat: quinimo etiam poſt litis conteſtationem, ſi reus offerat id tradere quod petitur, abſolui debere ferè conſtat[k]. ſed hìc animaduertendum eſt, quoniam nequaquam arbitror uerum id eſſe, tametſi Bartolus[l] ubiq; hoc tradat, aliíq; probent: plurimas enim hæc hæreſis leges uiolat, & per cauillationes diſcindi cogit. & in primis ſi inſulam, inquit lex, fieri ſtipulatus eſſem, & tranſierit tempus quo potuiſti facere, quandiu litem conteſtatus non ſim, poſſe te facientem liberari placet: quòd ſi litem conteſtatus ſim, nihil prodeſſe tibi ſi ædifices. ecce quemadmodum in noſtram ſententiam uerba legis accedunt: & tamen Bartolus intelligit, quando lis non ſuper facti petitionem, ſed ſuper id quod intereſt, eſt conteſtata, cum de eo quod intereſt uerbum ibi ſit nullum: conſequensq; ex hac ſua interpretatione ſit, Iuriſconſultum illud ſilentio tranſmiſiſſe, in quo fundamentū & cardo totius legis conſiſtebat. Sed & Paulus[m], in contractu ſtricti iuris, ſi reus offerat, uſq; ad litis cōteſtationem diluere morę damnum ſcribit, poſt lit. conteſtatam minimè: imò ſententia omnino proferri debet. & id intelligere cum obligatio inefficax eſt, quod Bartolus fecit, perquam inconueniens & abſurdum eſt. loquitur autem Paulus[n] in obligatione facti: interpretatur enim uerba illa, neq; feciſſe in prætoris de conſtituta pecunia edicto prius ab eo deſcripta: ut meritò Accurſius quandoque & Raynerius[o] exiſtimauerint, poſt iudicium acceptum indiſtinctè morā amplius dilui non poſſe. Conſequens nunc eſt, ut obiecta redarguam. & dum adducitur iuris regula, ſi ante rem iudicatam is cum quo actum eſt, ſatisfaciat, actorem abſoluendum eſſe[p]: reſpondeo ſatisfieri in caſu noſtro actori, ſi poſt litem cōteſtatam ſuper petitionem facti, reus non ipſum factum, ſed
B quatenus intereſt actoris rependat: inuito enim actore factum præſtando non ſatisfacit. nam cum lex obligationem facti poſt litis conteſt. in æſtimationē eius quod intereſt transfundat, illud incipit deberi, non factum. & hæc ita defenduntur abſq; aliqua iuris ſcripti cōturbatione: cum alioquin in hiſce quęſtionibus cernere ſit Doctores ipſos miros Autolycos Sophiſtasq;. nam & pro noſtra hac ſententia illud facit, quòd quoties ſtipulationi pœna adijcitur, ea loco eius quod intereſt ſuccedit[q], fitq; hoc caſu nouatio, & poſt lit. conteſt. ſolùm poteſt ſolui pœna[r]. cur non igitur idem eſt in eo quod intereſt? Illud non omiſerim, & in hoc multùm ſe contorſiſſe Bart.[s] cuius dicta quandoq; latiſſimè diſcuſſimus. Cum à nobis declaratum ſit, quemadmodum ineunda ſit eius quod intereſt ratio in rei ipſius debitæ æſtimatione, reliquū eſt, ut & id quęramus, qua ratione inibitur in fructuum acceſſionumq; computatione. & Bartolus[t], quem uti ſigniferū cæteri ferè omnes ſequuntur, tribus pronunciatis rem abſoluit. ¶ ſi mihi fundum dare obligatus es, à tempore quo lis eſt conteſtata, fructus conſiderabuntur. ¶ ſi teneris tradere, à tempore moræ fructus accedent[u], non ſicut fructus, ſed uti portio eius quod mea intereſt te non fuiſſe in mora. ¶ ſi dandi ſimul & faciendi reus es, ueniunt in condemnationem in tempus moræ, niſi præcedentis contractus natura aliter ſuadeat[x]: ueluti cum uenditor rem dari, uacuamq; poſſeſſionem tradi promittit. & hæc quidem Bartolus & cæteri dixere[y]: quorum ſententia nobis nequaquam uidetur probabilis. Et aduerſus ſecundum pronunciatum illud adducitur, quod Pomp.[z] ſcribit, eum qui ſibi poſſeſſionem tradi ſtipulatur, nihil intelligi de fructibus agere, & propterea neq; ab lit. cōteſt. neq; ab mora eorum rationem duci. & recentiorum in eo reſponſo interpretatio perquam inſulſa eſt, qui non computari fructus tradunt uti fructus, ſed tanquam portionem eius quod intereſt. quapropter cum uir diligens, & cautus ruſticus longè plures fructus ſit collecturus quàm ſoleant patritij, ſi computarētur ut fructus, quicquid ruſticus collegiſſet, computandum foret: ſed cum ęſtimentur tanquam id quod intereſt, id ſolùm in precio fuerit, quòd ueriſimiliter patritius collegiſſet. hæc expoſitio cauillatione nō caret. cū enim fructus id ſint quod intrinſecus intereſt, ſi Bartolo hìc credimus, cum lex dicat fructus non deberi, nónne oſtendit, id quod intrinſe-

k §. fi. inſti. de perpe. actio.
l Bar. in l. ſi inſulam. in 1. opp. de uerb. obl.
m l. ſed ſi alia. ff. de conſtit. pec.
n l. ſi reus. ff. de procur.
o d. l. interdū. §. fi. de uerb. obl.
p d. §. fi. inſti. de perp. & temp. ac.
q l. fi. ff. de præt. ſtipu.
r l. 1. ff. de pen. leg.
s in l. ita ſtipulatus magna. in ſexta quæſt.
t in l. uideamus. ff. de uſur.
u l. ſi fundum tradi. ff. de uerb. oblig.
x l. ſtipulatus. ff. de uſur.
y Iaſon in l. ſi filiusfamil. §. fi. de uerb. obl.
z l. datio. §. 1. de act. emp.

cus intereſt non deberi, quatenus in fructibus continetur? Sed & frigida eſt eorum ra- C
tio, cum poſſit patritius æquè multos fructus recipere, atq; facturus erat uillicus, ſi per-
æquè diligentem agricolam uineã coli faciat. ſunt enim hæ ſubtiles quædam argutiæ,
non aliqua lege, non Iuriſconſulti reſponſo expreſſæ, ſed quas ſuo de uertice Bartolus
formauit. Quin & ſupraſcripta diſtinctio caret ratione: cum enim is qui tenetur dare,
efficacius obligetur eo qui tradendi reus [a] tantũ eſt: nónne abſurdum eſt, eum fructus
debere, non niſi à litis conteſtatæ tempore, hunc uerò ab ipſa mora? itaq; communem
ſententiam nõ probo, quam aliĳs etiam argumentis Syllimanus, Suzarius, Oldradus,
Butricarius, Fulgoſius [b] damnant: tametſi nec ipſi rectè declarēt. Illud igitur ſciendum
eſt, eum qui ſibi fundum tradi ſtipulatus eſt, in dubio non uideri id egiſſe, ut cauſa bo-
norum huiuſmodi ſtipulatione cõprenderetur [c]. quapropter qui ita ſtipulatus eſt, fru-
ctus ſuos non facit; cum ex regula iuris ad dominum, non ad eum qui in poſſeſſione
ſit, fructus pertineant [d]: in ambiguis quoq; qui rem tradi ſtipulatur, de huiuſmodi tra-
ditione uidetur intellexiſſe, ex qua fructus non debeantur [e]. Cum ergo quiſquam fun
dum certo die tradi ſtipulač, ſi promiſſor non tradiderit, in id condemnandus eſt, qua-
tenus ſtipulator damnum paſſus eſt, & lucrum amiſit. ſed num in fructus? & opinor
non debere: quoniam ſi ſtipulator collegiſſet fructus, ſuos non faceret, ſed reſtituere
eos domino teneretur [f]. unde ſua non intereſt habere, quod illicitè haberet [g]. & hoc
modo eſt accipiendum Vlpiani reſponſum: qui, ſi fundum, inquit, certa die præſtari ſti
pulor, & per promiſſorē ſteterit, quominus ea die præſtetur, conſequuturũ me quanti
mea interſit moram factam non eſſe. id enim eſt unde omnis caligo in præſenti articu-
lo euagata eſt: eſt autem accipiendum in eo qui in mala fide eſſet, & idcirco fructus ſu-
os non facit. in dubio enim caſu Vlpianus loquitur: & cum quilibet res ſuas ſcire præ-
ſumatur [h], ſi quis dominus fundi non eſt, haudquaquam uerisimile id eum ignorare:
quin potius creditur ſcire eum res ſuas, & conſequenter fundum ſuum non eſſe. cum
igitur aliquis fundum ſimpliciter tradi ſtipulatur, & ſcit fructus ad dominum pertine- D
re, non autem ſuos fieri, eius probabiliter non intereſt fructus ſibi dari, quos reſtituere
domino cogeretur. Iuriſconſultus autem generaliter locutus eſt, à tempore moræ ſti-
pulatori quod ſua intereſt reſtitui. ſi enim eſt bonæ fidei poſſeſſor, ſua intereſt habere
fructus: ſi malæ fidei, non intereſt [i]. quæret aliquis, unde accidat ut in ſtipulatione quæ
rem tradi cõcipitur, bonæ fidei poſſeſſori fructus à tempore moræ reſarciantur, cum in
ſtipulatione dandi non ita ſit [k]. cui ipſe reſponderim, eum qui dare teneatur, eſſe uel
debere eſſe dominum: cum qui dominus non ſit, dare nequeat: donec igitur dedit, fa-
cit fructus ſuos. Cæterùm iniquum id uiſum fuit, ut ex ſua mora fructus lucraretur:
quare placuit mediam uiam eligi, ut poſt litem conteſtatam in fructus collectos tene-
retur. at priore caſu fructus ad dominum pertinent, uel eum qui loco domini ſit, puta
quia bonæ fidei poſſeſſor. qua ratione ſi uerſus dominum, uel bo. fid. poſſeſſorem in
mora ſis, fructus tradere ſtatim teneris: ſi uerò creditor tuus dominus fundi nõ ſit, non
teneris. Igitur in hoc articulo ſic diſtinguendum potius fuit: ut cum is qui ſtipulatus eſt
tradi, nec dominus, nec loco domini eſt, nullo tempore fructus rei accedant [l], niſi ua-
cuam poſſeſſionē tradi ſtipulatus ſit [m]: nam hæc cauſam bonorum continet, ut in prin
cipio operis demonſtraui. ſi uerò eſt dominus à tempore quo mora facta eſt, fructus
computabuntur [n]. quòd ſi quiſquam ſibi dari ſtipulatur, tunc in Bartoli, communemq;
ſententiam uado, quòd fructus ab lit. conteſt. tempore computandi ſint [o]. ſed cum da-
ri & fieri ſpondemus, fructus à tempore moræ collectos præſtabimus [p]. Idem iuris eſt
ſi rem reſtitui petierim [q], quod & in actionibus bonæ fidei, uel earum naturam haben
tibus plerique exiſtimant [r].


Ertia quæſtio eſt, quemadmodum id quod extrinſecus intereſſe aiunt,
in condemnationem deducatur. quem tractatum cùm Bartolus pluribus
diſtinctionibus explicuerit, nos qui eius ueſtigia imitamur, quinque axi-
omatibus ſumus enarraturi. Id igitur primũ ſit: acceſſio extrinſecus proue
niens, quæ rem quacunque proſequitur, in eius quod intereſt æſtimatio-
nem ita cadit, ut eius ratio ſemper habeatur; ueluti ſi ancillam uendidero, & euictus
ſit partus,

a l. ubi autem. §. fi. de uerb. obl.
b in d. l. uideamus
c l. ſi rem tradi. ff. de uer. ob.
d l. in fundo. ff. de rei uen.
e l. in conuentionibus. §. fi. ſecundum intellectum, quem ſupra tenui. ff. de uerb. oblig.
f d. l. in fundo.
g d. l. ſi fundum.
h l. cum de indebito. de prob.
i d. l. in fundo.
k d. l. ſi fundum.
l l. datio. §. ſ.
m d. l. in conuentionibus.
n d. l. ſi fundum.
o d. l. uideamus.
p d. l. ſi ſtipulatus.
q d. l. uideamus.
r Iaſ. in l. ſi filiĳ. §. 1. de uer. obl.

A sit partus, in condemnationem deducetur quatenus tua interest partum non euinci. idem si seruum emero, cui sit delata hæreditas: finge enim à te occisum, certè mihi in omnem quoq; hæreditatem teneberis. Sed hîc aduertendum est: quia communi æstimatione quamuis seruo relicta sit hæreditas, non tamen is carioris precij æstimatur, ut Paulus scripsit [s]: cuius responsum ubi castigatè legitur, recentiores [t] corrumpunt: at quod re uera corruptum est, silentio transigunt. is autor, precia, inquit, rerum non ex affectu, nec utilitate singulorum, sed communiter funguntur. inuertunt quidam, & finguntur malunt legere. uerùm fictio ne hæc est, an potius æstimatio: nihil sanè hęc commune habent. Ipse uulgatam lectionem probo: accipiendum enim est funguntur, id est functionem recipiunt, hoc est æstimationem quæ fungitur uice rei. est autem in passiua significatione positum, quod & ueteres in simili uerbo, utor, fecisse Gellius obseruauit, & alij prodidere. maculosus autem circumfertur uersiculus, finem uersus, quem nos ex antiquis codicibus ita restituimus: sed nec hæredem post mortem testatoris institutum seruũ, tanto pluris esse, quanto plus uenire potest Pedius scribit: est enim absurdum, meipsum hæredem institutum non esse locupletiorem antequam adeam. si autem seruus hęres institutus sit, statim locupletiorem effectum: cum multis causis accidere possit, ne iussu nostro adeat: acquirit etenim nobis certè cum adiret. esse autem præposterũ, ante nos locupletes dici quàm acquisierimus. & hoc modo legenda sunt eius responsi uerba. Sed & dum dicitur, eadem causa est eius serui, qui noxam nocuit, nec enim delinquendo quisquam preciosior fit: significat noxam nocere, delictum facere, quòd per noxæ deditionem expurgetur. T. Liuius libro IX. quandoquidem hicce homines iniussu Po. Rom. Quiritiumq; fœdus ictum iri spoponderunt: atq; ob eam rem noxam nocuerunt, quo Po. Rom. scelere impio sit solutus, hosce homines uobis dedo. Hoc autem dictum est propter æstimationem, quæ augetur in lege Aquilia. Sed his omissis, ad rem ex diuerticulo redeamus. cum constet idcirco quòd alicui

B delata sit per seruum hæreditas, non censeri eum ditiorem [u]: certè consequens est, huius accessionis in eo quod interest rationem non duci. Sed tamen ut huic argumento respondeatur, debemus scire, si hæreditas mihi delata sit, cum in bonis meis ius adeundi comprendatur, rectè nuncupari me locupletiorem [x]: sed cum seruus meus hęres institutus est, non idem est, ut possim ipse locupletior dici: non enim propriè tunc mihi delata dicitur hæreditas, quippe delata est, quam quis adeundo consequi potest [y]: at hoc casu adire ego nequeo. quid enim si seruus nec precibus nec minis flectatur, & aditurum se neget [z]: ipse enim locupletior non sum, & multò minus seruus, cui nihil potest acquiri. Igitur ut omnes obices remoueamus, non obstat primum argumentum, quòd uenditorem ancillæ euicto partu, teneri Iulianus scribat [a], quod & in uenditore serui probatur hæreditate euicta. nam utroque in casu & partus, & hæreditas emptori semel acquisita fuerant. unde ius habuit in re, non autem tantum spem, ex qua precia rerum non augentur. quod uero Neratius [b] scripsit, si seruum occideris cui hæreditas delata fuerit, teneri te lege Aquilia in omnem hæreditatem: ea ratione inductum est, quia deliquisti. at in delictis quantiquanti etiam extrinsecus interest, fit condemnatio: quod infrà disputabimus. sed & quod ait lex, si hæreditas amissa sit, quia seruus nõ exhibeatur, id damnum hæreditatis æstimari debere [c]: in actione ad exhibendum sibi locum uendicat, quæ arbitraria est, & in qua iusiurandum in litem defertur [d], unde non ratio solùm eius quod extra rem damni incidit, in ea initur, sed affectio quoque probabilis est. & hoc modo possunt contraria argumenta euitari. Cæterùm & specialis ratio Pauli responso assignari posset [e], quapropter Bartoli suprascriptum axioma generaliter accipiendum uideretur. quod enim ait Paulus [f], si hæreditas seruo meo delata sit, interim non esse me locupletiorem, nec huius lucri in eo quod interest rationem communiter duci: procedere arbitror in communi rerum æstimatione, quæ propter deductionem ex lege Falcidia debetur aduersus legatarios, qui ad lucrum admittuntur. quare si seruo meo delata sit hæreditas, cum cuilibet adire, uel id minus liberum sit, possum ego iussum seruo non præstare [g], ne uidelicet adeat. nec id mihi damno uersus legatarios esse debet: cum id in fraudem fieri nemo dixerit, si lucro abstineo. Igitẽ donec adijt

s *l. precia rerum. ad leg. Falcid.*
t *Mod. in rep. l. filium, quem habentem.*
u *d. l. precia.*
x *Bar. in l. post emancipatum. §. fi. ff. de lib. le.*
y *l. delata. ff. de uerb. signif.*
z *l. cũ proponas. C. de hæred. instit.*
a *d. l. uenditor. ff. de euic.*
b *l. unde Neratius. ff. ad l. Aq.*
c *l. sed & hæreditas. ff. ad exhib.*
d *l. itẽ uideamus. §. fi. ff. de in lit. iur.*
e *d. l. precia. ff. ad l. Falc.*
f *in d. l. precia.*
g *l. qui autem ff. quæ in frau. cre.*

seruus, nihil amplius æstimabitur: & id erga legatarios qui lucrum spectant. at in iuribus, quæ aduersari suprà demonstraui, dominus cui resarciendum est damnum, de euitando detrimento agebat: & uerisimile fuit, dominum ut seruus adiret iussurum fuisse, cum hoc domini utilitatem respiceret. at priore casu iussus in commodum legatariorum uergebat, non domini. quapropter credibile fuit, dominum prius non fuisse iussurum, quàm cum legatarijs transegisset. & hoc uerius esse opinor, quàm quòd ibi Bartolus commentus est. Secundum Bart. axioma est: In re quę æstimationem intrinsecus augeri non patitur, id quod extra rem accidit, damnum repręsentatur [h]. quòd cum æstimatio intrinsecus augeri potest, contrà [i]: & id, cum interest, quia non fecisti. exempli causa, quod Vlpianus ait, centum apud te deposui: quæ cum repeterem, non tradidisti: æstimatio hîc augeri nequit, centum enim aurei omni tempore centum ualent. habebitur igitur solùm ratio eius quod extra ipsam rem mea interest. quid enim si pecuniam sub pœna debui, & quoniam mihi depositum tradere renuisti, coactus sum pœnam soluere? & dictum id Bartoli communiter approbatur: uideamus quàm uerum sit. & in primis rationem nullam habere id uidetur. Cur enim cum æstimatio non augetur, uenit id quod extra rem interest? nonne utrunque simul considerari potest, ut & æstimatio augeatur, & quantum interest etiam extra rem simul conueniat? nam Gallus Aelius [k] scribit, si uestimenta aut scyphus petita sint, & ea non præstes, non solùm te condemnari in eorum æstimationem, quæ quidem augeri potest: sed etiam in id precium, quod mercedis nomine capi potuisset, si ea locassem: hoc enim extrinsecus interest. sed & ualida ratione idem conuincitur: cum enim in his rebus, quæ precium intrinsecus accipiunt, rationem cessantis lucri habeamus [l], quanto magis æstimandum fuerit id quod extrinsecus interest, quatenus damnum respicit: multò etenim æquius est, nobis ne detrimentum aliquod patiamur succurri, quàm ne lucrum perdamus [m]. Verùm & illud aduertendum est, Vlpiani exemplum [n], quod suprà adduxi, haudquaquam sententiam communem adiuuare. cum enim centum penes te à nobis deposita abnegas, condemnaberis quidem in eo quod mea extrinsecus interest, in alio non condemnaberis: quoniam pecunia certam habet æstimationem, igitur in utroque damnareris, nisi alterum, uidelicet nummorum æstimatio, locum hoc casu non haberet. quamobrem nostræ sententiæ assertor quoque Fulgosius fuit: qui duplici ratione communia insectatur, licet utraque non satis firma. aiebat enim, in oleo similibusque rebus accessionis extimæ causam facilius quàm in pecunia admitti [o]: ut facilè & quod intra rem, & quod extra damnum emergit, simul computetur. aiebat rursus, id lege constare, si res uendita nõ tradatur, quanti interest emptoris agi [p], quod interdum rei precium egreditur: ea enim uerba, quanti interest, necessariò extrinsecus accipi, non enim intelligi possunt in eo quod nostra habere ex affectu interest: nisi (quod uerius est, & ego probo) responderis, de eo accipi quod singulariter ob utilitatem interest. id enim & in condemnationem deducitur, & rei precium plerunque egreditur [q]. Cæterùm nostræ huic sententiæ unicum Pauli Iurisconsulti responsum [r] aduersatur: qui, cum per uenditorem, inquit, steterit quò minus rem tradat, omnis utilitas emptoris in æstimationem uenit, quæ non extra rem consistit. neque enim si potuit ex uino puta negociari & lucrum facere, id æstimandum est non magis quàm si triticũ emerit, & ob eam rem quòd non sit traditum, familia eius fame laborauerit: nam hæc precium tritici, nec seruorum fame necatorum consequitur. Huic respondet Fulgosius, non omne quod extra rem damnum uenit, emptori rependi: sed illud tantum quod non omnino est impertinens. cur enim non præuidit emptor, hoc accidere potuisse, ut uenditor triticum non traderet? sibi igitur aliunde interim parare debuerat: nec cauto patrifamiliâs conuenit dicere, non putaram. responsionem hanc Fulgosij ipse non approbo: quandoquidem uulgò dicitur, exempla regulam non arctare. cum enim Iurisconsultus semel dixerit utilitatẽ, quæ extra rem consistit, non æstimari: sequentia exempla restringere dictum non debent. nam & quòd ratio cessantis lucri habeatur, nequaquam impertinens est, & tamen negat lex æstimari. Igitur alio modo censendum arbitror, & illud affirmandum, hoc in tractatu ex contractu emptionis & uenditionis, ad cæteras promissiones argumentis

h l. nummis. de in lit. iur. l. iij. §. fina. de eo quod certo loco. l. si pœnam. l. liber ij. §. fi. de uerb.
i l. si sterilis. §. cum per uenditorem.
k l. uideamus. uer. præterea. ff. de usur.
l d. l. uideamus. & hac l.
m l. fina. C. de codicil.
n l. nummis.
o l. oleo. C. loc.
p l. rogasti. §. si tibi. ff. si cer. pet.
q l. j. de act. emp.
r l. si sterilis.

A mentis non inferri. hoc enim in contractu etiam uersus negociatorem lucri cessantis ratio non habetur[s]: cum tamen in reliquis casibus habeatur[t]. Itaque puto generaliter concludendum, non solùm eius quod intra rem, sed etiam simul eius quod extra rem nostra interest, rationem habendam: aliud tamen esse specialiter inductum in emptionis & uenditionis contractu. nam cum emptor & uenditor simili iure censeantur, &, quod passim aiunt, sint correlatiua, non debuit alter plus altero grauari[u]. cum igitur id statutum esset, ut emptor, si pecuniam non traderet, in usuris solùm legitimis condemnaretur, æquum fuit ut uenditoris quoq; mora nihilo durius puniretur. unde si rem uenditam non tradit, solùm in eo quod intrinsecus interest damnatur: id enim quod extra rem uersatur, legitimum usurarum modum excedit[x]. Tertium Bartoli axioma est huiusmodi. Cum quis non negligentia, sed ex malè facto reus est, puta quia tradidit rem non suam, si scienter, quicquid etiam quantumcunque extrinsecus interest[y]: si ignorans, usque in duplum tenetur: si uerò ignorans uitiosam rem tradiderit, tenetur quanti minoris[z]: præterquam is qui uas uitiosum præstitit[a]. probatur hæc sententia ex Pauli Africaniq; responsis, alijsq; item legibus. Verùm suprà admonui, ea responsa malè fuisse à cæteris intellecta: quoniam ex eorum uerbis ostendi etiam in sciente rem alienam, illud procedere ut ad duplum solùm conueniatur: nam & non comprendi eum casum sub hoc axiomate existimaui: non enim qui rem alienam uendit, uerum est malè facere[b]: immo rei alienæ uenditio ualet: & satisfacit emptori is qui de euictione se obligat. Igitur in diuersam sententiam eo: atque opinor, quoties ob rem alienam traditam agatur, siue imprudens uenditor, siue sciens fuerit, quatenus emptoris interest omnimodo condemnandum, ita ne duplum egrediamur[c]. quòd si ob id agimus, quia malè factum, ueluti cum uenditor sciens tignum uitiosum, uel ouem morbosam tradit, inde quicquid detrimenti emptor consequitur[d], puta lapsa domo uel corrupto grege, omne resarciendum est. quod in ignorante uenditore non ita est: solùm enim agi-

B tur quanti minoris. Verùm dubitauerit aliquis: cur cum uenditor rem alienam ignorans tradit, non tenetur quanti minoris actione[e]? respondeo: si emptor sciuisset alienã, uerisimile est nullo precio ab eo empturũ: at quando res non aliena est, sed uitiosa est, uiliori precio saltem uendibilis est: expedit itaque tunc quanti minoris agere: quod maximè probo, cum uitium rei affixum est. Dixerit aliquis: cum uenditor sciens rem uitiosam tradit, Iulianus ait quanti quanti emptoris interest damnari: nónne id præsenti constitutioni aduersatur, qua traditum est, in contractu emptionis & uenditionis duplum non excedi? Bartolus[f] respondet, omne illud quanti quanti emptoris interest, simplam quantitatem esse quatenus communiter interest. id ego non probo: quoniã suprà demonstraui hanc constitutionem ita intelligendam: ut cõdemnatio in id quod interest non fiat ultra duplum uel precij conuenti, uel ubi nihil conuentum sit, precij singularis[g]: at in casu Iuliani exceditur. tignus enim tibi fortasse uenditus est decem, & domus diruta ducentis ualet: igitur ex hac constitutione duplicanda fuerãt sola decem. itaque Fulgosius[h], aut, inquit, id quod interest in locum rei principaliter in obligationem deductæ succedit, & nunquam excedit duplum eius pro quo subrogatur: aut principaliter ex se ipso perpenditur, & excedit: ut in casu suprascripto Iuliani: cum enim agitur ex maleficio, simplum certum non est: unde tunc secundam constitutionis partem attendimus. sed aduersus Fulg. deduci uidetur, quòd constitutio duplum ex precij conuenti quantitate deflectit. quod cum in Iuliani quæstione certum sit, non possumus dicere incertorũ casuum regulas obseruari: quid censebimus? Accursij sententiam, licet Bartolus confirmauerit, nequaquam suprà admisi: quoniam nimis constitutio coarctaretur, si eam disponere tantum dicamus circa duplum precij singularis: nam & in Iuliani casu prædicto, quod communiter interest, tantum esse non crediderim: quoniam, ut etiam Albericus notauit, id accidere potest, ut domus cui tignum uitiosum intuli, ex singulari aliqua ratione mihi charior esset: nec tamen ex lege nostra cõsiderabitur domus, uti singulariter mea interfuit, non dirutam usque ad duplum, sed tigni æstimatio duplabitur[i]. Cynus, difficilis hæc, inquit, est oppositio & cornuta. Martinus & Bulgarus nostram constitutionem æditam esse, ut solùm quod intra rem inter-

s l. fi. ff. de peric. & com.
t d. l. iij. §. fi. ff. de eo quod certo.
u l. ij. C. de cupres. lib. xij. d. l. fi.
x l. oleo. C. de usur.
y d. l. Titius.
z l. Iulianus. ff. de act. emp.
a l. tenetur. §. qui uas.
b d. l. si rem alienam.
c d. l. Titius.
d d. l. Iulianus.
e in l. Titius.
f Bart. in iij. op.
g d. l. Titius.
h d. l. Iulianus.
i d. l. Titius.

esset coarctaretur, existimarūt: Iulianum uerò loqui cum extra rem interest. quod sum C
mè displicet: lex enim hæc nostra generaliter introducta est, ut omnes ueterum difficultates tollerentur. quamobrem Iacobi Rauen. Petriq; sententiam probo, quam Nicolaus. Mat. Alberi. Q. Rosates sequuntur: nec aliter credidisse uidetur Fulgosius, ut cōmunem hanc putem. ab his traditum est, in uenditione tigni duplicem obligationem uersari, rem tradi, & uitiosam non tradi: uenditor itaque tradere tenetur, & quòd bona fide tradet. cum ex eo capite agitur, quia tignum nō sit traditum, obligatio est certa, & duplum æstimatio moræ non egreditur: cum ex alio agitur, quia in dolo malo es, & uitiosum tradidisti, ratione doli obligatio est incerta. hoc enim uitiosè tignum non tradere, certam æstimationem natura, uel qualitate rei non habet: & ideo condemnatio fit quantiquanti interest. idem iuris est in pecude morbosa: nec aliter Martinum, Bulgarumq; sensisse opinor, licet mutilè, & nimis laconicè scripserint. Cæterùm etiam dum Bartolus, quando quis rem uitiosam ignorans uendit, actione quanti minoris conueniri affirmat, non satis penes me hoc constat: cum alibi legatur[k], si tibi agrum locem, in quo mala herba nascitur, & propterea pecuascere nō possis, te ad pensionē non teneri: non solùm quanti minoris non agitur, sed nihil penitus petitur: nisi dixeris ex eo uitio fundum penitus inutilem reddi, quod non satis probo: magis etenim illud arriserit, si intelligamus idcirco omnem pensionem à colono retineri, quia ex morte pecorum tantum detrimenti fuerat passus: alioquin si malam herbam resecauerit, euulseritq;, nihil obesse uidetur, quò minus solùm quanti minoris conueniar. Quòd autem prosequitur Bartolus, in uase uitioso uendito idem iuris esse, siue sciuerit, seu ignorauerit: & uenditorem non quanti minoris, sed in omne prorsus quod intersit conueniri: uidetur carere ratione. cur enim id in uase specialiter inductum est? meritò itaque Accursij sententiam Fulgosius probat: is nihil in uase specialiter fieri scripsit: sed solùm obseruari, ut si res quarum uitium probabiliter ignorari possit, uenundentur, uenditor ignorans quanti minoris iudicio solùm teneatur: quòd si non facile fuit, ut ignoraret, in omne quod D
intersit condemnari[l]. Verùm nec hoc ipse probauerim: cum facilitas hæc dignoscendi uitium, uel id minus, sit facti: quæ augere eius quod interest condemnationem non debet, nisi quatenus probetur[m]. sed & quid si pecus sit morbosum, uel tigillus cariosus, ut facilè dignosci possit: si tamen uenditor ignoret: nónne conueniri quanti minoris lex ait[n]? quæ generaliter hoc sanxit. nam & contrarium potius distinguendum fuerat, cum in rei uitiosæ uenditione minus emptori succurratur, cum uitium facilè potest agnosci, quàm si non sine industria deprendatur[o]. quapropter Vlp. si intelligatur, inquit, uitium morbus'ue mancipij, ut plerunque signis quibusdam demonstrari solent uitia, potest dici edictum cessare. & ratio in promptu est: sibi enim suam negligentiam emptor imputet, qui uitium minimè latens statim non deprenderit. Igitur à maiorum traditionibus discedo, interimq; hoc magis probo, ut distinguamus, an res uendita seu locata, ob uitium penitus sit inutilis: & hoc casu uenditor, tametsi ignarus, in omne quod interest damnabitur. nam uas si uitiosum sit, puta quia uinum effluat, nullius cōmodi est: uasorum enim ea est natura, ut idcirco emantur, conducantur'ue, quia uino impleri possint: hoc igitur uenditor tenetur scire, alioquin est in culpa. aut res uendita ex huiusmodi uitio non est penitus inutilis, sed solùm depreciatur: & tunc quanti minoris experiundum est. nam pecus infirmum penitus nullius commodi non est, sicut nec tignus uitiosus: si enim onera grauia nequibit ferre, substinebit saltem leuia. Et distinctio hæc probatur ex natura actionis: nam quanti minoris actio rem nihil penitus ualere non arguit, sed minoris ualere. unde cum res ratione eius operæ ob quam emitur, sit omnino inutilis, non ea actio competit: sed per actionem ex contractu quantum est quod emptoris intersit, resarcitur: quoniam dominus scire debuit rem suam, an satis idonea esset operæ cui principaliter conueniret. Accursius hoc in articulo plurifariam anceps fertur: cuius dissensiones referre operæprecium non arbitror: quandoquidem & nostra sententia eo confirmatur, quòd lex[p] in uase non integro, & quod defluat, semper loquitur, quod ostendit ex eo uitio reddi nullius cōmoditatis. Quartum Bartoli axioma in hanc formam est; in contractibus qui utriusque contrahentis gratia fiunt.

k *l. sed addes. §. j. locati.*
l *l. tenetur. §. sed si. uas. ff. de act. emp.*
m *l. quatenus. de regu. iur.*
n *d. l. iulianus.*
o *l. j. ff. de edil. edi.*
p *d. l. iulia.*

A fiunt, qualis est uenditio, si seruus uendatur, emptor non aget contra uenditorem, nisi scientem, & qui tacuerit [q]: quod in rebus inanimatis est secus. Videnda primo est ratio differentiæ: & priore casu idcirco succurri uenditori crediderim: quia facile potuit à seruo decipi [r]: uitia enim in homine facillime latent. & propterea reprensionis & maledicentiæ deum Momum traditur ex fabula, tribus in rebus Iouem arguisse. quòd capris cornua inutiliter fecisset, utpote reflexa, nec quibus se tueri possent. quòd tauris eadē non in harmis posuisset: sic enim futurum ut ualentius impeterent. quòd homini in pectore fenestras non apperuisset, ut inde eius mens cognosceretur, ne deciperet: plerunque enim accidere, ut quos exterius pulcherrimos censeas, animo sint fœdissimo. Sed ad rem, si Bartoli uerba simpliciter acciperemus, aperte reprendi posset: quoniam ex traditione serui, ut obliger in eo quod extrinsecus interest, sufficiat etiam si ignorauerim: quia ob malam electionem sum reus culpæ [s]: quod procedit generaliter, cum seruum à me conduxisti uel emisti. Itaque Bartolum intellexisse crediderim, cum simpliciter mecum egisti, ut locarem Stichum: nam si is tibi furtum fecerit, nil teneor, nisi scierim eum esse furem. sed & dum idem distinguit, an probabiliter ignorari uitium à me potuerit, suprà confutaui. Quintum axioma sic explicatur: in contractibus qui alterius contrahentium causa solùm fiunt, puta dantis, ut depositum: is qui dat, tenetur in omne qualitercunque intersit, sciat seu ignoret [t]. at si causa recipientis fiant, sciens tantum tenetur: ignorans uerò seruū pro noxa dando, liberatur [u]. casus hi clarissimi sunt: quia ita expresse à Iurisconsultis proditum est, qui distinctionis quoque rationes afferunt. nodus ergo in scirpo quærendus non est: solùm aliquid dubitationis est in mandato, cum alibi lex [x] generaliter dicat: si seruus, quem ut emeres mandaui, damnum tibi intulit, me teneri: alibi uerò distinguat, ut liberer eum pro noxa dando. sed quia id rectè Accursius, & cæteri extricant, ulterius non existimo agendum. Cæterùm quoniā in plerisque superius à Bartolo recessimus: ex nostra sententia breuiter sic fuerit dicen-
B dum: in contractibus non reciprocis promissor pecuniæ post moram, & quod intrinsecus, & quod extrinsecus interest, repræsentare debet [y]: cum generaliter uerò quærimus, in omnibus contractibus, accessionem rei quaquà tendat comitem considerari [z]: in contractu autem uenditionis, quod extrinsecus interest, quia non factum quod fieri debuerat, non rependitur [a]: in cæteris contractibus rependitur. quòd si uenditor est reus quia male fecit: si sciens, omnimodo condemnatur [b]: si ignorans, aut res uendita emptorem nihil propter uitium iuuat, idem iuris est [c]: aut aliquid iuuat, & agitur quanti minoris. quòd si uenditor iniustè tradidit, quia rem alienam, in id quod extrinsecus interest emptoris, condemnat̄ [d]: dum tamen duplum non egrediamur. in alijs distinguo, ut ex Africani responso constat, titulo de furtis [e].



SVperest ut quartam quæstionem explicemus: num uidelicet hæc constitutio in maleficijs, seu delictis, locum sibi uendicet. Accursius, Bart. & cæteri communiter uendicare sibi locum affirmant. Sed in hanc sententiam illud torquetur, quod ex communi interpretatione in [f] responso Iuliani superius retuli. si enim ut te decipiam, tignum tibi uitiosum uendidero, & domus corruerit, omne tibi detrimentū resarcire cōpellor: quod non solùm duplum, sed decies decuplum potest excedere. Illud item adducitur: finge sub pœna ducentorum aureorum promisisse me tibi librum cōmodaturum: Titius furatus est librum, quapropter coactus sum ducenta soluere, cum liber decem non excederet: num Titius resarcire mihi hanc pœnam debet? certè constat debere [g]. ecce igitur quemadmodum excedatur duplum rei. finge te ui aut clàm aliquid mihi damni intulisse, ita debes damnari, ut eodem statu constituar, quo forem, si nec ui, nec clàm aliquid fecisses [h], poterit certè id duplum æstimationis damni egredi. & ita censuit Petrus: nec nostra hæc constitutio aduersatur: quia & ex uerbis ipsius, & ex exemplis apparet in contractibus solùm procedere. quod & inter Baldi responsa Signorellus Homodeus retulit [i]. Is, si, inquit, in fluuio communi molendinum ædificem: quod tu prohibeas, quia tua interfit ne id faciam, ueluti quod tuum non ita frequentabitur, nihilominus iniustè te id facere: quoniam ratio cessantis lucri in contractibus habetur ex præsenti constitu-

q d.l. sed addes. §.1.
r l. cum plures. §. si seruū. ff. loc.
s d. §. si seruum.
t l. in rebus. §. itē qui sciēs. ff. con. l. pe. eo. tit.
u in l. si seruus §. quod uero. ff. de fur.
x l. inter causas. §. si seruus ff. manda.
y d.l. nummis.
z d.l. uenditor.
a d. §. cum per uenditorem.
b d.l. iulianus.
c d.l. sed addes. §. si uas.
d d.l. Titius.
e d.l. si seruus.
f d.l. iulia.
g l. inficiando. §. fi. de fur.
h l. semper. §. in hoc interdicto. ff. quod ui, aut clam.
i consi. lxxi. in primo.

tione: non idem in cæteris factis: igitur constat constitutionem in contractibus solis lo C
qui. posset tamen dici delicta ratione doli mali incerta esse, & idcirco secundum constitutionis casum attendi, ut quicquid sit quod interest refundatur: & hoc probo, nec aliter Iaco. Pau. Pet. Cy. Alb. Ros. Mart. Bulg. senserunt: & communiter ferè tenetur, si ita declarauerimus.



Rosequitur in constitutione: cum scimus esse naturæ congruum, &c. Ex qua parte legis Cynus, Bart. atque alij annotauerunt, pœnas in iure coarctari, nec in infinitum posse nos progredi. & pœnas legales quadruplum nõ excedere satis constat [k]. sed dubium est, quid in conuentionalibus. & distinguit Accursius, an per multiplicatiua nomina, an per numeralia stipulatio concipiatur. quod Gallici Doctores reprobant: cum uerborum differentię futiles sint. id tamen faciliter reijcitur, cum has differentias in iure fieri plerũque uiderimus. exẽplum unũ proponere interim sat fuerit: cui testator per uerba numeralia reliquit, puta, lego Titio centum, potest in testamento esse testis [l]. quòd si dixerit, relinquo tertiã partem hęreditatis: licet hæc portio sit minor centum, tamen non potest esse testis. utcunque sit, communiter Doctores Accursium suprascripta ratione damnant. Bartolusque aliter distinguit [m]: cum certa est simpli quãtitas, pœna uel quadruplum potest excedere: cum incerta, non potest: quoniam uerisimile non est, uoluisse contrahentem in tanta summa condemnari: uitandaque hoc casu erit infinitas: quæ ratio fragilis est, cum in genere potuerit promissor simplum, quamuis incertum, æstimare, & sibi imputare debeat qui uoluit quadruplum egredi. Igitur cõstitutionis uerba de legali pœna accipienda sunt. Bal. & Io. ab Imola [n] existimauerunt per simplicia nomina, neque quadruplum posse excedi: quod & Alexander quibusdam rationibus confirmat: quibus Iason respondet. Ipse crediderim conuentam pœnam aliquo modo egredi non posse, id quod cum legitimis usuris uerè interest. quæ sententia tribus rationibus adiuuatur. Prima: hæ pœnæ eius quod interest loco subrogantur [o]: igitur eius naturam imitentur, ne illud excedant. Secunda: lex nostra, quatenus taxationem eius quod interest coërcet, argumentatur à pœnis: igitur ultra legis restrictionem pœnæ extendi non possunt: aliter enim argumentum non ualeret. nec dicat quisquam constitutionem loqui in pœnis legalibus: quia probabilius est ad conuentas respexisse, quæ loco eius quod interest subrogantur. Tertia ratio: ex Papin. responso elicitur [p], is frustra dupli pœnam adijci promissionibus autor est, quia sic faciliter legitimus usurarum modus excederetur. en ergo pœnam excedere nõ posse id quod usurarum ratione habita interest. nec illud responsum in eo intelligendum est, qui fœnerare soleat, nec item in obligationibus tantum dandi: sed etiam in factis, si subsit similis suspicio. Illud non negauerim, ubi suspicio fraudis nulla sit, in Bartoli sententiam me accedere: at cum simplum est incertum, tunc dubio procul duplum excedi nequit: idque omnes probant. D



Ostremo lex ait: & hoc non solùm in damno, sed etiam in lucro, &c. Notandum his ex uerbis est, non solùm damni emergentis, sed etiam lucri cessantis rationem ueteres habuisse. quapropter & in eo statuitur, ut duplum non excedat precij conuenti. pro declaratione igitur huius articuli statuendum est, quemadmodum generaliter lucri cessantis ratio habeatur. & ut aliorum ambages missas faciamus, duobus uerbis id habe: ratio lucri cessantis, quod uerisimiliter aliquis fecisset, regulariter habetur [q], id non procedit, si lucrum illud cum alterius iniuria acquireretur [r]. idem iuris est in emptionis, uenditionisque contractu [s], ut utrinque æqualitas seruetur: ut suprà declaraui.

k §. omnes. insti. de act.
l §. legatarijs. insti. de testa.
m in l. stipulatio ista. §. alteri.
n Bal. hic Imo. & Alex. & Ias. in d. §. alteri.
o l. fi. ff. de præto. stip.
p l. Iuli. §. idem. Papi. ff. de act. emp.
q ut hac l. cum simplibus.
r l. si is cui. de fur.
s d. §. si sterilis.

FINIS.

ANDREAS

A

ANDREAS ALCIATVS SACROSANCTO ANTISTITI PHILIPPO SAVLO ELECTO BRVGNATENSI S. P. D.



Vi meus in te est amor, summaçq obseruantia, humanissime Saule, cum iandiu munusculo aliquo tibi ostendere decreuissem: nunquam tamen, nisi in præsentia, data est occasio. nam cum precibus quorundam adductus, treis ultimos Codicis Iustiniani libros, emendare conatus fuissem, creuissentçq castigationes illæ in opusculi formam: uisus sum operæpretium facturus, si hoc qualecunçq est libelli, tibi nominatim dedicauissem: tum quòd inde non minimam operi autoritatem comparari uidebam, tum etiam quòd non alijs magis quàm eloquentissimo Iurisconsulto opus dandum erat, quod ex iureciuili, humanioribusçq literis constaret: quibus in studijs ita tu profecisti, ut cum summa laude possis in utrisçq primas partes sustinere. accipe igitur sub patrocinio tuo eius autoris opusculum, quem iandiu tibi addictum habes: uel ex eo maximè, quòd & tu meritò in huiusce gloriæ partem debes admitti: qui non parum multam opem nobis attuleris, cum nescio cuius antiqui autoris de palatinis officijs, ad Theodosium imperatorem, quod unicum extabat exemplar, mihi dono dedisti: quoniã illud ad hanc prouinciã obeundam necessarium esse cognoueras. uix cuiquam credibile fuerit, quantum difficultatis nobis attulit eorum autorum inopia, qui tempore, quo constitutiones hæ, quas emendandas suscepimus, promulgatę sunt, fuere in precio. Nam cum in his non admodum castigatum sit dicendi genus, dilabente latini sermonis elegantia, non Cicero, non Liuius, non ex antiquioribus aliquis fuit adeundus: sed qui posteriori inter Theodosium & Iustinianum ætate floruerunt: quorum scripta rarissima extant. quæ res, uti arbitror, una deterruit alios: ut cum plures sint qui in Pandectas annotationes ędiderunt, nemo
B tamen ausus est hoc oneris adsumere: quod nos non quidem alijs doctiores, sed audaces fortasse magis sumus aggressi. me adiuuit itaçq tuus iste codex, nec minus legũ interpres græcus, alijçq quidam recentiores, cæterorum manibus haudquaquã triti, uulgati ue: ut uel ob hoc non paruam gratiam aucupetur hic liber, quòd repertu rara, nec passim cognita contineat. hac enim nostra tempestate, cum probabili certè consilio, se ueteribus unusquisçq familiarem præstet, eosçq autores nocturna & diurna manu uerset: usu uidemus, ut rerum posteriori tempore gestarum cognitio penè sit nulla. quotus enim ille est, eorum scripta qui uitas imperatorũ post Tranquillum scripsere, qui perlegat, aut lectas intelligat? cum tamen in hac parte non parua sit utilitas. quod ad me attinet, etsi hoc opus breui tempore à nobis absolutũ sit (non enim plus dimidio mense in eo elaborauimus) maximo tamen studio continuaçq cura ita usi sumus, ut quod propter tempus deesse potuit, sit repensum diligentia. auguror tamen, quin potius uideo, quantos in meum caput crabrones excitem: cum exploratum mihi sit, increbuisse eam inter recentiores iuris ciuilis sectatores opinionem, ut eiusdem esse negent, & leges scire, & humanitatis studia profiteri. sed hos uel tu ipse potes conuincere: qui utranççq scientiam adprimè calleas: ut Aretinum omittam, græcè & latinè disertissimum: qui tamen etiam ipsorum iudicio, optimus fuit Iurisconsultus. nam & uterçq nostrûm Iasonem audiuit etiam in latinis literis longè præstantem. sed hoc natura plerisque datum est, ut quod ipsi assequi non possint, maledictis deprimant. cęterùm ut nemini hîc nõ esset quod posset addiscere, si obiter alicuius antiquioris autoris, ab alijs malè intellectum locum, data est occasio declarandi, nec hoc grauati sumus adscribere, ut quoquo modo uidelicet studiosis proficerem. quod & ipsi quibusdam fortasse non probabitur, mancipiolum certè tuum tui erit officij defendere, & iuuare suffragio. Vale. Bononiæ, Nonis Ianuar. M. D. XIII.

ANDREAE ALCIATI

IVRISCONSVLTI MEDIOLANENSIS IN TRES POSTERIORES CODICIS IVSTINIANI LIBROS, ANNOTATIVNCVLAE.

De iure fisci lib. X.



Metœci. *Locus in digestis.* *Metœcia.*

N LEGE quarta, Codice de iure fisci, lib. X. certa, ait imperator, forma super metroicis data est.) Crediderim uerã lectionem esse, metœcis: sic enim à Græcis dicitur qui sedes mutat, & de loco ad aliũ transit. Latinè transmigrator dici potest, seu incola. quem etiam πάροικον Pomponius appellat. de uer. sig. l. pupillus. quamuis ibi græca dictio impressorum uitio desideretur. Sanè metœcion etiam locus Athenis fuit, in quo erat carcer. Metœcia quoque ibidem dies festus, item sacrificia de receptis in ciuitatem colonis, sic appellari autor est Plutarchus in Theseo. Suidas metœcos dici eos tradit, qui extra patriam habitant: & tributum quod ab his persoluitur, metœcion: uiri enim soluebant drachmas XII. fœminæ, VI. sed si qua filium peperisset, erat immunis. Menander horum meminit, & Aristophanes:

τοὺς γὰρ μετοίκους ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω. Paleam metœcos esse dico ciuium.

Optio miles. ¶ In lege, super.) scribit Accursius, optiones eos nuncupari, qui publica exigebant. cum ego haud rectè percepisse hanc dictionẽ existimo: cum Plautus in Asinaria, Varro, Nonius, Vegetius, optionem in eum sensum capiant, ut miles sit, qui ægros antecedat, tanquam eorum uicem, si usus uenerit, gerere sit paratus. Priscis accensus dicebat. hoc in significatu capitur apud Callistratum in l. ult. de iure immu. quamobrẽ etiam qui in palatina militia idipsum agat, quod in exercitu optiones, iure arbitor dici optionem. D

Vt nemini liceat in emptione spec. &c.

Sitocomia. ¶ IN rubrica, de munere siconiæ.) legendũ, sitocomię. Est autem magistratus nomen, qui frumenta & annonam curabat. Arcadius Iureconsul. in l. munerum. de mune. & hono. personale, inquit, munus est cura emendi frumenti & olei. nam harũ specierum curatores, quos σιτοκόμας Græci uocant, creari moris est. Vlp. quoque de uacatione mun. l. II. sextumdecimũ, inquit, annum agentem ad munus Sitocomiæ uocare non oportet. Habetur etiã huius uocis mentio in l. ult. de administra. rerũ ad ciuit. perti. uerùm & illic & apud Vlp. Accursius hallucinat. apud Arcadiũ græcũ nomen deest, quod in

Restitutæ in ff. dictiones. Pandectis dicit σιτώνας καὶ ἐλαιώνας. Sicut etiã apud Hermogenianum in lege prima, in principio, de muneribus, ubi σιτοκομία ait, id est annonæ, ac similiũ cura, munus personale est. nomen ipsum deducit ἀπὸ τοῦ σίτου, id est à frumento, καὶ κομέειν, quod est curare. nec aliquẽ moueat, quòd Arcadius eo nomine appellari tradat eos, qui etiã oleũ emi curant: nã ea quibus uescimur, omnia possunt σῖτα, hoc est cibaria dici. Hom. ἰλ. ι.

Πάτροκλος μὲν σῖτον ἑλὼν ἐπένειμε τραπέζῃ.

Diuisit capiens Patroclus edulia mensæ. Idem ἰλ. τ.

σίτου καὶ οἴνοιο· τὸ γὰρ μένος ἐστὶ καὶ ἀλκή.

Et Bacchus uires, & robur edulia præbent.

Ex his patet error Accursij, qui mentionem omnino nullam de Sitocomis, huius in legis contextu haberi tradit. & idcirco suspicatur aliquam legem græcam sub hoc titulo ab imperatore fuisse appositam, quæ amplius non extet: cum in primis uerbis scriptũ sit: quoties urgente necessitate comparationes frumenti & hordei, &c. quid enim aliud hîc designatur, quàm Sitocomia?

De decurionibus.

¶ LEX, Circensiũ magistratus.) existimat Accursius, Circenses populi nomen esse: quod nusquam legit. nisi fortasse Cyrenensium loco id nominis subditum fuisse, librariorũ

Circensium magistratus. culpa aliquis opinetur. quibus lectionem uariare non placet, his operæprecium facturus uideor declarare, qui nam hic sit magistratus. posse enim hîc intelligi arbitror eos, qui Cir-

A qui Circensibus ludis præerant, quos quidam Plauti autoritate in Pœnulo adducti, designatores appellant. sed eorum opinio haud satis probabilis est: cum ludis funebribus potuit ea fabula esse acta, sicut Terentij Adelphi. nam & Horatij interpres, & Donatus scribunt, ludis tantum illis designatores præfuisse. quam in sententiam iturum Annæum Senecam existimauerim, qui de beneficijs libro VI. eos libitinarijs adiungit. Vlpianus de his qui notantur infamia, l. athletas, magistratum esse ostendit: cum tanquam maximum beneficium huiusmodi administrationem à principe dari solitam testatur. qui autem sint ludi Circenses, sat puto esse perspectum ex Tranq. Seruio, & cæteris. Possumus etiam legere, circitorum: ut intelligamus eos, qui à triumuiris, aut à præfecto uigilum constituti, urbem noctu circumibant, ad extinguenda incendia, & arcendos fures. unde illud in Iuuenilibus: Quid mecum tibi circitor molestè? ad me cur prohibes uenire furem? Vegetius quoq; lib. III. idoneos, inquit, & probatissimos tribuni eligũt, qui uigilias circumeant, ut renuncient si emerserit culpa: quos circuitores appellant. nunc militiæ factus est gradus, & circitores uocantur. quid enim, si hos imperator circenses appellauit? sanè circuitor, alio atq; alio significatu capitur apud Vlpianum, in l. quicunq;, de institoria actione, & Modestinum in l. si duos, de excusa. tut. si modò fidelia sunt exemplaria. nam mihi subolet, eam legem, sicuti & alias plerasq;, eo in titulo ex græco tralatas à quodam, qui non magis græcè quàm latinè sciuerit. Circulatores uerò apud Paulum in l. ultima, de extraordinarijs criminibus, hi dicuntur rabulæ, qui serpentes circumferunt, proponuntq;: quales sunt nostro tempore, qui se diui Pauli gratiam (ita enim dicunt) habere profitentur. sed id ab re est.

Designatores. *Circitores.* *Circuitor.* *Circulatores.*

¶ In lege, quidam ignauiæ, imp. Valens, quidam, inquit, monazonio congregantur.) Suidas monozonos esse tradit inter militares uiros honoratos, & cingulo illustres. sed hoc ad rem præsentem non facere existimo: quoniam hîc per monazonium intelligo in heremis locum, in quo monachi congregantur. μονάζω enim id significat, quod
B solitariè uiuo, unde & μοναζόντων patrio casu hîc legi posset. Nam Eutropius atq; Orosius tanto odio tradunt Valentem, qui eiusce legis autor fuit, persecutum monachos: ut abstracta ex heremis multa eorum milia, Barbaris trucidanda obiecerit, eo in prælio quo aduersus Gothos conflixit. etsi Bartolus, qui inter Iurisconsultorum interpretes longè primus est, eumq; secuti cæteri existiment hac lege prohibuisse Valentem conuenticula impiorum: & eorum præsertim qui ad subterfugienda munera ciuitates deserebant. sed hi profectò non norunt, quibus furijs sit in monachos inuectus hic imperator: nec ex historiarum ignorantia decepti hoc tantum in loco sunt recẽtiores, sed & in plerisq; alijs. duo interim proposuisse nunc sufficiat. scribit Vlpianus in l. generaliter, de decur. eos qui Iudaicam superstitionem colunt, admitti ad honores posse: & diui Seueri atque Antonini rescripto, necessitatem cæteris impositam, ne huiusmodi superstitio læderet. In huius legis interpretatione, ita clausis oculis aguntur nostri Iurisperiti, ut quoniã alibi legerint, Iudæos ad honores non admittendos, fateantur antiquiorem legem corrigi: cum tamen haud de Iudæis Vlp. loquatur, sed de Christianis. nam ueteres quiq; scriptores, qui nondum per orbem terrarum Christi fide recepta floruerunt, eam superstitionem Iudaicam appellant: quod ex Cornelio Tacito libro XVIII. Tranq. in Tiberio, Plinioq; dignoscere unicuiq; est in promptu. quòd autem de Antonini rescripto fit mentio, cur ab imperatoribus promulgatum sit, ostendit Tertulianus in Apologetico aduersus gentes. nam cũ exercitus Romanus cõtra Barbaros dimicaturus esset: & ad summã inopiam aquæ ita foret uentũ, ut milites siti perirent: Christianorũ qui in bello erãt, precibus à deo opt. max. impetratæ sunt pluuiæ: quibus omnis sitis leuata est. In huius rei gratiã, à pijssimis imperatoribus lata est lex, cuius meminit Vlp. etsi ipse quoq; gentilis fuerit. nam Alexandri tempore fuit in precio, cũ nondum hic cultus publicè admissus fuisset, ut in Alexandri uita scribit Lampridius, qui huius uiri cum maximo honore facit mentionẽ. Secundũ fuerit declarare, quonã intelligẽda sit modo lex, quinq; pedum, C. finiũ regundorum. qua quidem in constitutione ita laborauerũt pleriq; Iurisconsulti, ut referat Accursius, nescio quẽ Petrum, qui omnes se leges intelligere gloriatus fuerat, de hac interrogatum obmutuisse. sensus itaq; huic te-

Monozoni. *Monazonium.* *Noua declaratio data ad l. generaliter. in fi. ff. de decu.* *Iudaica superstitio.* *Vlpianus Iurisconsultus.*

xtui talis uidetur assignandus. Scribit Iulius Nypsus in mensuris agrorũ ad Celsum, C legem XII. tab. apud Romanos fuisse, qua cauebatur inter confines uicinorum agros quinq; pedum spatium relinquendum esse, ubi aratrum circumuerti, & iter fieri posset, intra quod spatium nullus esset usucapioni locus. quod & Cicero libro de legibus primo ostendit. hanc igitur præscriptionem antiquatam hac constitutione crediderim, eodem Nypso autore: etsi in hoc non tam disputo, quàm locũ indico unde ueritas exquiri possit: cum enim per ociũ potero, diffusius rem omnẽ sum explicaturus. Sunt & complura alia, quæ longiore egent interpretatione: ueluti quid sit nexus, in l. unica, C. de usuca. transfor. quid item ibi res mancipi, & ne mancipi: & quid sit testamentum per æs & libram: nam qui Boëthium in Topicis non uiderit, haudquaquam intelliget. quin & frequentissima illa dubitatio, an de iure digestorum, materna bona filijsfamiliâs quærerentur, ex Iulij Capitolini uerbis in M. Antonini uita, qui à diuis fratribus id lege declaratũ tradit, luce clarius potest perspici: cuius rescripti & iurisfcon. Caius meminit in l. sacratissimi. ad Tertulianum, ut proculdubio cõmunis recentiorum sententia hac in quæstione sit explodenda. Accedit his, quòd ex lege Falcidia dodrantem ab hæreditate semper deduci tradunt recentiores omnes: cum tamen diuus Hieronymus in Eusebij chronicis, ita demum euenire tradat, cum non plus quatuor hæredibus erant instituti, alioqui semis apud hæredes remanebat. Nam & quæ sit cretionum solennitas in l. cretionum, C. de iure delibe. non intelliges, nisi ex Cicerone coniecteris: qui ad Atticũ lib. XI. literas, inquit, tuas accepi pridie Nonas Februarias, eoq; ipso die ex testamento creui hæreditatem. & rursus: Galeonis hæreditati creui. dico enim cretionem fuisse simplicem: quoniam ad me missa est. licet Veneti librarij, ab Pomponij æditione (cum eam non intellexissent) diffidentes, aliter impresserint: cum &, creui hæreditatem, acquirere significet, Festo autore. Sed hæc alibi diffusius.

Sensus uerior l. quinq; pedum. C. fin. reg.

Filijsfis. bon. materna quæri de iure ueteri.

Lex Falcidia.

¶ In l. quinq; summates.) Imperatores Theodosius & Valentinianus mentionem faciunt augustalium. qui hoc nomine appellent, non reperies, arbitror, qui id in expedito habeat. Vegetius rei militaris lib. II. sic nuncupatos testatur eos, qui primos ordines in bello ducebant, quòd ab Augusto ad id munus essent adiuncti. Capitur etiã huiusmodi dictio pro dignitate quadam, quę inter magistratus municipales erat. Horum mentio in plerisq; antiquorum tumulis: qualis ille in antistitis Brixiani palatio. D

Augustales qui.

> Coll. Fabrũm, & Cent. sex Sextio, Onesigeni ornamentis decurionalibus, Brixiæ VIVIR Augustal. patrono collegiorum Fabrorum, & Centonariorum, & Dendrophororum.

Creabantur autem hi Augustales ab ordine decurionum, ut ex alio epigrammate didicimus, quod in mensa marmorea Mediolani, in diui Nazarij templo est.

> Faustus VIVIR Augustalis, qui inter primos Augustales à Decurionib. Augustalis factus est, Viriæ Maximæ uxori cariss. & Vrso, Lupo, Leoni, Libertis futuris.

erant etiam tanquam iudices decurionum, ut ex lege sequenti cognitu facillimum est. Non me latet, Augustalem præfectum in Aegypto fuisse ab Augusto constitutum: cuius mentio in digestis, de quo & hîc agi crediderim: nam & inde appellatam credere quis possit Augustanicam, quæ pars prouinciæ Aegypti est, ut scribit Amianus Marcellinus: qua tamen in re iudicium meum non interpono.

Augustanica.

¶ In l. si quos spontaneos.) Hypomnematographi. quid hæc uox significat ignorauit Accursius: quamobrem quædam emponemmatibus nihil ad rem facientia inculcat. sed illis omissis, sciendum est, Hypomnematographos eos appellari, qui cõmentaria scribũt. ὑπομνήματα enim cõmentarij sunt. Cicero filius epistolarum lib. XVI. multum, inquit, mihi operæ eripitur in scribendis Hypomnematis. sanè postq; Augustus Cæsar Aegyptum in prouinciæ formam erexit, inter cæteros magistratus, etiam Hypomnematographos constituit, ut scribit Strabo. de his hac constitutione agi existimo.

Hypomnemata

De Municipibus.

¶ In l. prima mentio est nominis possessiui, biblius.) quod unde deductũ sit, quidam aure nec bœota, nec illepidi ignorant: cum tamen Auiænus, qui Dionysium poëtam transtulit, Byblum non longè à Libano in Phœnicia collocet: uicinamq; dicat Beryto

Byblus.

hoc car=

A hoc carmine: Hic Tyrus est opulens Berytus,& optima Byblos. Dionysius:
Καὶ τύρον ὠγυγίην, Βηρυτόν τ' ἀλλ' ἐρατεινήν.
Berytus aũt metropolitana urbs est, satis apud Iurecon. celebrata: ueluti in Pandectarum procemio, in l. unica, de metropoli Beryto. in l. sciendum, de censibus. ubi Iurisc. eam coloniam appellat, Augusti beneficijs gratiosam. quibus uerbis addicit Pli. lib. v. Cap. xx. qui non alia, uti arbitror, de causa felicem Iuliam appellari tradit. extant apud Græcos de eius incendio uaria epigrãmata, minimè ad præsens opus facientia. Berytus. Locus Plinij.
¶ In l. secunda, ex prouincia equitaria.) lege, Aquitania. quæ Galliæ est: sat nota ex Cosmographis, & Tibulli carmine:
Gentis Aquitanæ, celeber Messala triumphis.

De incolis.

¶ IN l. II. in splendidissima ciuitate Laudicinorum.) uera lectio est, Laodiceorum, à Laodicea, quæ & ipsa nota est ex Plinio li. v. Cap. XXIX.

De muneribus patrimoniorum.

¶ LEX est, cuius initiũ, nec protostasiæ.) Possumus hîc legere, prostasiæ. nomen enim id à Græcis magis celebratur, pro cuiusdam præfecturæ genere. προστάτης enim præsidem, adiutorem in bello, defensorem ue significat. prostates, inquit Suidas, sacrificulus est, & altariũ præses: est etiam magistratus nomen, qui præerat inquilinis Athenas incolentibus. Prostasia quoque auxiliarem turmam significat, & alia, ut apud Suidam ex Demosthene & Didymo. Antiqua tamen lectio & ipsa improbanda non est: cum significatione non differat à prostasia. Capitur autem hîc seu pro munere quod præstabatur à principe decurionũ, seu (quod magis puto) pro eius magistratus munere, qui sacris præerat. apud Eustathiũ uidetur prostasię idem munus esse quod proxenię: sunt autẽ proxeni hospitibus suscipiẽdis præpositi: quod munus solebat à regibus iniungi, ut Herodotus autor est. scribit Aelius Dionysius, proxenos ciuitatis hospites dici, ad B quos diuertant legati, & qui eos ad populi concionẽ deducant. Quòd autẽ sequitur, decaprotiæ.) per decaprotos intellige eos, qui pecuniam exigebãt, quam ipsi fisco demum numerabant. quòd si morte alicuius, reipublicæ fuisset illatum damnum, decaproti de eo quod receperant, ipsi supplebant. munus non absimile uectigalium conductoribus, quod δεκαπρώτια Græcè uocaẽ. Arcadius Iuriscon. in l. ult. de muneribus & honoribus: Præterea habent ciuitates prærogatiuã: ut hi qui in territorio earum possident, certum quid frumenti, pro mensura agri per certos annos præbeãt. quod genus collationis, munus possessionis est: munera uerò mixta sunt decaproti, ut Herennius Modest. & notando, & disputando bene, optima ratione decreuit. nam decaproti δεκαπρωτίας, καὶ εἰκοσαπρωτίας tributa exigentes, & corporale ministerium gerunt, & pro muneribus defunctorum fiscalia detrimenta resarciunt. censet igitur Iurisconsultus, eorum munus qui decaprotis dant tributa, possessionis esse: decaprotorum uerò mixtũ. hos decemprimos latina uoce dixit Cicero in oratione pro Roscio Amerino. Existimo autem huiusmodi officiũ mancipibus proximum fuisse, quos Asconius Pedianus tradit publicanorum esse principes, qui decimas à fisco emebant. in eo tamen differre: tum quòd ex decurionum principibus eligebantur, & idcirco nobiliores erant: tum etiam quòd illi ex portorijs utplurimũ recipiebant uectigalia. at hi fundos ciuitati uectigales habebant, unde pecunias colligerent, ab eorum uidelicet dominis. huius frequens uocis quoq; mentio est apud Iulium Fir. lib. III. Prostates. Prostasia. Decaproti. Decẽprimi qui sint apud Ciceronem & Firmicum.

De excusatione munerum.

¶ LEX, negociantes partiarij.) Corrigunt quidam, pannarij: eorum uidelicet more, qui quoties aliquid non intelligunt, inclamant corruptum codicem: & culpam suam refundunt in librarios. Ipse certè minoris duxerim, ignorantiã meam fateri, quàm alios noxæ reos facere. quod tamen in præsentiarum necessarium non est: cum parthiarios hîc, interposita aspiratione, intelligere possumus, parthicarum pellium negociatores: quarum mentio apud Plinium: & de quibus sensisse Martianum iuris ciuilis autorem existimant pleriq; in l. ultima, de publicanis. alioquin & hoc nomine dici possunt, qui ex celeberrimo Carrarũ emporio (is in Parthis uicus est) negociabantur. nam & inde Parthiarij.

Carreum apud Iurisconf. quid significet.

carreum, dicitur ligustrum Paulo Iurisconsul. in l. non omnes. de penu legata. etsi ibi impressus codex corruptus circumferatur.

Pollen.

Restituta Iurisconsulto antiqua lectio.

℄ In lege, maximarum conficiendi pollinis.) Carisius declinari iubet, pollis pollinis. Cæsar in analogia, & Probus in Catol. pollen pollinis, mauult. Est autem flos farinæ. Vnde deducuntur pollinctores: quoniã in funeribus cœnas opiperas, panesq́ ex polline cõpararent, precio nõ parcentes. Inde à Græcis πημιοπῶλαι dicti, ut Iulius Pollux autor est. horũ mentio in l. cuicunq́. de insti. act. si libitinarius, quẽ Græci ταφέα appellant, seruum pollinctorẽ habuerit. ubi in impressis codicibus & Gręca uox deest, & pro pollinctore, pollicitator legitur. sunt qui exstiment pollinctorem, quando libitinarij seruum significat, dici à pollincendo, hoc est mortuos curando: ut ait Nonius. apud Catonem uerò eum significare qui pollinem facit: quod probo. neq́ me latet, quanta sit apud humanioris literaturæ professores contentio in huius uoculæ differentia, cum polluctore: quam hîc referre non attinet.

℄ Quod autem sequitur, parauerdorum.) intellige eos, qui ueredum (est autem curriculi genus) regunt, ueredarios dici. hinc parauerdorum munus, cum ultra ordinariam cursus publici functionem, hoc munere extraordinario aggrauantur subditi, ut parauerdi causa aliquid conferant. qua ratione dicitur & parangaria: de qua dictione infrà dicturus sum.

Rhæticus limes.

℄ In eadem lege, Rhæticus limes.) quid hîc uelit Imperator, Accursius non percepit: quare sciendum est, Rhætos populos propè Germaniam esse: per quos opus erat transire barbaros, atq́ Rom. imperij hostes, qui in subdita Imperatori regna tenderẽt. iubet igitur hac constitutione Augustus, eos quibus Rhæticus limes curæ est, ne à barbaris capiatur, à muneribus quæ suprà retulit, nõ esse excusatos: ut si usus uenerit, ipse ad eos possit ire, habiturus qui munera subeãt.

Fl. Vopisci locus.

Fl. Vopiscus in Aureliano Fuluij Boij mentionem facit, qui dux fuerit Rhætici limitis. quin idem in Bonoso, Tribunatus, inquit, egit, & dux limitis Rhætici fuit. etsi apud eum, uitio impressorum, Rhætici militis legatur: sed castigatior lectio est, limitis.

℄ In eadem lege, illicitæ expeditionis.) legendum, Illyricæ, ex antiquo codice. sunt autem hi populi, quos Sclaonas uulgaris lingua appellat: de quibus Plinius cap. XX. tertij libri, & Polybius historiarum III.

℄ Quòd uerò subsequitur, utilitatis.) uerior lectio est, utilitas. hoc sensu: Sordida munera nulli subeant, exceptis his, à quibus limes Rhæticus includit, & curatur. uel exceptis his, à quibus utilitas expeditionis Illyricæ adiuuatur, pro tempore & necessitate: id est, quotiescunq́ in Illyricos expeditionem ducere opus est. erant enim quidam qui ad munera tenebantur, quoties Imperator pro sua utilitate agmen in Illyricos fortasse rebellantes duceret. hoc infrà clarius patet in l. prima, titulo proximè sequenti.

Qui morbo se excusat.

Articularis morbus.

℄ L. cum auriculari.) uetustus codex habet, articulari. sic enim appellatur chiragra: quòd articulos, id est digitos, lædat. quæ infirmitas quo modo leuet, habes apud Cornelium Celsum quarti libri capite ultimo. paruus hic utique error: sed uel ob hoc non obmittendus, ut antiquæ scripturæ fides salua sit.

De Athletis.

Agones sacri quatuor.

℄ LEX unica & singularis est, quæ athletarum certamina sacra appellat. cur sic nuncupentur, ab Accursio minimè perspectum est: cum id adepta nominis sint, quòd in deorum honorem fierent. quatuor enim erant celebrati Græcis agones: quorum præter Pindarum, hymno V. Archias quoq́ his meminit notissimo epigrammate.

Τέσσαρές εἰσιν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱεροί.
  οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων,
Ζηνὸς, λητοίδαο, παλαίμονος, ἀρχεμόροιο,
  ἆθλα δὲ τῶν, κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Sacra per Argiuas certamina quatuor urbeis
  Sunt: duo facta uiris, & duo cœlitibus.
Vt Iouis, & Phœbi, Melicertæq́, Archemoriq́.

Præmia

A Præmia sunt pinus, poma, apium, atq; oleæ.

¶ Hoc autem in certamine quinq; ludis utebantur: quos Paulus Iureconsultus in l. II. de aleæ lusu describit, & Simonides hoc disticho: *Declaratus Iurisconsult. in l. ij. de aleæ lu.*

ἴσθμια, καὶ πυθοῖ, διοφῶν, ὁ φίλωνος ἐνίκα.
ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

Isthmia Philonis, Diophon, & Pythia, uicit
Et cursu, & iaculo, saltibus, orbe, pale. apud Pindari quoq; interpretem:

ἅλμα ποδὸς, δίσκου τε βολὴ, καὶ ἄκοντος ἐρωὴ,
καὶ δρόμος, ἠδὲ πάλη, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τελευτή.

Cum disci iactu, saltus pedis, impetus hastæ,
Atq; pale, & cursus, studium fuit omnibus unum.

Qui autem his omnibus ludis uicisset, pancratiastes nuncupabatur. Pancratium enim hi quinq; ludi uocabantur: sicuti & Pentathlum, autore Hermolao in Pliniū. quæ tamen sententia ex autoribus probabilis non est. nam Lucianus pro diuersa ludicri specie pancratium ponit, dum palæstram esse tradit ludum, qui in lutea aspergine fiebat: qui autem in puluere fit, recto stadio inuicem se percutientium, pancratiū esse. Huius ludi meminit Synesius in li. de Somnijs, Thucydides lib. v. & Propertius: Dum patitur duro uulnera pancratio. Nam hîc Propertium haud intelligere opinor de quinq; ipsis ludorum generibus: sed de eo tantum, cuius ex Luciano meminimus. Sicut & Iurisconf. in l. qua actione. §. si quis. ff. ad legem Aquil. Si quis, inquit, in colluctatione, uel in pancratio, uel pugiles dum inter se exercentur, alius alium occiderit: si in publico est certamine, cessat Aquilia. Mentio huius etiam apud Senecam habetur in declamationibus: Plinium lib. XXXV. Gellium li. III. Imperator quoque Iustinianus in authentico de cōsulibus: Post illud, ait, quod dicitur totius diei, multa delectatione cōplebit populum hoc, quod uocatur Græcè παγκράτιον, & cum bestijs pugnantes homines. sic enim ibi legendum est, non pancarpon, id est latinè, sylua conspecta. hæc enim uerba ab aliquo literarum ignaro addita textui ipsi crediderim. Quod autem sequitur supradictis proximum, adorna, existimo eum locū sic dictum, quòd in eo cantantes cernerētur, παρὰ τὸ ᾄδω, id est cano, καὶ ὁράω uideo. quod ad superiora attinet: dum Lucianus pancratiastas scribit exercere se in puluere solitos, intelligendum est de eo puluere quo se inspergebant: cuius mentio apud Statiū in pugna Tidei atq; Agyllei: & apud Vergilium: fulua luctantur arena. Inde Iulius Pollux inter gymnica instrumenta enumerat κόνιος σπυρίν, hoc est, pulueris sportulam. Sanè athletæ quidam sunt, qui quòd hastis luderent, xistici dicebantur: sicut & histriones, thymelici, & saltatores nuncupati: ut in l. athletas. de his qui notan. infa. & in l. septicia. de pollicitationibus: quāuis utrobiq; corrupta sit lectio. Adde quòd pro agonica, id est certaminis uictore, seu athlotheta, id est iudice, legitur agoneta: & pro agone Heracleotico, erateticū: cum ibi certamen significet quod in Herculis honorem fiebat: & idcirco dictum Heracleoticum. Hinc in Græcis scholijs, & Polluci, τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας, σεμνότερον ἡρακλέιους ἀγῶνας ἐκάλεσαν. meminit & Lampridius in Alexandro: Agoni præsedit, & maximè Herculeo, in honorem magni Alexandri. magis tamen placet lectio quę de Pandectis Thuscis accipitur, de qua aliquando plura. Athletarū meminit etiā Vlpianus in lege, athletæ. de excusatio. tutorum. & Arcadius de muneribus l. ultima, his uerbis: mastygophori quoque, qui athletas in certaminibus comitantur, personali muneri seruiunt. μαστιγοφόροι enim erāt, qui cū flagellis in manibus athletas præibant. sic autē ibi legendum est: seu athlothetas, hoc est, certaminū iudices: quos etiā βραβευτὰς appellant. Verùm hæc lectio accōmodatior erit in prædicta lege, septicia, ubi legitur agoneta. Quod autem suprà diximus de thymelicis, emendandum etiā est in sacris canonibus, de consecra. dist. v. C. non ministros. & apud Imperatorem in prædicto aut. de consulib. ubi, in scena, inquit, ridiculorū est locus tragœdis, thymelicis, choris, & spectaculis uniuersis. Item paulò inferius: Sinimus eos spargere quæ uocantur missilia, thymelicis, & caueis, & in quadrangulis. Illud non prætereundum, hoc aut. è Græco tralatū fuisse, & propterea cōplures barbaras in eo dictiones reperiri. Cæterùm latissimus est de huius

Pancratium. *Propertij locus* *Locus in digestis.* *Locus in auth.* B *Emendatæ duæ in ff. dictiones.* *Heracleoticum certamen.* *Emaculatæ Pandectæ.* *Sacri canones correcti.* *Restituta antiqua lectio in authenticis.*

modi ludis dicendi campus: uerùm ad præsentem rem hæc nimis fortasse multa. C

De excusationibus artificum.

Lecticarij. ¶ LEcticarij.) Hi sunt qui lecticas, in quibus per urbem magnates circũferebantur, fabricabant: quarũ meminit Iune. saty. prima. alioquin hoc etiã nomine dicuntur serui, qui eas ferebant. Pomponius, l. si ex toto. de legatis primo: Si lecticarios, inquit, octo legatum sit, non potest pars seruorum uendicari. hos Petronius Arbiter lectuarios appellat: Procurator insulæ à cœna excitatus, à duobus lectuarijs in mediam rixam profertur. nisi apud eum scriptorũ uitio lectio salua non est. lubrico inter hæc lapsu, meminit lecticariorum etiam Ser. Sulpitius in quadam ad Ciceronem epistola.

¶ Seu actarij.) Crediderim ueram lectionem esse, arcarij: id est qui arcas faciũt: quorum mentio est in l. ult. ff. de iure immunita. nisi ibi malis legere, arcuarij. hoc autem in

Lactarij. loco nec improbanda fuerit lectio, lactarij: ut intelligas eos qui lac uendunt, & qui edulia ex lacte conficiũt. Spartianus in Alagabali uita: Dulciarios & lactarios tales habuit, ut quæcũq; coqui de diuersis edulijs exhibuissent uel structores, uel pomarij, illi modò de dulcibus, modò de lactarijs exhiberent.

Quadratarij. ¶ Quadratarij, quos græco uocabulo poëtas appellant.) legendum, pectas: à πήγνυμι, quod est figo: uel quod magis est, ἀπὸ τοῦ πέκτειν, quod ornare significat Suidæ: & si tondere quoq; pecora, Aristophani. quadratarij uerò dicuntur marmorarij, qui ea ad amussim quadrãt. Sidonius libro III. quod factũ siue ab industria, seu per iniuriam, mihi magis quàm quadratario liuidus lector adscribet. In sacris quoq; libris, in IIII. Coronatorũ uita sic legitur: Dum Dioclitianus omnes metallicos cõgregaret: inuenit Claudiũ, Castorium, Symphorianũ, & Nicostratũ, mirificos in arte quadrataria. Corrigendus & hac uoce est Senecæ locus, epistola LXXXVI. uti aliquando admonui.

Muscarij. ¶ Muscarij.) Potes interpretari eos qui muscaria, hoc est flabra quibus muscæ abiguntur, uendunt. Sic enim à Martiale atq; Plinio appellantur. Possunt & sic dici, qui conopæa faciunt arcendis muscis: sicut Aegyptij propter culices. Erunt etiam quibus magis arridebit, si intellexerimus hos myropolas, qui muscum uendunt. Est autem muscum apud diuum Hieronymum, quod Plinius & Dioscorides splagnon uocant, odoratum scilicet unguentum: diuersum tamen ab eo quod nos à Mosco animali Moscatum dicimus. alij tamen codices antiqui habent munerarij: quod probarem, nisi conuenientius esset musiuarij, à musiuo: cuius mentio in uita Pesennij nigri: & Aug. de ciuit. dei. uulgò mosaicum dicitur. De huiusmodi opere sensisse Nilum Scholasticum existimo epig. lib. IIII. D

πάντες μὲν σάτυροι φιλοκέρτομοι, εἰπὲ δὲ καὶ σὺ,
τί πρὸς ἕκαστον ὁρῶν τὸν δὲ γέλωτα χέεις;
θάμβος ἔχων γελόω, πῶς ἐκ λίθου ἄλλοθεν ἄλλης
συμφερτός, γενόμην ἐξαπίνης σάτυρος.

Sunt Satyri, salsiq;, petulciq;: ast age cur te
Ad nos uertentem lumina, risus habet?
Admiror qua arte ex alijs alijsq; lapillis
Tam citò compositum transierim in Satyrum.

Albini. ¶ Albini, quos Græci comatas uocant.) Lege, si placet, quos Græci coniatas uocant: ut per albinos, albarios ue (nam & hoc plus consonum est) intelligamus eos, qui albario muros spargunt. est autem albarium calx ipsa liquefacta, qua muri exalbantur, renouanturq;. Plinius: Albaria tectorum interpolantur. mentio extat etiam apud Vitru-

Coniatæ. uium. quod autem græcè albini dicantur coniatæ, ostendit Suidas: κονιάται οἱ τοὺς τοίχους παραχρίοντες.

Myrobrecharij ¶ Barbacarij.) Fuit tempus cum legebam, myrobrecharij, hoc est, qui unguenta uendunt. μύρον enim unguentum dicitur: βρέχω aspergo, madefacio. hoc nomine propriè appellantur, qui capillos delibutos gerunt: qualis apud Tranq. in Aug. Mecœnas: &

Gellij locus. Anacreon poëta epigrammatum lib. III. quod identidem ab Gellio adducitur libro. XIX. Cap. IX. cõstat autem epigrãma illud ex dimetris iambicis catalecticis. quamuis Theodorus Gazes, qui quicquid græcè in Gellio erat, transtulit in latinum, existimauerit

A mauerit esse senarium. Nec solo autoris nomine defraudata est lepidissima illa ᾠδὴ, sed etiam sex, uel septē carminibus: quæ ex græco exemplari tu te poteris sumere. Myrobrechariorum inter artifices meminit Plautus in Aulularia. In præsentiarum tamen castigatius legendum hic putauerim, barbaricarij: ut hi sint, qui barbaricas uestes intexunt: aliter dicti phrygiones. horum artis est, ex auro & coloratis filis, in uestibus, hominum, animaliumq; effigies exprimere. Verg. *Barbaricarij.*

Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.

Apul. in asino aureo, libro X. & in modum Paridis Phrygij pastoris, in barbaricis amiculis, humeris defluentibus pulchre indusiatus adolescens.

¶ Diatrecarij.) Legerit hic aliquis, diabathrarij: quod perinde ualet ac coriarij. nam diabathra, ut Pompeius scribit, græcarum solearum est species. Plautus in Aulul. Sedentarij sutores diabathrarij. capiuntur etiam pro gradibus pensilibus, seu scalis: ἀπὸ τοῦ διαβαίνειν, quod est transire: hinc anabathra, Iuuena. saty. VII. sed eò fortasse probabilior est sententia, quò ueteri scripturæ proximior, ut legamus, diatretarij: intelligamusq; eos, qui intarsiatum (quod uocant) faciunt: à græca præpositione διὰ, καὶ τρητὸς. Inde apud Vlpianum in l. si seruus. §. si calicem, ad l. Aquil. calix diatretus. Sanè hi artifices possunt tornatores dici: quoniam διατρέω torno laborare significat: & τρητὸς tessellatus dicitur. sed quid si diatrocharij legerimus? quòd rotas, pilasq; ligneas faciunt, & carros. nam idipsum significat τροχὸς inde τροχοποιέω uerbum. *Diabathrarij.* *Diatretarij.* *Diatretus apud Vlpi. quid significet.*

¶ Quod sequitur, cerenei.) legendum, ceramei. Hesiodus:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.

Inuidet & figulus figulo, fabrum faber odit.

¶ Specularij.) hi sunt qui specula faciunt, & qui uitrea specilla. Possunt & hoc nomine denotari, qui fenestris specularia ad arcendum hyeme frigus, cōponunt. quorū meminit Vlpianus in l. quæsitū. §. si domus. de fundo instructo: meminit & Iuuenalis.

B ¶ Bratearij, id est pentalargæ.) lego, bractearij, id est petalurgi, πεταλουργοὶ. nam Græcis πέταλον folium significat, atq; bracteam. hinc & petalia, Plauto.

¶ In l. se. metameos.) uerior lectio, mathematicos. Theon. κόνων ὁ μαθηματικὸς πτολεμαίῳ χαριζόμενος. est enim matheseos duplex species: alia quidem quatuor sub se liberales artes complectens: alia uerò sacris constitutionibus, tanquam quæ cantamina doceat, prohibita. Imperator Constantinus in l. si excepta. C. de maleficis. Si quis magus uel magicis carminibus assuetus, qui maleficus uulgi consuetudine uocatur, aut aruspex, aut hariolus, aut certè augur, uel mathematicus, uel narrandis somnijs occultans artem aliquam diuinandi, aut certè aliquid horum simile exercens, in comitatu meo, uel Cæsaris fuerit deprehensus: præsidio dignitatis exutus, cruciatus & tormenta non fugiat, &c. hæc libentius scripsi: quoniam codices utplurimum circumferuntur in his uerbis corrupti. quin & Accursius declarare uolens quid significent illa uerba, comitatu meo, uel Cæsaris, nil certi habet quod in medium proferat. quare sciendum est, inter Augustum & Cæsarem id interesse, quòd Augusti hi dicuntur, qui nunc regnant, & ab senatu imperatoris nomine honestati sunt: at Cæsares dicuntur, qui ab ipso Augusto electi sunt ad regendam prouinciam aliquam cum Cæsaris honore tantum, donec Augustus uixerit, post eius mortem successuri in imperio: ut ex Amiano Marcell. didici. Comitatus autem, ne & hoc ignoretur, is dicitur locus, in quo uitam agit princeps: & Palatini omnes, qui eunti imperatori, Cæsariue assistunt, dicuntur eius comitatus: & ipsi nunc comites, nunc comitatenses: ut græcus legum interpres (qui quantum uideo, Iustiniani tempore scripsit) autor est. Magos autem, & huiusce generis diuinatores, etiam ex sanctorum patrum decretis puniendos, ostendit diuus Augustinus, XXV. q. VI. ca. ult. & si, dum in principio Arcadas tradit deo suo Lyæo sacrificare solitos, inemendatus sit liber: & pro Lycæo, suppositum sit Lyæo: intelligit enim Iouis Lycæi templum, in quo uiui homines sacrificabantur: ut ex Hyginio didicimus: ut non alia de re ea templa imposita nefastis iugis, existimem dixisse Papinium Thebaidos libro primo. In Augustini sententiā scribit etiā Plinius libro VIII. ubi de lupis uerba facit. nam & horum diuinatorum ars ita ab antiquis despicatui ha- *Mathematici.* *Declarata l. si excepta. C. de maleficis.* *Cæsar & Augustus differūt.* *Comitatus.* *Correcta in decret. uox.* *Papinij locus.*

bita est, ut in prouerbium uenerit, nihili cocio. Istos enim aruspices Laberius cociones C appellauit: ut est apud A. Gellium libro XVI. Cap. VII. Prouerbij meminit Plautus in Asinaria: & si eius interpretes locum non intellexerint: tametsi eo in loco ipse arbitrer nihili coactio legendum: & de argentariorū coactione intelligendum, cuius Seneca, Tranq. Iureconsulti, itemq́ Horatius meminere. Plutarchus quoque, & Apollonij interpres Tarreus, diuinatricem quandam Aglaonicen, Egemonis Thessali filiam, cum in Ossa monte coitus lunæ obseruaret, in iudicio conuictam à mulieribus, existimantibus ab ea lunam cœlo deduci, grauissimis affectam supplicijs tradunt: & ex Ossa præcipitem datam. quam fabulam, seu historiam mauis, tetigit Ouidius in Ibin. Vtq́ dedit saltus è summo Thessalis Ossa. sic enim ibi legendum, non Thessalus, ut interpretes crediderunt: qui dum poëtam hunc non intelligunt, uana quædam sunt cōmenti. ut uel ex antiquissimis fabulis appareat, diuinatores hosce, & magos, impunes non euasisse. quod ad præsens institutū pertinet, non solùm hac in lege mathematicos, sed etiam mechanicos, legi potest, nam & antiqui codices sic ferè habent: & qui sint hi, satis notum est.

Plauti locus.

Ouidij locus in Ibin.

De tabularijs, scribis, & logographis.

¶ IN ultima huius tituli cōstitutione hæc uerba reperies, Boëthos, logistas, medogrāmateas, logographos, diascoleas.) Corruptum omnino ultimum est nomen: & legendum, diastoleas. Boëthi dicūtur ab Imperatore, adiutores scribarum: quos alij, subadiuuas, alij adiutorios appellant, ut in l. unicuiq́. C. de prox. sacr. scrin. βοηθέω enim idem ualet quod adiuuo. inde Seuerinus Boëthius dictus, quem alij falsa uoce Boëtiū uocant. quorum errorem confutat antiquum marmor, quod adhuc Derthonæ extat, in diui Martiani cœnobio: ubi tumulus est, quem antiqua inscriptio, Boëthio, & Eutharico consulibus factum ostendit. Quod autem sequitur, logistas.) hi sunt qui rationales alibi dicuntur. In hoc distant à logographis, quòd illi libros rationum scribebāt, logistæ curabant. Medogrāmatei uerò sunt quos scribæ consulebant: nam μῆδος βούλευμα significat Suidæ, & cæteris. grammatei autem notarij, seu scribæ sunt: γραμματεὺς enim idipsum denotat, nomen sumptum uidelicet à literis: sicut grammatophylacium, locus in quo reconduntur literæ. quæ uox corruptè circunfertur in l. moris. ff. de pœnis. Diastoleæ uerò dicuntur rationum correctores, seu distinctores: uel, quod magis erit gratiæ, diuisores. διαστέλλω enim est id quod diuido ac distinguo: & inde διαστολὴ dicta. Sanè Ammonius in differentijs, logographos interpretatur eos qui δικαστικοὺς λόγους scribunt, id est, iudicialia acta. D

Boëthi qui sint.

Boëtij circūfertur uulgò nomē corruptum.

Logistæ.

Logographi.

Medogrammatei.

Locus ff.

Diastoleæ.

De susceptoribus & præpositis.

¶ IN lege, si aliquid. legitur uerbum, decoxit, ab Accursio malè interpretatum: quare scire æquum est, decoquere apud antiquos idem esse quod bonis decedere, & delinquendo creditoribus imponere. Inde decoctores dicuntur helluones, & bonorū consumptores, autore Nonio. meminit huius uocis & Catullus: Decoctoris amica Formiani. & Spartianus in Hadriano. & deniq́ est nemini non notū nomen. Sed nec lex ab Accursio adducta eū defendit: cū ex antiquis codicibus legenda sit hoc modò: quilibet principalium, uel decurionum, si decoctor pecuniæ publicæ, uel fraudulentus in ascriptionibus, &c. Sciens id prætermiseram: sed quoniā uidi hinc falsæ latinitatis Accursium ansam capere, uolui hoc saltem in loco lectorem admoneri.

Decoctores.

De ponderatoribus.

¶ IN lege II. per singulas ciuitates constitutio igostatē.) Vetustus codex habet, constitutum igostatem. uerùm & ipse menda non caret. repono enim, Zygostatem constitui, hoc est uirum qui ponderum, & staterarum rationem optimè calleat. Is igitur in hac lege fortasse intelligendus est, qui non multùm absimilis esset illi, qui ab antiquis nunc curio, nunc magister curiæ dicitur: nam is nummos erogabat existentibus in sua curia. Plautus in Aulularia: Nam noster nostræ qui est magister curiæ. Diuidere argēti dixit nummos in uiros. Appellatur etiam diuisor, à Cicerone in Verrinis: quod & notat Pedianus.

FINIS.

ANDREAE

ANDREAE ALCIATI IN XI LIBRUM CODICIS IUSTINIANI, ANNOTATIONES.



N LEGE, cum nauarchorum, in fine: uel ex eo quod uocatur græcè.) reponenda est dictio ἀλειτουργησία, quæ uox Suidæ immunitatem, seu excusationem à publicis oneribus significat, cui penè significatu par est ἀτέλεια. quod autem hîc dicitur de carpatia, intellige classem à Carpato insula: unde Carpatius uates Proteus apud Verg.

De nauibus non excusandis.

IN l. iubemus ante felicem embolam) interpretare, itineris ingressum: id est ἐμβολὴν. embola uerò significãt rostra nauium, & alia præter hoc, de quibus Hermolaus in corollario Pliniano. sanè ἐκβολὴ eiectam denotat. quod uerbum reponendum est in l. III. de incend. ruin. naufra. inde etiam eiectitiam suem, Græci ἐκβολάδα appellant, ut ex Athenæo didicimus. *Restituta græca uox Iurisconſ.*

De Metallarijs.

BALLUCA, quæ græcè chrysamos dicitur.) Etsi hanc lectionem quibus reprobent argumentis, non habeant: accommodatius tamen quibusdam uidetur, chrysoma χρύσωμα legere. est autem uas in quo aurum infundebatur: unde & nomen sumpsit ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ, id est, ab auro. Plautus in Bacchidib. Opus est chryso Chrysale. Chrysamos auream harenam significat, hoc est auri ramentum. Herodoto dicitur chrysitis, & quandoque psegma. hanc balucem appellari Plinius est autor, libro XXXIII. Cap. IIII. *Balluca.*

Quod autem in textu sequitur, octonos scrupulos.) intellige duas sextulas: quæ etiam duella dicuntur. Lentis enim duo semina, granum frumenti faciunt: grana quatuor, siliquam: siliquæ, hoc est ceratia VI. scrupulum: tribus scrupulis constat drachma. Duplex drachma Sicilicum creat: cuius mentio apud Scæuolam in l. liberto. §. filium. de annuis legatis. & si ibi corrupti sint impressi codices. Drachmæ additus scrupulus, sextulam facit: cuius ponderis est solidus: sextulas uncia sex habet: drachmæ autem octo, unciam faciunt: at uncijs XII. constat Ramana libra, hoc est, drachmis XCVI. Attica uerò libra LXXV. drachmas habet: sicuti mina, seu mna, centum. nam Romana libra minor est hac quatuor drachmis. Talentũ minus Atticum, minas LX. hoc est, drachmarum sex millia continet: talentum maius LXXXIII. habet minas, & uncias insuper quatuor. Hæc ideo latius explicaui, ut iuris ciuilis studiosis ponderũ ratio fieret paulò notior: tametsi alibi latius tractaturus sim, cum ad multarũ legum cognitionem spectet: ut in l. I. C. de ratiocinijs operum. & in auth. ad hæc. C. de usuris. in auth. sed hodie. C. de epis. & cler. Cæterùm mente huius legis nos existimamus id præcipi, ut quilibet metallarius octo scrupulos aureorum ramentorũ teneatur præstare, priusquam inter metallicos principis designetur. *Sicilicus.* *Locus in ff.*

In rubrica, de gynæciarijs.) hi fortasse erant, qui mulierum uestes tingebant, curabant'ue: dicti ἀπὸ τῆς γυναικὸς, id est à fœminis. quæ lectio si placet, interpretare illud quod sequitur, gynæcij, esse locum in quo uestes hæ concinnabantur. eadem ratione deductũ nomen, qua & gynæconitis, apud Aemylium Probum. Accursius hîc legisse uidetur, gymnaciarijs: & idcirco sic dictos opinatur, quòd nudi essent. γυμνὸς enim nudum significat. inde γυμναστικὴ ars dicitur, qua quis nudus se exercet, ut inde lucellũ aliquod consequatur quo in diem uiuat. uerùm mihi prior lectio plus applaudit. Iosippus lib. VII. ca. LI. de bello Iudaico: Transgressus, ait, ad eos est Ionates, homo nequissimus, arte gynæciarius. & is qui de insignibus magistratuũ opus scripsit ad Theodosium Imperatorem: sub dispositione, inquit, uiri illustris, comitis sacrarum largitionum, sunt magistri lineæ uestis, magistri priuatæ, procuratores gynæceorum, procuratores baphiarum, præpositi bastagarum, procuratores lanificiorum, procuratores monetariorum, ut ex eius uerbis, sicut ex huius tituli compluribus constitutionibus, *Gynæciarij.* *Iosippi locus*

satis constet, hæc omnia textrini imperatorij officia fuisse: ut conijcere liceat, gynæciarios fuisse qui pannos curabant: & uel peniculo adhuc rudes tergebant: uel forfice lanæ nodos incidebant, extrahebantq;: opus quod à mulieribus fieri solet. Inde gynæceũ dictũ. quòd si qui uiri fœminis mixti id agebant, à loco dicti gynæciarij. nam in gynæceo operari solitas fuisse fœmellas, ostendit huiusce tit. l. III. intellecta aliter quàm crediderit Accursius, & idem etiam demonstret Paulus Diaconus, ubi de narsete agit. & in præsentem diem hanc mulierum præsertim esse operam, usu cognoscimus: nam & Thessalum medicũ damnat Galenus primo methodi libro, tanquam lanificem & de gynæceo eductum. quòd autem de monetarijs in l. I. fit mentio) nostri interpretes existimauerunt hic eos accipiendos qui monetam cudunt. quæ sententia idcirco reijcienda est, quia nihil ad huius tituli materiam facit. quamobrem tum ex uerbis prædicti ad Theodosium libelli, tum ex hac lege non dubito, quin monetarij & ipsi pro textrini quodam officio capiantur: sicuti & apud Flauium Vopiscum in Aureliani uita: ubi seditio, inquit, monetariorum intra murana bellum grauissimum peperit: autore Felicissimo, cui procuratio fisci mãdata erat. In qua re tamen dubito, cum Suidas contraria disseruerit in uerbo μονιτάριοι. dicti sunt fortasse monetarij, ab officij ipsius uilitate, ἀπὸ τοῦ μομητοῦ. nam & hodie huiusmodi lanifices, in minimo sunt precio.

Monetarij. *Fl. Vopisci locus.*

Bastagiarij. ¶ Bastagiarijs.) Hoc nomine appellari posse eos reor, qui necessaria militibus portabant: ut quod in bello calones, in priuata familia mediastini, in militia palatina faciebant bastagiarij: à græco uerbo βαστάζω, quod portare significat: inde etiam uernacula lingua clitellam, baston appellamus: quòd onera portet atque sustineat. & si bastagiæ munus iungatur in prædicto opere ad Theodosium imperatorem, gynæciarijs: quod & sacræ constitutiones hoc in titulo fecerunt: ut bastagiarios opiner eos fuisse, qui uestes ad tincturam ferebant, referebantq;. nam & ibidem traditur, tertiocerium dictum, qui bastagas tractabat. Legitur & apud eum, bastaga priuata.

¶ In l. notas sericoblatæ & metaxæ species.) castior lectio erit, sericobaptæ, id est, serici tincti. βάπτω enim significat tingo. inde baptæ apud Iuuen. dicti quòd faciem fuco illinirent. μέταξα autem Græcis, à nobis sericum dicitur: cuius tinctores, baphij: παρὰ τὸ βάπτειν, quod est tingere. Hinc baptosericũ pallium, Flauio Vopisco in Aureliano: licet corrupti codices, bratto serico, seiunctim habeant. quamuis nunc mihi fiat magis uero simile, & Vopiscum, & Imperatorem sensisse non de bapta, sed de blatta, hoc est purpura: nam blattam pro conchylio capi, scribit Paulus Aegyneta: & quem Suetonius in Nerone, coccineum funem, & Orosius purpureum, Eutropius blatteum dixit. meminit & Cassiodorus in epistolis, & Lamprid. in Alagab. Parauerat funes blatta, & serico & cocco intortos. Censeo itaq; hic legendum, sericoblattæ: & apud Vopiscum blattosericum pallium. & cum uxor sua peteret, ut unico pallio blattoserico uteretur, ille respondit: absit ut auro fila pensenť. libra enim auri tunc libra serici fuit, &c. prohibet igitur Imperator, non solùm uestes inferri purpureas serico intextas, id est, sericoblattam, sed etiam sericum ipsum simplex, id est, metaxam. nam sericas uestes tanto in precio fuisse tradit Lampridius in Alexandro, ut eas Alexander imperator gestauerit nunquam holosericas. Antoninus Alagaballus eas primus induisse creditur, ut in illius uita scribit Lampridius: Dicti & hinc sunt metaxarij negociatores. lege finali. C. de pign.

Baptosericum pallium. *Fl. Vopisci locus.* *Blatta.* *Sericum.*

¶ In l. ultima legendum est, conchylegulo, iunctim, pro collectore conchylij: sicut murilegulo alibi, pro muricis collectore.

De uestibus Oloberis.

¶ QVIDAM corrigunt, holosericis, id est, totis ex serico. quarum meminit etiam Lampridius, Vopisc. & alij. ego quantum possibile sit, uelim parum à pristina scriptura uariare: quare lego, holobryzis, ut has uestes credam dictas ἀπὸ τοῦ ὅλου, καὶ ὀβρύζα, quòd totæ essent ex obryzo: quod aurum purissimum est, & quantumuis coctum, non diminuitur. Bartolus tamen, qui sine controuersia primas inter recentiores iuris prudentes habet, legisse uidetur, holobaris. quam lectionem neque ipse reprobam duxerim, ut eas uestes hic denotari rear, quæ ob aurum intextum graues sunt. βαρὺς enim græcè grauem

Holobaræ uestes.

A cè grauem significat. inde apud Homerum, βαρέιας χεῖρας.

℄ Quod autem sequitur de sacro murice.) idcirco dictum est: quoniam eo tincta uestis insigne erat imperatorũ. Lampridius in Alexand. hoc solùm imperatoris habens, quòd lacernam coccineam habebat. Laudatissimæ erant, quæ ex serico ab Rhodo insula aduecto, tingebantur. quod imp. in huiusce tituli l. III. significat: licet Accursius locum non intellexerit.

℄ In l. prima, sericas paragaidas.) legunt quidam, parachlamydas: ut intelligamus uestem quæ suprà chlamydem sumebat: à græca præpositione παρὰ, & chlamyde: quod genus uestimenti, non modò est militare, ut apud Plautum in Persa, sed etiam puerile, Vlpiano in l. uestis, de auro & arg. lega. Nobis placet uel uetus lectio, uel sanè paragaudas. Trebellius Pollio in Clau. Albam subsericam paragaudem triuncem unam. Fl. Vopis. in Aureliano: Cum darentur tunicæ subsericę lineæ paragaudæ. Item in eodem: Paragaudas uestes ipse primus militibus dedit, cum antea non nisi rectas purpureas accepissent: & quidem alijs monolores, alijs dilores, trilores alijs, & usq; ad pentelores, quales hodie lineæ sunt. Idem in Probo: huic dari iubebis interulas paragaudes duas. etsi in aliquibus hisce locis uulgati codices mendosi sint. ex his planè uerbis constat, paragaudas genus esse uestimenti uirilis, utplurimum linei, quod sub alia ueste gerebatur, uinctum nunc unico nexu, nunc pluribus loris, auratis fortasse: ita enim intelligo monolores, dilores, & similia: Licet Hermolaus Bar. à coloribus tractum putet corollario Pliniano. nam & interulas, dilores nominat idem Vopis. in Bonoso. *Chlamys.* *Paragaudes.* *Vopisci locus.*

℄ In l. ultima, at quatuor de scrinio ad baphia phœnices.) castigandum hîc est, de scrinio uestiarij ad baphias phœnices, ex antiquis codicibus. nam scrinium canonũ, & scrinium uestiarij sacri, sub comite sacrarum largitionũ erat: ut est in breuiario Theodosij. quòd si nil mutare placuerit, potest hîc utiq; locus sic legi, & punctis distingui: at IIII. de scrinio baphiæ ad phœnices. nam baphia taberna est tinctoria, βαφεῖον. hinc Lamp. *Baphia*

B in Alex. purpura Alexandrina, uulgò probiana dicitur: idcirco quòd Aurelius Probus præpositus baphijs id genus muricis reperisset. quamuis ibi, basijs legatur corruptissimè. apud Phœnices autem tingebatur preciosissima purpura: quorum tincturam Suidas appellauit oxũ, ὄξος ἐληπτὸν ἀπὸ φοινίκων, hinc oxobapta, in l. I. C. quæ res alienari non poss. ut malè faciant recentiores quidam Bononienses, qui in ius ciuile pauculas quasdam annotationes ædiderunt: & in prædicto loco ueram peruertentes lectionem, corrigunt dibapta. est & castorium tincturæ species Suidæ, de quo fortasse Persius; licet alij de animali intelligant, quod nemini non notum est. *Lampri. emendatus.* *Oxobapta quæ sit.* *Declarata lex C.*

Nulli licere in frenis equestrib.

℄ DE cucurnijs.) legunt hîc neoterici quidam, cucumis: ut accipiantur pro his ornamentis, quæ ex aurichalco fiunt in modum lancis: & habenis affiguntur loris'ue, quæ harmis pendent atq; pectore equorũ. Ipse hac in re sententiã meã non interpono: nam cucumam, pro uase capi ex Martiale, Petronio Arbitro, & Iurisconsultis dudum noui: in hac significatione adhuc non legi: & si Politianus existimauerit uocabulum inuentu rarum. hoc sanè in loco mihi non displicebat gutturnijs, ut de colli ornamento intelligamus: quamuis gutturnium aliud quoq; significet.

De frumento urbis Constantinopolitanæ.

℄ IN l. prima, pro annona præstetur.) annonam hîc pro pane capi Accursius, & cæteri existimauerunt: quorum sententiæ illud accedat, quòd & econuerso panis quoq; pro annona reperitur: præsertim apud imperatores, qui non ita emunctæ naris sunt, ut Iurisconsulti. conijcitur id ex eo, quòd à fisco percipiendos reditus, quos Iustinianus in auth. de non alien. §. hæc ergo. annonam ciuilem appellat. idem Cæsar in l. ultima. C. de iure dotium. & in l. hac edictali. §. his illud. C. de secundis nuptijs. panem ciuilem uocat: quod hîc apponere libuit, quoniam de hoc à plerisq; interrogatus, cognoui omnibus non esse ad manum & in promptu. *Panis ciuilis.* *Locus C.*

De annonis ciuilibus.

℄ LEX, centum perapateumatis.) emaculandus liber est: & reponendum πεδιαστι-

ματος, periſſeumatis: quaſi dicas donatiui nomine. περίσσευμα enim id dici poteſt, quod C
abundantiam ſuppetit: hinc περισσεύω copia rerũ ſuperare ſignificat. Sanè periſſeumatis nomen cõmodius uertetur in congiariũ, cum hoc propriè ſit quod plebi datur: ſicut quod militibus donatiuũ. Ael. Spart. in Aelio Vero, & Iul. Capit. in Pio. Solebat autẽ ultra ſtipendium dari liberalitatis cauſa, ut milites magis addicti Imperatoribus eſſent. Huius mentio in l. i. inferiori titulo, de re militari: licet Accurſius, Anabatarũ more, clauſis oculis hac atq; illac in illius loci expoſitione feratur.

De frumento Alexandrino.

¶ QVICQVID decreto elogij, & ſygoſtaſij munere.) legendũ, uti arbitror, quicquid decreto elogij ſitoſtaſij munere: ut intelligamus Imperatorẽ hic confirmare quicquid præfectus Orientis, ad quẽ reſcriptum iſtud dirigitur, ſtatuerat decreto elogij, id eſt in
Sitoſtaſius elogio, quo continebatur quoddam decretũ pertinens ad munus ſitoſtaſij, ita enim appellat eum, qui uendendo frumento præerat. σῖτος frumentũ ſignificat, στάσις ſtationẽ: elogium autẽ nunc titulũ, nunc breue ſeu ratiociniorũ chartulam exprimit. Vergi. in culice, Modeſti. de re militari l. III. Tertuliano in apologet. & cæteris. Sed an illa lectio probabilior: ut admiſſa copula legamus, & elogij, & ſitoſtaſij munere. quaſi munus elogij ſit officiũ ipſum eius qui annonæ rationẽ procurat. εὔλογος enim rationalis, ratiocinator ue dicitur Græcis, hinc alogiſtes, & alogos, qui rationes reddere non tene
Locus in ff. tur. Cuius dictionis reperies mentionẽ apud Modeſt. in l. quidam, de adminiſtratione tutorum. Sitoſtaſius uerò dicitur ſtationarius ipſe, ab eo quem ſuprà retuli etymo.

¶ In l. ſeq. periſſo corregiæ.) Accurſius hic, dum uerbũ id conatur explicare, ſeſe meris implicat nugis. tu lege, periſſichoregiæ. erat autem nomen magiſtratus, curator for
Periſsichoregia taſſe annonæ. ἀπὸ τῆς περισσείας καὶ χορηγέω, quod eſt abundantiam fertilitatemq; ſuppeditare. Sanè huius dictionis mentionem alibi nuſquam reperi, quod recorder.

De ſpectaculis.

¶ LEX prima, coartamur amplectenda felicis populi ſtadia gynæcij ut agonis.) legen D
dum, cohortamur: item, gymnici ut agonis. Agones enim, ſiue (ut latinè loquar) certamina gymnica ſunt quinq; dicta, quod à nudis exercerentur. ea in Arcadia primus inuenit Lycaon, ut ſcribit Plinius in VII. Iulius quoq; Pollux, athletarum appellatione omnes gymnicos comprehẽdi exiſtimat. Planè de his plura diximus in titulo, de athletis, præcedenti libro.

¶ In l. II. eos qui agitandi.) legendum, eis, tertio caſu: ut regatur à uerbo offici, id eſt noceri, ut interpretatur Cicero, & Ambroſius in officijs. potes tamen & cum uulgatis exemplaribus legere, eos affici. Agitare autem hoc in loco quid ſignificet, parum Accurſio compertum eſt: ſicut & in l. IIII. in principio. ff. de his qui notantur infamia.
Agitatores. nam agitatores, aurigæ ſunt, qui in ludis Circenſibus curuli certamine ſeſe exercebãt. quorum ſpecies quatuor, Ruſſati, Albati, Praſini, Veneti: Præmium, mappa. Horum mentio apud Plinium Cæc. lib. VIII. Suetonium in Dom. & Calig. Iuuenalem ſatyra II. & in epigrammatis Græcis, libro V.

¶ In l. III. quiſquis equos.) intellige uel equos aurigarum, qui in Circenſibus currebant: uel etiam deſultorios, quorum deſaltores Græci ἀμφίππους uocant, ut eſt apud Aelianum. Horum mentio eſt in Liuio, Caſſiodoroq;.
Pantomimi. ¶ In l. IIII.) Accurſius hic in interpretatione, pantomimi, & proſcenij, partim mutilus, partim falſus eſt. Pantomimi quidem dicebantur omniũ imitatores, effictoresq;:
Declaratus locus in ff. græca dictio, cuius meminit Plinius in panegy. Tranq. in Calig. Iulianus in l. ſi libertus artem. de op. liber. ſolebant eorum opera ueteres uti in recitandis præſertim tragœdijs. Proſcenium autem locus eſt ante ſcenam porrectus, in quo pulpitum erat ludicris exercendis accõmodatum. Verg. Veteres ineunt proſcenia ludi. Tranq. in Nerone: hos ludos ſpectauit ex proſcenij faſtigio. meminit Vitr. lib. V. & Vlpianus in l. de pollicitationibus. ff. de pollicita. probè faciet Statius Rufinus ſi opus proſcenijs. ſcena autem ipſa dicta eſt ἀπὸ τῆς σκιᾶς, ab umbra: pudendo Accurſij errore in l. II. §. ulti. de his qui notantur infam.

De aquædu-

De aquæductibus.

¶ LEX prima, sub quorum fines formarum transeunt.) uide ne legendum sit, forinarum, potius: ita enim meatus, tubiue aquarũ uidentur appellari in antiquis inscriptionibus: Genio forinarũ & cultoribus, &c. sed in hoc nihil affirmo: cum in hac significatione apud Iuliũ Frontinũ ubiq; legatur, forma: nisi & ibi corruptus est codex. est aũt in opusculo cui titulus est, de aquæductibus. non ignoro, Forinæ deæ sacrificari solitũ à ueteribus, ut est apud M. Varronem: foriamq; pro excrementis capi Nonio Marcel.

¶ Quòd autem paulò inferius dicitur, respurgium.) lego, repurgium. Ambrosius ad Theodosium: Non audisti Imperator, quia cum iussisset Iulianus reparari templũ Hierosolymis, diuino qui faciebant repurgium igne cremarunt. de his autem aquæductibus Procopius libro 1. Romæ, inquit, aquæductus quatuordecim sunt, cocto ex latere, per priscos homines illos ædificati, ea latitudine ac simul profunditate, ut equester uir aliquis ipso cum equo per eos superne euadere liberius queat. sanè quod in fine legis dicitur, quoquo uorsum linquendos XV. pedes arboribus, ne formas ipsas radicibus destruant.) circa hoc uidendum est lepidissimum senatusconsultum, quod refert Frontinus in prædicti opusculi fine. *Aquæductus Romani.*

¶ Lex, eos qui aquæ. earum fistularũ quas matrices uocant.) Matricis nomen multa significare iampridem cognoui. nam & uterum, & quod Græci μήτραν uocant, significat. item nutricem pullorum, apud Columellam: & generaliter quamcunq; educatricem. item cothurnicum ducẽ, quem Græci ὀρθυγομήτραν appellant: transtulit Theodorus matricem. quomodo autem nomen id conueniat fistulis, certè non percipio. quare interim legendum puto, fistularum quas mastos uocant. est autem græca dictio, qua usus Vitruuius libro VII. ubi, Athenis, inquit, ex huiusmodi locis & fontibus masti, usque ad portum Pyreneum ducti sunt salientes. Hanc M. Varro, de re rustica, papillas uertit: Cassiodorus, ubera: dum, quanto, inquit, pulchrius est, Claudiam aquam per tot sicca montium iuga, lauacris & domibus liquores purissimos, fistularum uberibus emisisse. quæ sanè Cassiodori autoritas, multùm ad rem præsentem cõducit. nam Claudia urbis Romæ erat aqua, ut Frontinus, Tranq. P. Victor scribunt. negat igitur Imperator se passurum, ut aqua quæ per mastos lauacris & domibus Romanorum influebat, attentetur. Potest etiam alia ratione id esse prohibitum: quoniam masti ipsi, seu epistomia, facilè rumpebantur transuersa, ut sentit Iul. Frontinus, dum senatusconsultũ interpretatur huic constitutioni similimum: hoc, inquit, senatusconsultum dignum admiratione est, quod aquam non nisi ex castello duci permittit: ne aut riui, aut fistulæ publicæ rumperentur. *Matrix.* *Masti.*

¶ In l. si quis diuinã. quid in lympheis.) legendum, nymphæis. P. Victor tradit Romæ nymphæa fuisse XI. In Romanis inscriptionibus legitur huiuscemodi eulogium. Fl. Philippus, V. C. præfec. urb. nymphæum sordium squallore fœdatum, & marmorum nuditate deforme, ad cultum pristinũ reuocauit. existimo autem fuisse locum, in quo mulieres lauarentur. Iosephus de bel. Iud. li. primo: Apud Ascalonã nymphæa condidit, & lacus ornatissimos. Iul. Capit. opera Gordiani Romæ nulla extant, præter quædam nymphæa, & balneas. ut malè faciant, qui illic genialem thorum interpretantur, ut est in quadam Sidonij paraphrasi. sunt etiam Lymphiones: quorum mentio in epistola Adriani, ex libris Phlegontis, & Fl. Vopisco in Saturnino. *Nymphæa.*

¶ In l. omnis seruitus, ad thermas, quæ achiles nuncupantur.) corruptus hic utique locus, qui fortasse corrigendus est hoc modo: ad thermas, quæ Achilleæ nuncupantur. solebant enim principes thermas constituere, & alicuius herois nomine nuncupare: sicuti uidemus de thermis Agamemnonijs, quibus Agathius poëta nomen inditum tale scribit Epigrammatum libro quinto: ἀντὶ δὲ τιμῆς, hoc est, pro honore. duodecim autem thermas Romæ fuisse tradit P. Victor, & earum nomina: inter quas minimæ sunt Achilleæ. sed procul apud me dubio est, non de Romanis in hac constitutione fieri mentionem, uerùm de Constantinopolitanis. Socrates apud Cassiodorum libro duodecimo: interea, inquit, incendium in urbe Constantinopolitana factum, paulatim peruenit ad thermas, quæ uocantur Achilleæ, demum ad locum qui dici- *Achilleæ thermæ.*

tur pelargus. Potes etiam legere, apſides, quòd hæ fornices ſint, Suida autore: qua= C
les reperiri in Baianis thermis tradunt recentiores. meminit Plinius in naturali hiſtoria, lib. III. in epiſtolis Cæcilius lib. II. ſed tamen non dubito, quin alia ſuperior lectio ſit uerior. nam & Conſtantinianas thermas Conſtantinopoli fuiſſe oſtendit Socrates apud Caſſiodorum lib. X.

¶ In lege, ad reparationẽ, ex operarijs qui cicanici, &c.) legendum fortaſſe, cyziceni: ut his nomen inditum opiner à Cyzico, urbe in ora Propontidis notiſſima ex omnibus Coſmographis, & Plutarcho in Lucullo: qui maxima in ueneratione ab his habitam *Vergilij locus.* Proſerpinam oſtendit: ut apud Vergilium legere non dubitem: raptã cyzicos, oſtreoſa diuam. non cocytos, ut Domitius & Merula, dein cæteri contra rationem carminis le= gunt. Planè quod ad rem attinet, Albericus Roſatus in lexico legiſſe hîc uidetur, cioce ni: ut inde coniectura ductus, caſtigatiorem lectionem putem zoxeni, ut hoc nomine credamus appellatos operarios, quod in diem uiuerent, παρὰ τὸ ζῆν, καὶ ξενίζειν, quod ui uere ſignificat in hoſpitijs. Ipſi autem operarij qui aquæductus ſilice inſternebant, ſili= carij dicuntur. Iulius Frontinus tradit duas familias cõſtitutas fuiſſe in cuſtodiã aquæ= ductuum: quarum altera publica erat, altera Cæſaris: utraq; autẽ uillicos, caſtellanos, curatores, ſilicarios, tectores, alioſq; opifices habet: quibus ſalarium cõſtitutum eſt ex uectigalium reddito, ad ius aquarum pertinentium. quæ quidem uectigalia conſtant ex oliuetis, quæ ſunt circa ductus, caſtelláue.

¶ In l. decernimus, contra munuſcularios aquæductus.) uera lectio, muſcularios. Item de hiſdem paralogijs.) melius, paragogijs. Item aquarum cuſtodes, quos hydrophila= tos uocant.) hydrophylacios, ſeu hydrophylacas legendum. Muſcularios autẽ aquæ= *Muſculi.* ductus appellauit eos, qui ex muſculis dilabuntur. muſculus enim inſtrumentum eſt ad ſimilitudinem muris, quo in bellis utebantur ad æquandas foſſas, ut Vegetius tra= dit. horum mentio apud Cæſarem in commen. frequens. erant autem tubi in ductibus ad ſimilitudinem muſculorum, quos hîc intelligit Imperator. nam ſicut à papillarum D
ſimilitudine dicũtur maſti, & ubera, ut ſuperius diximus: & leones in canalibus Sido= nio Apollinari libro ſecundo: cur etiam à muſculorum forma, non dicemus muſcula= rios aquæductus? Paragogia autem græcè hîc dicta exiſtimo pro ipſarum aquarũ po= ris & meatibus, ἀπὸ τοῦ παράγειν, quod deducere eſt. hinc παραγωγὴ dicta Aelio Do nato, & cæteris: nam & ἀγωγὸς aquæductus eſt. Hydrophylacas uerò capi pro cura= toribus aquarum, ſatis notum eſſe debet. nam ὕδωρ aquam, φύλαξ cuſtodem ſignifi cat: quamobrem Plautus, phylacam pro carcere, cuſtodiáue poſuit: & Iuriſconſultus, grammatophylacium, in l. moris, de pœnis. ſanè muſculus ultra ſupradicta etiam pi= ſcis nomen, autore Plinio, Sidon. epiſtolarum libro tertio, ad quem alludit etiam Clau dianus in Eutropium, libro. II.

De Mauima.

Maiuma. ¶ CORRVPTVS eſt hic titulus, & legendum, maiuma. Suidas, maiuma, inquit, feſti uitas eſt, quæ fit Romæ Maio menſe: nam Romani maritimam urbem adeuntes Ho= ſtiam, inter aquas uoluptatibus incumbebãt, inuicem ſeſe inuadentes: quam quidem ſolennitatem ſubſtulit Anaſtaſius Imperator. hæc ille. ut error noſtrorum Iuriſperito= rum ſit palàm, qui exiſtimant hoc illud eſſe feſtum, cum in præſentem diem quercum Kalendis Maij ludentes in urbem iuuenes portant.

De Agricolis & cenſitis.

Eucteria. ¶ LEX, immunitatis. prouinciarum eucauterijs.) Rectius fortaſſe dicetur, εὐκτηρίοις, eucterijs, id eſt, locis in quibus orationes, actaq; prouinciarũ continentur. ut hac lege non ſolùm cenſeantur immunitates, quæ in libris publicis cõtinebantur, reuocatæ: ſed etiam ſi quæ nondum in libros relatæ erant, ſtabant tamen in grammatophylacio, eu= *Tertulliani locus.* cterióue. quæ dictio nõ ſolùm Græcis, ſed & Latinis uſitata: ut apud Tertullianum in apologetico Cap. XIIII. legendum ſic exiſtimem: ſcimus & inter ludicras meridia= norum crudelitates Mercurium mortuos eucterio examinantem. alioquin impreſſi co dices habent, canterio, nullo ſenſu, aut certè inepto. quamuis & illud non omiſerim, poſſe apud eum cauterio legi: nam & in moralibus Plutarchus ſcribit, Cyrenenſium tyrannum

A tyrannum Nicocratem, ne quisquam ciuis sæuitiam suam aufugeret, portis custodes apposuisse, qui etiam mortuos, dum efferuntur, pugiunculis uel cauterio scrutarētur. significat id ferramentum candens, quo inustæ notæ imprimuntur. Sanè scriptores horum priuilegiorum, qui prouinciales erant, Modestinus reipublicæ causa non abesse tradit, in l. inter. ex quib. caus. maior. appellanturq; exceptores. Tranq. & Pediano.

℄ Cum antea Comanensium.) legi potest, Comagenēsium, ab Syria Comagene. uel si placet prior lectio, intellige populos habitantes in conuallibus Antitauri, in Comana urbe. cuius mentio apud Strabonem libro XII. in qua Chrysostomum sepultum tradit Suidas: meminit & Ptolemæus. Quod inde sequitur, Anatensium.) Amastriensium, potius legerim, ab Amastri pontica urbe: cuius Catul. Plin. Str. Pompon. meminere. Sanè Ariani in India sunt: quorum præter cosmographos mentio fit Arriano historico, & Apul. asini aurei lib. XI. sed de his imperator intelligere non potuit: quoniam eousq; non protulere arma Romani: cum neq; Parthos tenuerint, etsi uulgò circumferatur Bononiæ diploma Theodosij imp. scholasticis concessum: quo imperator ipse Indiæ sibi titulum usurpat. Sed proculdubio illud, quicquid est priuilegij, subdititium opinor, tum ex hoc maximè, cui accedit Herodiani sententia, Antoninum Commodum ridentis, qui se Parthicum inscripserit, tum etiam quòd in eo mentio fit Longobardiæ, Marchiæq;: cum eo tempore id nominis hę regiones nondum essent nactę. qui igitur Parthos nō subegerunt, nec Indos potuere, ad quos per Persas accessus est. Amasinorum helenoponti.) Amasinorum Hellesponti. Amasina patria Strabonis, ex eius scriptis notissima: sicut Hellespontus nemini non notus: etsi in breuiario Theodosij, quandoq; Helenoponti dicatur. uerba eius: in Pontica regione pontus Polemoniacus, & Helenopontus. In nouellis quoque Iustiniani Cæsaris, titulus est ita inscriptus, de officio moderatoris utriusq; ponti, id est, Helenoponti. Eliocesariēsium.) Aeliocæsariensium, urbs ab Aelio Hadriano (uti suspicor) dicta, nam & Dion Aeliam ciuitatem, in Hadriani honorem appellatā tradit: cuius & meminit Suidas. Neocæsarea autem castrum est iuxta ripas Euphratæ: quod demolitus est Licinius imperator, ut scripsit Sozomenus libro secundo: licet Cassiodorus scriptorū uitio corruptus circumferatur. Sunt etiam Aeliopolitani, quorum mentio apud Vlp. de censibus. de his autem locis plura dicere operęprecium non est: cum nemo sit, qui Plinium, Strabonem, Pomponium Melam non habeat: unde hæc affatim suppeditantur. quod non tam propter præsentem legem dictum à me sit, quàm pro quamplurimis locis, oppidis'ue, quæ in toto iuris ciuilis corpore leguntur. nam ex his autoribus antiqua omnia, penè dixerim, urbium nomina poterunt facilè cognosci. Item quod sequitur æquatores.) addenda est præpositio, per. peræquatores autē dicuntur exactores censuum capitationis, quòd æqualiter ab omnibus exigant, de quibus paulò inferius in tit. de censibus & censitis.

Comana. *Priuilegium Bonomen. studij subdititium.* *Aelia.* *Caßiodori locus.* *Peræquatores.*

Vt nemo ad suum patrocinium.

℄ LEX I.) quia hîc fit mentio cōsulatus Sigisbuldi: Hieronymus in Eusebium, Sigisuulti legit. Aetio secundo, & Sigisuulto cōsulibus, Theodosius & Valentinianus bellum aduersus Gothos gessere. ut necesse sit alterum codicem esse corruptum. Suidas Silxibulum Turcarum ducē fuisse tradit. quod deinde legitur de Cyro.) Huius quoq; mentio est in Hieronymi chronicis. Suidas: Cyrus panoplites, uersificator ac consul patritius, factus est præfectus urbis & prætorij. floruit sub Theodosio iuniore, & demum episcopus fuit Phrygiæ in Cotyæo: & uixit usq; ad Leonis imperatoris tempora.

Sigisuultus. *Cyrus.*

Non licere habitatoribus.

℄ LEX unica, quæ metrocomiæ communi uocabulo.) Accursius metrocomias, uillas interpretatur, quæ ex iussu principis, metœcis, id est peregrinis transmigratoribus distributæ sunt. ἀπὸ τοῦ μέτρον, καὶ κώμης, hoc est à mensura & uilla, quasi uillam mensam diceres. quam interpretationem, ut in re tam obscura (neq; enim id nomen apud alios autores reperiri facile est) improbare sat firmis argumentis non ausim: ita aliunde etymū deduci posse constanter affirmare possum. Scire itaq; debemus, eos qui in ciuitatibus habitabant, capitationibus non fuisse suppositos: qui uerò ruri erant, contrà, ut ex præcedentis tituli prima constitutione probatu facile est: sed quia erant pagi quidā,

Metrocomia.

qui licet ciuitatum nomine censerentur, uillis tamen nobiliores erant: & propterea qui in his habitabant, capitatione etiam ipsi eximebantur. negat imperator se passurum, ut in his pagis exteri admittantur, ne fraus fiat fisco. Intelligo itaque per metrocomiam, pagos hosce maiores, qui paulùm infrà urbis dignitatem sunt. ut sicut μητρόπολις dicitur ciuitas matrix, hoc est maior cæteris: ita etiam μητροκώμια pagus cæteris maior, & caput aliarum uillarum. nam & hodie quoque sunt in Mediolanensi agro huiuscemodi metrocomiæ, seu matrices pagi: quos uernacula simplicitas capita plebis appellat. Thucydides, ἀποικία εὖ μὲν πάσχουσα τιμᾷ τὴν μητρόπολιν, ἀδικουμένη δὲ ἀλλοτριοῦται. *Locus in decretis.* magno errore Isidori. XXI. dist. qui à mensura dictam metropolim existimat, quod etiam alij adnotauerunt, improbaueruntque. hasce metrocomias Marcus in euang. comopoles uidetur appellasse. C

De colonis Thracensibus.

LEX unica, humanæ capitationis censu iugatio, &c.) Non parum ad huius legis clariorem notitiam conducunt, quæ ponit Amianus Marcellinus lib. XXI. interrogatus quid haberet ex arte compendij: uicenas diurnas respondit annonas, totidemque pabula iumentorum, quæ uulgò dicuntur capita. accipiuntur autem capita diminuta *Paccati locus.* apud Paccatum in panegyrico, pro capitatione: cuius & in hac constitutione mentio: pro tributo uidelicet quod pro singulo quoque capite exigebatur. etsi recentiores quidam, qui annotationes in uarios autores ædidere, apud Paccatum de capitis diminutione, per quam status diminuitur, intelligant: quod ad rem minimè facit. uerba Paccati sunt: quid memorem capita diminuta, & uitam ære taxatam? alioquin etiam de emancipatione posset hîc intelligi: quod est prorsus absurdum.

De censibus & censitis.

LEX, omne territoriũ sterilia atque arenia.) lego, harena: quæ sterilis quammaximè est. Ouid. Quid harenæ semina mandas? ut etiam in prouerbium uenerit, qua ratione & seminare harenam dicitur, qui uxorem uetulam ducit. Leonidas in II. epigr. D

Γρηῦν ἔγημε Φιλῖνος ὅτ' ἦν νέος, ἡνίκα πρέσβυς
  Δωδεκέτιν. παρθένη δ' ὥριος οὐδέποτε.
Καὶ γὰρ ἄπαις διέμεινε τότε σπείρων ἐς ἄκαρπα,
  Νῦν δ' ἑτέροις γήμας, ἀμφοτέρων στέρεται.

Quod nos pauxillum ab exemplari recedentes sic transtulimus.

Nupsit anus iuueni, uetulo tibi iuncta puella est.
  O nimium ex omni tempore inepta Venus.
Aut alijs ducis, sterili uel conseris agro.
  Coniuge nec frueris, nec frueris sobole.

Locus Martial. Ad hoc fortasse allusit Martialis libro XI. in fine epigrammatis ad Lydiam.

De omni agro deserto.

QVICVNQVE dyacathochiæ.) Accursius, & eum secuti cæteri posteriores, interpretantur, hospitale, quę declaratio nec sensui legis conuenit, nec ex se uera est. nam *Locus C.* hospitale, ptochotrophium, xenotrophium ue dicitur: ut in rubrica C. de epis. & cler. cernere est. quæ uerba nihil commune habent cum dictione de qua agimus. Ipse su*Diacatharotia.*spicor ueram lectionem esse, diacatharotiæ, ut id nomen sit eius muneris, cum imperator priuatis fundos concedit, ut purgentur: non multùm dissimile uidelicet emphyteutico contractui. διακαθαρίζω enim idem quod purgo: purgatio ipsa καθαρμὸς καὶ καθαρότης dicitur. quòd si diacathochen legere uoluerimus, sciendum id titulum possessorium prædij significare.

De fundis limitrophis.

IN rubrica, qui sint limitrophi fundi, alij aliter atque aliter interpretantur. quidam liminarcham, præfectum militum, qui limina imperij custodiunt, interpretantur: fundos autem, unde his alimenta præstantur, limitrophos dici: à limine uidelicet, & τρέφω, *Limenarchas.* quod nutrire significat. uerùm hæc sententia omnino repellenda est: quoniam limenarchæ, non à liminibus imperij, sed ἀπὸ τοῦ λιμένος, id est à portu dicuntur: sunt autem custodes portuum, quos Aristoteles in politicis appellat limenophylacas. nec enim ratio

A ratio admittit, ut latina græcæ dictio componat, ut Fab. Quint. autor est: & ita uox hęc intelligenda est in l. limenarchæ, de seruis fugitiuis. in l. munerum, de munerib. & honorib. Illud cum alijs sentio: limitrophos fundos dictos, non à limenarchis, sed à limitaneis militibus, quòd tenerentur eorum possessores annonam inde prouenientem, ad castra militum ducere, qui in imperij limitibus excubabant aduersus barbaros. hinc limes orientalis Fl. Vopisco in Saturnino: limes rheticus, eodem autore in Bonoso. Aelius Lampridius in Alex. sola quæ de hostibus capta sunt, limitaneis ducibus, & militibus donauit: ita ut eorum essent, si hæredes eorum militarent: nec unquam ad priuatos pertinerent: dicens attentius eos militaturos, si etiam sua rura defenderent. ex quibus Lampridij uerbis cognoscere est, qui sint agri limitanei, de quibus in ultima huius tituli constitutione: & quomodo differant à limitrophis. Fl. Vopiscus in Probo: Accepit XVI. millia tyronum, quos limitaneis militibus interfereret. Rufus Festus de accessione Rom. imperij: impetrauit, inquit, Maximianus, ut reparato de limitaneis Daciæ exercitu, euentum Martis repeteret. Sulpitius Alexan. historiæ libro IIII. Eugenius tyrannus suscepto expeditionali procinctu Rheni limitem petijt. Suidas hos præcipue collocatos fuisse tradit in orientali limite aduersus Saracenos & Persas: cum quibus, facta à Iustiniano pace, uenisse eos Constantinopolin: & ne rem populo gratam facerent, quicquid lucrati fuerant, clàm sub ulnas tulisse. Corruptus est Suidæ codex, ubi legitur λιβιτανᾶιοι, libitanæi: legendum λιμιτανέοι. Quod demum in fine rubricæ legitur, castellorum.) ratio suadet, ut legamus, castellis.

Locus in ff. *Limitrophi fundi.* *Limitanei fundi.* *Suidæ locus.*

De pascuis publ. & priuatis.

❡ LEX, insignis Antiochenorum.) Antiocheni populi sunt ab Antiochia urbe Syriæ præstantissima: quæ dignitate non multùm inferior est urbe Roma, ut scribit Herodianus. Aelius Spartianus in Caracalla, Antiochenses dicit, non Antiochenos: urbs ipsa cognitissima est ex Cosmographis: barbarico sermone hæc dicitur Nisibis. in l.
B IIII. C. de cõmer. ut quidam tradunt: licet ipse ex Amiano li. XIIII. contrariũ opiner.

Antiochia. *Nisibis.* *Locus C.*

De fundis patrimonialibus.

❡ LEX, omnes fundi per Mesopotamiam, & Osdrocenam.) Osdroënam suspicor legendum: quoniam antiquis codicibus uox hæc ita frequentius legitur. huius mentio fit Lampridio in Alex. & in Maximino. Rufus Festus, Traianus, inquit, Osenorum loca & Arabum occupauit: ut suspicer corruptum codicem. Suidas: Ostroëm nomen loci, uel ciuitatis est. Amianus Osdroënam appellat, lib. XIIII. Herodianus Osrhænïam, in VI. & VII. libro. In breuiario ad Theodosium, Osyhenia: & in seq. lib. de milit. ueste. l. prouinciæ, Osioënia legitur. Procopius Persic. libro primo Osroinam ab Osroo duce dictam opinatur. nusquam maior codicum inconstantia. omnino prouincia est Parthis contermina: ut scripturæ ratio, non res ipsa ueniat in dubium.

Osdroëna.

❡ Lex, iubemus, aut agonotheticos.) sacra erãt certamina quatuor, quæ in honorem deorum fiebant: Iouis, Phœbi, Palæmonis, Archemori: ut superius retulimus. qui his præerant, Agonothetæ dicebantur: erantque decemuiri, ut Iulius Pollux scribit. Sanè prædia, quæ his iam emeritis distribuebantur, possunt agonothetica dici: siue ea, quæ ipsi agonothetæ athletis adiudicabant. nam multa præmia his dari solita. potest etiam ex Iuuenale cognosci, qui idipsum conqueritur in Russato Lacerta cursore: cuius fundus centum patrimonia causidicorum æquabat. saty. VII. Russatus enim factionis aurigarum nomen est, unde in Epigr. græcis libro V.

ἰουλιανὸς ὄντ@ ἅρμα ῥουσίϊ ἔχων, γῦνκα σῦν γάντιους δρόμον.

V t errẽt, qui de milite intelligendũ existimãt. fuisse enim populo & principibus gratissimos, eodẽ lib. ostendit: quapropter & aliqui aureis statuis honestati, ueluti Vranius:

Τοὔνεκα καὶ χρυσῷ μιν ἀνεγράψαντο μετάλλῳ ἐυδίσῳ.

In Valentiniani Martianique nouellis cõstitutionibus agonothetici fundi dicuntur ciuitatum fundi, ex quorum reditu seu canone honoraria agonothetis præstabantur.

Agonothetici fundi. *Iuuen. locus.*

De fundis rei priuatæ.

❡ VNIVERSI rationalium.) Accursius interpretatur, procuratores Cæsaris Iul. Capitolinus in Maximino, uidetur capere rationalem pro procuratore fisci. erat fisci pro-

Procurator fisci. *Rationalis.*

curator in Libya, qui omnes Maximini studio spoliauerat: hic per rusticanam plebem interemptus est: sed cum per eos qui rationalem in honorem Maximini defendebant, uiderent autores cædis, &c. In quam sententiam etiam accedere uidetur Lampridius in Alexand. nisi capiamus procuratorem fisci & Cæsaris esse eundem: quod tamen negant recentiores Iureconsulti in l. prima, de offic. proc. Cæsar. At dixerit aliquis, rationalem, generale esse uerbum: quod & fisci & Cæsaris procuratorem in se continet. C

De prædijs tamiacis.

Tamiaci fundi ¶ RVBRICA, qui sint tamiaci fundi, uenire potest quantumuis perito in dubium. Accursius plures affert opiniones, quas potius somnia dixerim. Ipse tamiacos fundos eos arbitror, qui dispensatori publico præstabant annuos fructus uectigales: quibus *Tamias.* ille postea in domo imperatoria dispensabat alimenta. nam ταμίας dispensatorem significat. hinc innominatus poëta epigr. libro VI.

ὄττι σύ μοι βιότου τῶν ἀγαθῶν ταμίας.

Aelius Lampridius in Alexan. Aurum & argentum rarò cuiquam, nisi militi diuisit: nefas esse dicens, ut dispensator publicus in delectationes suas & suorum conuerteret id, quod prouinciales dedissent. ταμίας etiam custodem pœnus significat, & plerunque exactorem, quæstorem ue. ταμεῖον cella ipsa salgamaria. Tamiarum quoque in alio significatu meminit Suidas.

¶ Lex, meminimus gomaticij.) Barbara hęc est uox, & nullum capit sensum. fortassis uera lectio est, gunathetici: ut accipiamus saltus eos, quos homines quodãmodo adscriptitij incolunt, nullam ulterius expectantes mercedem, quàm quæ ex ipso saltu colligetur. γουνὸς is locus dicitur, in quo feliciter pullulãt, proueniuntque arbores. θητικὸς autem mercenariũ, seruitutique addictum hominem significat. potes hîc etiam legere, agonothetici, quam dictionem suprà satis explicaui: & hîc magis conuenire arbitror.

De diuersis prædijs.

Ergasteria. ¶ LEX, si quis ex titulo ergasteria.) intellige officinas mechanicas, in quibus manu D opera fiunt. horum mentio in rubrica. C. de monopolijs. græca est dictio. Leontius in sphæram Arateam: πρώην ὦ καλὲ Θεόδωρε ἐν τῷ μηχανικῷ ἐργαστηρίῳ ἐργαζόμενοι. id est, pridie ô bone Theodore in mechanico ergasterio laborantes. huius mentio est etiam in l. eos. C. de usuris. in l. prima. C. nego. ne milit. & XLIIII. distinctione, nulli. quod autem in hac lege sequitur, Agonotheticos) abundè suprà declarauimus.

¶ Lex, hac in perpetuum Calamacho.) nomina sunt hæc possessionum Apamenę urbis, quorũ etymologiam uestigare frustra esset. de Apamena plura apud Plin. li. IIII.

De priuilegijs domus Augustæ.

¶ ABSIT ut nos titulis.) istud idcirco dictum est: quoniam si qui imperatores aut fecissent, aut instaurassent pontes aliquos celebres, solebant magnificentiam suam marmore inciso eulogio significare, quod etiam hodie Romæ passim conspicitur, ueluti in ponte Narsetis, & in ponte Gratiani, & similibus: quod & Lampridius in uita Alex. testatum reliquit.

De grege dominico.

Palmati equi. ¶ LEX, propositis, siue Hermogenianis, siue palmatis.) Palmati equi ijdem ferè sunt quos uulgò baios uocamus: quoniam spandices, hoc est cum fructu suo ramusculos, græci βάϊν uocant: sic igitur dicti sunt à colore. Possumus etiam intelligere equos palmatos, quibus utebantur aurigæ in circo: à palma. ut Hermogeniani etiam in simili si-*Hermogenes.* gnificatu capiãtur ab Hermogene aliquo auriga, seu agitatore alicuius factionis. alioquin Hermogenes sub Constantio imperatore fuit præfectus prætorio: ut libro XXI. scribit Amianus. eundemque magistrum equitum, & seditione facta, à Constantinopolitanis occisum tradit Socrates in hist. Cassiodori. fuit & Hermogenes rhetor, de quo *Palmata uestis* Suidas. Sanè tunicæ palmatę sunt quibus cõsules, aut alicuius magistratus uiri utebantur. Vopiscus in Aurel. Cape pro rebus gestis tunicam palmatam, sellam eburneam: nam te consulem hodie designo. Meminit & Trebellius in Galieno, Apul. in apol. & Seruius, qui triumphalibus uiris dari solitam scribit: cuius rei etiam Liuius est autor. Ausonius in Panegyrico, palmatam, inquit, tibi misi, in qua diuus Constantinus, parens noster

A sens noster intextus est: hæc planè, hæc est picta non magis auro suo, quàm tuis uerbis. Illud non prætereundum, innominatum legum interpretem, qui tempore Iustiniani, uel certè paulò pòst græcè scripsit, in hanc sententiam palmatios equos declarare. fuisse enim Palmatium quendam equorum diuitem, cuius bona per tyrannidem proscripta sint. cuius in hunc propè modum meminit illustris Esichous philosophus Milesius, chronicarum diuisionum libro V. Tempore Valeriani in Cæsarea Cappadociæ Palmatius habitabat, supra regiam præfectus: equorum indomitorum, & etiam aliarum diuitiarum acquisitor: factionis plebeiæ princeps, & petulans ut quiuis alius: qui cum consularis uiri, Isoëmi nomine, uxorem quæ Iosida uocabatur, rapuisset, inter proscriptos relatus est. Cæterùm potes etiam legere Palladios equos. Cassiodorus historiarum libro XIIII. Inuenit, inquit, Theodosius quendam uirum, animi habitu, corporisque fortissimum: qui tanta uelocitate ueredos agebat, ut tribus diebus perueniret ad terminos Romanorum atque Persarum: & rursus totidem remearet ad Constantinopolim. is enim Romani imperij terminos uelociter transibat: de quo quidam eloquentissimus sic ait: Iste uir, cum sit lata Romanorum respublica, eam paruulam sua uelocitate demonstrat. erat autem illi nomen Palladius. Non tamen à ueteri scriptura reor discedendum. Sanè solitos imperatores equorum sobolem in Thracia alere, autor est Procopius in bello Aphricano. Palmatius. Palladius.

De cupressis.

¶ IN rubrica, ex luco damphesis, uel perseis.) lege, ex luco Daphnes, uel Perseidos. eodemque modo corrigenda sunt primæ legis uerba. Daphne autem Antiochiæ in Syria suburbanum est, quod LXXX. stadiorum ambitu clauditur, ut scribit Strabo. in eo erant spectatissimæ lauri, autore Ausonio: unde & nomen sumpsit. Addit Philostratus, alibi insolitas in eo nasci cupressos, in memoriam Cyparissi, quem Apollo dilexit: cui ille lucus est sacer. eius meminit præter Arrhianum, Pausaniam, Cæs. Iulianum, Daphne.
B in oratione quæ inscribitur, Misopogon, Capitolinus in Antonini philosophi uita, & Claudianus:

Lambit Apollinei nemoris nutritor Orontes.

Perseidis autem luci rara est admodum apud autores mentio. Suidas, πέρσις, ait, ὄνομα τόπου. Sosomenus historiarum libro VI. Fertur quòd in Hermopoli Thebaide arbor, quæ uocatur Perseidis, multorum languores subegerit: si fructus aut folium, aut pars eius corticis collo ægrotantium ligaretur. Verùm in his dubito, ne Suidas Persarum regionem, Sosomenus arborem intellexerit, nisi & de arbore hîc quoque Imperator sensit: ut punctis distinguenda sint uerba. Perseis.

¶ IN lege, omnes iudices: sed nec à luco, uel litucha.) recentiores quidam, qui nescio quas annotatiunculas in ius ciuile ædidere, legunt, à lucuco, uel à lucuca: interpretanturque uirum, seu fœminam quæ lucum custodiat. quam expositionem, ut pluribus reprobare non curem, satis sit illud, quòd sine autore loquuntur: quo nil in re latina est impudentius. alij à luco uel à littore legunt, cum nullum sit in Daphne littus. ego libentius legerim, uel, à liturgo: uel, liturga: seu (quod magis placet) litucho, uel litucha. liturgos enim græcè dicitur, qui publicè operatur, circa res sacras præsertim. λειτουργὸς minister publicus: cuius etiam in epistolis Pli. Cæcil. meminit. lituchus uerò non absimili significatione potest dici habens curam rei sacræ, quæ ad ius publicum spectet, ἀπὸ τοῦ λειτοῦ καὶ ἔχω. sicut etiam Rhabduchus dicitur præses curatorque athletarum, ἀπὸ τοῦ ῥάβδου καὶ ἔχω, Suidæ, & cæteris. Sanè hunc lucum Daphnes sacrum fuisse, suprà retuli ex Philostrato: cui adstipulatur Rufinus sacræ historiæ li. X. cum Iulianus in Daphnes suburbano Antiochiæ, iuxta fontē Castalium litaret Apollini, & nulla ex his quæ quærebat responsa susciperet: causasque silentij percūctaretur à sacerdotibus, &c. Procopius belli Persici libro II. Rex, inquit, Daphnen uenit Antiochiæ suburbanum, ubi nemus amœnum, fontibus aquarum irriguum: hîc ubi nymphis sacrificauit, abijt. Lituchus. Daphne sacra.

FINIS.

D. ANDREAE ALCIATI IN DVODE CIMVM LIBRVM CODIC. IVSTIN. ANNOTATIONES, DE PRAETORIBVS ET HONORE PRAETVRAE.



IN rubrica, & in lege ſecunda, non facilè reperies quid ſignificet gleba, clauis, phollis, & ſeptem ſolidorum functio, quare qui in obſcuriſſima re coniectandi ſupereſt locus ut exprimam, exiſtimo: quoties aliquis præturam inibat: intelligo autem militarem: ſolitos fuiſſe prouinciales, ſeu quoſcunq; alios, in magiſtratus initio illi collationem quandam, ſeu munus ſeptem ſolidorum conferre: quod quidem onus mixtum erat, utebantur & for taſſe ſolennibus quibuſdam dationibus, ut glebam, clauim, follem darēt: quas omnes imperatoria hæc conſtitutio antiquauit. follem autem ad milites pertinuiſſe oſtendit Vegetius libro ſecundo: deniq; decem folles, hoc eſt, ſacci per cohortes ſingulas exponebantur, in quibus hæc ratio condebatur: addebatur ſaccus XI. in quo tota legio particulam conferebat. nec nouum eſt in creandis prætoribus hunc fuiſſe morem: cū & quotieſcunque conſul aliquis fiebat, illi & baculus & fax dabatur. Vopiſcus in Aurelia. te conſulem hodie deſigno, ſcripturus ad ſenatum, ut tibi deputet ſcipionem, deputet etiam faces: intellige itaq; prætorem uel militarem (nam quicunque militibus *Prætor.* præeſt, poteſt dici prætor, Iuuenale & Aſconio auto. hinc legatus prætorius, Vopiſco in Cenſorino) uel quemcunque alium, dummodo non Romanum. nec enim hunc morem fuiſſe Romanis uſquam legimus, qui profectò omiſſus non fuiſſet à tot autoribus. & hæc dicta ſunt non quidem pro certis, ſed ſolùm ut curioſis horum codicum daretur anſa diligentius fortaſſe ueſtigandi. nam & ipſi mihi plerunq; tam parum con ſtitit hic locus, ut in diuerſam tranſiens ſententiam, hîc non follem, ſed pholim legendum putauerim: cuius rei rationem explicaturus ſum. Nam cum hæc ſcripſiſſem, peruenit ad manus græcus legum interpres, quem ex Creta in Italiam attulit Stephanus Niger, uir doctiſſimus: & ut non parum amicitiæ tribueret, dono eum mihi dedit. is innominatus interpres, uir plurimæ lectionis, quid ſit pholis ſic explicat: græcè quidem, ſed in hunc ſenſum. *Pholis.* Pholis ſub Theodoſio iuniore tributum mulorum ab eo inſtitutum Conſtantinopoli, quòd his ſibi in bello opus eſſe diceret. Phollis autem aliud tributi genus eſt, quod nobiliores quique ciuitatis pendebant, prout ſecundum habitationes fuerant comprehenſi: ut nobilitas quæ ad bonam fortunam illos perducere debuerat, hoc incommodi ſecum afferret: primo quidem tributo auri libræ octo, ſecundo quatuor, tertio duæ pendebantur. & ut ait Eſychous illuſtris philoſophus in *Balantium.* VI. hiſtoriæ de temporibus diuiſione: Phollis pondus eſt, alio nomine dicta balantium: trahit autem donos ducentos quinquaginta, hoc eſt, libras CCCXII. & uncias *Doni.* VI. ſinguli uerò doni libram unam, uncias XII. cōprehendebant. Eſt & alius phol *Lepti.* lis coactus ex argenteis leptis, qui militibus quos miliarios uocabant dabatur. Lepti autem ceration unum cum dimidio continent. Ita phollis iſte argenti, ceratia CCVIII. habet, & nummos IX. quæ ſumma nunc ualet millia CIX. eſt & alius phollis, à duabus auri libris incipiens, & uſq; ad octo procedens, prout ſoluentium tributa ſubſtantiæ patiebantur. hæc ille interpres. uerùm Suidas: phollis, inquit, maſculini generis, eſt obolus. Idem in dictione cermata, κέρματα, ducenti & X. oboli, quos pholeis uocant: & hoc ſenſu Auguſtinus de ciuitate dei ultimo libro capitur. tametſi Beroaldus in Apul. pholles legerit: cum ea uox nunquam pro pecunia accipiatur. Puto itaque phollem, glebam, clauem, nomina eſſe extraordinariarum functionum (nam & Corn. Tacitus lib. XIX. clauarium donatiui ſpeciem eſſe tradit) quas hac lege ſubſtulit imperator: nihil autem habere commune cum prætore, niſi fortè quòd ab illo exigebant. Procopius in bello Perſico, li. III. Aulæ, inquit, præfectus, quem Romani prætorem uocāt, & quæſtor ærarij, pecunias bello neceſſarias à populo exigebant. follis in hoc ſenſu mentio quoq; eſt in Theodoſij codice, in legibus nouellis Martiani, ubi imp. quicquid,

A quicquid,inquit, ex titulo senatoris follibus in prouincijs debet, hoc iubemus remitti.

De consulib. & non sparg. pecun.

¶ RVBRICA. morem istum spargendarum pecuniarum damnat etiã Vopiscus in Aureliano. Vidimus proximè consulatum Furij Placidi tanto ambitu in circo editum, ut non præmia dari aurigis, sed patrimonia uiderentur: cum darentur lineæ subsericæ, lineæ paragaudæ: darentur etiam equi, ingemiscẽtibus frugi hominibus. factum est enim, ut iam diuitiarum sit, non hominum consulatus. qui utique si uirtutibus defertur, æditorem spoliare non debet. perierunt casta illa tempora, & magis ambitione populari peritura sunt. hæc ille. quæ uerba sunt puræ putæ rationes huius cõstitutionis, qua missilia damnauit imperator. Quod autem sequitur in rubrica de patritijs.) aliter apud ueteres scire debemus dictos patritios, aliter in his legibus capi. nam apud Rom. senatorij ordinis uiri, quiq; ab his progeniti erant, patritij dicebantur: ut scribit Liuius libro primo ab urb. con. & sentit Tranq. in Aug. apud græcos autem, de quibus hic loquitur, omnino maior erat dignitas, non ex successione debita, sed quæ solebat à principe concedi. Sidonius Apollinaris: Egditio honor patritiatus accedit: celerrimè, si cogites eius ætatem: si merita, tardissimè. Cassiodorus epistolarum libro VI. Nostro munere subleuatus, patritiatus culmen ascende. quod quidam iuridicorum à patribus dictum esse uoluerunt. Suidas patritios esse tradit communis reipub. patres, qui in suprema dignitate senatorij consilij esse censentur. meminit & Procopius libro III. Interea patritios uiros cum LXX. militibus, qui ad se paulò antè conuenerant, in Siciliam misit. palàm est igitur malè sentire Accursium, qui in §. filiusfam. institu. quib. mo. ius pater. po. sol. hanc dignitatem cum uetere confundit. *Patritij.*

¶ In l. prima, repetiti etiam faces.) alij codices, & ipsi impressi habẽt, fasces, & melius, consuli enim dabantur XII. lictores cum fascibus, proconsuli uerò VI. tantum. erant autem fasces, manipuli uirgarum, intra quos stabat securis, Plutar. in problema-

B tis. T. Liuio, & cæteris: licet Accursius in l. proconsules. de officio Procos. interpretetur, uices: cuius erratum cum Beroaldus, tum alij detexere. Vopiscus in Aurel. consuli à senatu deputari tradit faces. Amianus libro XXI. tunc & memoriam Constantini ut nouatoris, turbatorisq; priscarum legum, & moris antiquitus recepti uexauit: eum apertè incusans, quòd barbaros omnium primus adusq; faces auxerat, & trabeas consulares. puto corruptum utrobiq; codicem; & propterea legendum, fasces. Sanè imperatoribus ignem præferri solitum, libro VII. scribit Herodianus. *Accursij error* *Amianus, & Vop. emendati.*

De præfecto præt.

¶ LEX prima. Pomponius Lętus, post ueteres existimauit, in opere cui de magistratibus titulum fecit, Magistrum equitum eundem esse, qui & præfectus prætorio sit. cui opinioni refragatur hæc constitutio: quare sciendum est, olim regnante Romulo eum qui præerat prætorio, id est militibus, cohortibusq; prætorianis circa palatium principis, solitum fuisse etiam in bella prodire; & dictum magistrum equitum. sed ubi Romanorum opes creuerunt, distincta fuere officia; ut hic excubias ageret, ad tuendam principis salutem: ille uerò contra hostes imperium tueretur. etsi & illud subticendum non est, à paulò recẽtioribus Cæsaribus præfectos prætorio missos quandoq; ad regendas prouincias. cuius rei testimoniũ affert, l. pe. & l. ult. C. de offi. præf. præt. ubi legitur: præfectus prætorio Aphricæ, & præfect. præt. orientis. cuius & mentio est in breuiario Theodosij. Ambrosius ad Titianum, epistolarum libro VI. Rufinus ex magistro officiorum factus est in consulatu præfectus prętorio, ac per hoc plus posse cœpit: sed tibi iam nihil obesse: est enim aliarum præfectus partium. Sidonius li. IIII. ad Polemium: biennium propè clauditur, quo te præfectum prætorio Galliarum, non noua uestra dignitate, sed affectu adhuc uetere gaudemus. quanta autem sit huius magistratus dignitas, ostendit Cassiodorus epistolarum li. VI. potestati præfecti prætorio nulla dignitas est æqualis: uice sacra iudicat: nullus ei miles fori autoritate præscribit, excepto officiali magistri militum; curiales etiam uerberat: in officio suo ius retinet singulare: & talibus, tantisq; noscitur iubere, quos etiam prouinciarum non auderent iudices in qualibet parte cõtemnere: militia perfunctis tribunorum & notariorũ honorem *Magister equitum.* *Præf. præt.*

tribuit,& milites suos illis exæquat: gratanter implet imperator,quæ ille cōstituit.&c. C

De præpositis sacri cubiculi.

LEX, hac nostræ, Angarias,seu perangarias,uel etiam peraueredos.) lego parangarias,& paraueredos:ut munera quæ subeunt incolæ cum carris & ueterinis,puta ad auehenda,reuehendaq; instrumenta belli, ea dicantur per paraueredos fieri: quæ uerò aliter, dicantur angariæ,seu parangariæ. unde deducuntur paraueredi, suprà explicauimus. *Angaria.* & angarias appellat Vegetius libro secundo, omnia munera, quæ à militibus fiunt, etiam non uilia, inde uigilias, stationesq;, & gestationes in usum belli, angarias dicit: quotidianas etiam in pace uigilias, item excubitum: siue angarias de omnibus centurijs,quæ uicissim milites faciunt,& cætera. & alibi: Si uerò ad uigilias,uel angarias faciendas, siue ad opus aliquod,uel ad decursionem campi exeunt milites. Suidas, ἀγγαρεία ἐστὶ δημοσία καὶ ἀναγκαία δουλεία, publicum & necessarium munus. Procopius in Persico bello: ueredos,inquit,equos publicos uocant.

De primicerio.

Primicerius. ACCVRSIVS in rubrica, existimat primicerium dictum, quòd primus ferat cereum. quæ etymologia planè ridicula est: nam primicerius notarius principis dicitur,& honore inter notarios primus: sicut sequens dicitur secundicerius. κηρὸς enim ceram significat, κήρωμα tabulam ceratam,in qua antiqui scribebant. ab huiuscemodi igitur tabulis dicti sunt primicerij. Vegetius lib. secundo:Primicerius,inquit,in officio præfectorum prætorio, ad honestum quæstuosumq; militiæ peruenit finem. Athalaricus Gothorum rex, in quadam epistola ad senatores urbis Romæ: Illustri uiro atque magnifico patritio Maximino primiceriatus,qui & domesticatus dicitur,gerendam duximus dignitatem. Suidas: πριμικήριος ὁ πρῶτος τάξεως τῆς τυχούσης. dicitur autem primicerius non solùm notariorū,ut apud Renatum Frigiridum in historia Honorij & Theodosij: Rusticus Agretinus ex primicerio notariorum Iouini,multiq; nobiles apud Aruernos capti: sed etiam primus aliarum dignitatum. Hieronymus in chron. Eusebij: D
Iouinianus ex primicerio domesticorum, imperator est factus. Amianus Marc. libro XVIII. Inter quos etiam Valentinus ex primicerio protectorum, tribunus. Hieronymus,uti suspicor,in uita Martiani: Hadrianus Septitium primicerium scholæ candidatorum ordinauit.Innominatus autor ad Theodosium,primochirium appellat,quasi primum à manibus dicas;nisi corruptus est à scriptore codex,qui unus extat.quæ autem huius officij sit dignitas,ostendit Cassiodorus epist.lib. VI. in forma comitiuæ sacrarum & primiceriatus:ubi ad publicæ,inquit,festiuitatis indiciū,locū quoq; primiceriatus adiungimus. parum est autem, quòd prouinciarum iudices tuæ subiaceant dignitati: ipsis quoque proceribus chartarum confirmas officium: dum perfectum non creditur, nisi à te fuerit pro solennitate completum. uestis quoq; sacra tibi antiquitus noscitur fuisse commissa: curas quoque litorum aduentitia lucra, prouisionem comitis negociatores,quos humanæ uitæ constat esse necessarios,huic potestati constat esse subiectos, nam quicquid in uestibus, quicquid in ære, quicquid in argento,quicquid in gemmis ambitio humana potest habere preciosum, tuis ordinationibus obsecūdat. Zonaras, μεγάλου, inquit, πριμικηρείου σκιάδιόν ἐστι μέσον λευκοῦ καὶ μέλανος. &c.

De comitibus & Archiatris.

Archiatri. ARCHIATRI dicuntur medici principis. ἀρχὸς enim princeps, ἰατρὸς medicū significat. Homerus:

ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Vir medicus,multis alijs æquandus honore est.

Non igitur hîc summos medicos interpretandum puto,quod alij faciunt:sed medicos principis in aula imperatoria. ἀρχὸς quoque Athenis summus magistratus erat, ut in Galienis scribit Pollio. Formam autem, quomodo constituerentur archiatri, cuilibet discere est facilimum ex Cassiodoro epistolarum libro. VI. ubi ex persona principis: Indulge, inquit, nostro palatio, habeto fiduciam ingrediundi, fas est tibi nos fatigare ieiunijs, fas est contra nostrum sentire desiderium. quæ uerba clarissimè ostendunt, fuisse medicos principis archiatros. Horum & meminit Iul. Firm. lib. III. Etymologiæ autem

A gię autem ratio hoc in titulo non inde deducit, quòd τοῦ ἀρχοῦ ἰατροὶ essent: sed quòd primi, principes'ue medicorum illi existimandi sunt, quos in aula sua imperator haberet: alioquin & archiatrum Aesculapium Augustinus de ciuitate dei III. appellat.

¶ Et quod inferius sequitur titulus, de silentiarijs.) Procopius Persi. belli II. Romani, inquit, ad ea quæ quietis sunt in palatio ministrum, silentiarium uocant; sicuti domesticum, arcanorum principis conscium: ut in eodem opere legitur. *Silentiarij. Domestici.*

De præpositis laborum.

¶ ACCVRSIVS in huius titu. declaratione, anceps nimio plus quàm æquum est fertur: cum antiqua lectio satis probabilis sit, quòd his præpositis subessent mediastini omnes, alijq́ imperatoriæ domus opifices. Illud fortasse fefellit Accursium, quod alibi legerat, ergolabos esse operarios. quæ græca dictio est, ἐργόλαβοι. reperitur autem in l. unica. C. de monopolijs. quam lectionem probarem, nisi ueterum codicum autoritate adducerer, in quibus præpositos libellorum lego. *Ergolabi.* Cæterùm quoniam hîc de labaro quædam Accursius dicit, illud sciendum, uexilli speciem esse labarum alijs nobilius, quod ante imperatores ferri, & à militibus adorari moris esset. erat autẽ auro & preciosis lapidibus opertum: ut Socrates episcopus scribit in tripartita historia, libro primo, cap. V. *Labarum.* Vt inde cognosci possit, quid sibi uoluerit Septimius Clemens in Apologetico, cap. XVI. Sypara illa uexillorum & labarorum stolæ crucium sunt. *Tertul. locus.*

De proximis sacr. scrin.

¶ LEX II. corniculario.) quia in huius dictionis significatu Accursius hîc fallitur: intellige cornicularium, id est, adiutorem principis custodiæ, uel officialis. *Cornicularij.* Asconius: accensi, inquit, dicebantur attributi decurionibus, hoc est, ministri eorum, quasi ad censum additi, quos nunc commentarienses & cornicularios appellant. Valerius Max. lib. VI. cui Cominius tribunus plebis diem ad populum dixit, quòd cornicularium suum stupri causa appellasset. dicitur autem cornicularius in bello accensus decurionis: quo significatu capitur etiam apud Frontinum lib. III. tribuni cornicularius uigiles quosdam excitauit. & apud Tranq. de claris grammaticis: Orbilius corniculo meruit. In palatina uerò militia, cornicularij accipiũtur pro accensis primiscriniorum, uel principis proximorum: quo sensu capitur hæc uox hîc, & apud Maternum lib. II. & Tranq. nam quem ipse in Domitiano appellat Clodium corniculariũ, Dion græcè κλώδιον φίλον dicit: quod quidam prodidere: licet eorum iudiciõ non omnino acquiescam. horum quoq́ mentio est in breuiario Theodosij de officio scriniorum. Cornicines autem alio significatu dicuntur, Vegetio in II. sed hi nihil ad rem præsentem. dicitur autem in hac lege, caput officij, eo modo quo Vegetius dixit, caput contubernij. Sanè magistri ipsi scriniorum ἀντιγράφεις uocant: ut grecus legum interpres scribit.

¶ Lex, iubemus uenalitium.) Venalitij dicuntur negociatores, à uendendo, Plin. lib. XXI. & Ciceroni, & Nonio: præsertim seruorum: inde serui quoq́ ipsi uenalitij dicuntur & uenales. & in hac l. uenalitium munus, quando quis cogit̃ negociari, quod uiro nobili indignũ putatur. *Venalitij.* In sequentibus uerbis, temonis.) lego, teloneis: hoc est tributis & uectigalibus. teloneon locus est ubi tributa fiscalia exigũtur: cuius mentio habet̃ etiam in euangelijs. τέλων exactor ipse, seu publicanus. *Teloneon.* Tranq. in August. nisi fortè quis existimet temonem illud esse tributum, quod Amianus Marc. iugum appellat: qua in re dubito. Sanè Maiorianus in nouellis iugum uidetur mille solidorum censum appellare, ex quibus bini solidi functionis publicæ nomine exactoribus præstabant̃. *Temonis tributum.*

¶ Lex, peculiari usque ad meloproximos, simplici liquida legendum, si deducatur ea uox à græco uerbo μελετάω, quod exercere significat: uel à græco μέλει, quod curæ esse denotat. Nero in epigrammatis:

Ἐμοῦ θανόντος γαῖα μιχθήτω πυρί.
οὐδὲν μέλει μοι, τἀμὰ γὰρ καλῶς ἔχει.
Me terra functo misceatur ignibus.
Id curo nil, mea probe se continent.

quos senariolos ideo libentius adduxi, ut explicatiorem haberes Senecæ in libro de clementia II. Tranq. in Nerone locum. significabit igitur meloproximus eum, qui

se cum proximo sacri scrinij exercet: inferior tamen illo gradu dignitatis. eritq; hoc mo C do cōpositio græcæ & latinæ dictionis. quod etsi ueteres, autore Quintiliano, rarò admiserint, posteriora tamen secula receperūt: nisi malis toto titulo, nō proximos legere, sed prochiros. græci enim πρόχειρους uocant hosce scribas, quòd manu expediti sint. at facilis factu, lubricusq; error, χ græcū in x uertere. potes itaq; legere, meloprochiros. etsi, ne lectionem rear mutandam, non parum me inducat Theodosius, qui ubiq;, proximos, dicit: cui accedit & Amianus, licet corruptus scriptorū uitio autor. sed & potuit ea ratione mesoproximus dici, qua mesonautas Iurisconsulti nuncupauere. alij mellоproximum interpretantur qui futurus est proximus. qua ratione mellonymphum dicunt designatum sponsum, & mellothanaton capularem.

¶ Lex, unicuiq;, ut x v primatum.) iunctim legendum est, x v primatum: erat enim dignitatis nomen, hoc est x v. primarij uiri in scrinijs. Cicero in Roscio Amerino: Itaque decurionum decretum statim fit, ut x primi proficiscantur ad L. Syllam. Græcè dicuntur δεκάπρωτοι. Arcad. in l. ult. de mu. & ho. & suprà diximus: est enim diuersa illa dignitas ab ea de qua loquitur.

¶ Lex, hac parte, Antiquarios.) intellige eos memoriales, qui antiquarum rerū principi memoriam suggerunt. antiquarius enim significat eum qui antiqua uerba interpretatur, qui'ue curat uetera. Iuuena. satyra VI.

Ignotosq; mihi tenet antiquaria uersus.

De agentibus in rebus.

¶ LEX II. pateat cogia.) locū hunc ut menda nō carere credam, facit dictio, cogia, nusq; reperta apud tot scriptores, præsertim tā audaci deriuatione, ut à cogo fiat cogia: cū alij omnes dicāt, coactio: quare nō absurdè putauerit aliquis hîc legendū, elogia pateant, hoc est concedat licentia. elogium enim plerunq; pro licentia ponitur, de quo superius dictum. Alij etiam de uulgatis codicibus habent, copia, quam lectionē probo.

Ducennarij. ¶ Lex, matriculam, ducennarij.) quorū hac in lege est mentio, quem in sensum capiantur, probabiliter certè dubitari potest. nā hoc nomine appellari eos iudices legimus, qui de leuioribus rebus pronūciabant: dicti à censu ducentorum sestertiorum. horum decuria addita fuit ab Augusto Cæsare: ut scribit Tranq. Ducennarij quoq;, ut alij tradunt, capiuntur pro exactoribus, publicanis'ue. ducennaria enim nomen uectigalis est, sicut centesima quinquagesima. Apule. lib. VII. nam procuratorem principis ducēnaria perfunctum, dein fortuna tristiore decussum, orato fueram aggressus. reperit etiam id nomen in alio significatu apud Vegetium li. II. ubi, primus, inquit, hastatus duas centurias, id est ducentum homines, ducebat in acie secunda: quem nunc ducennarium uocant. & paulò inferius: erant Centuriones qui singulas ducebant centurias, nunc centennarij nominantur. Sed in lege nostra, quod erant centennarij, & ducennarij in re militari, puto fuisse hos in domestica familia. Scotus ad Theodosium imperatorem, in schola agentium tradit fuisse ducennarios, qui in præfectorum officio in prouincijs fiebant officij principes: eratq; eis potestas principalis clementiæ adorandæ. nā ducennarium habuisse proconsulem Achaiæ, comitem orientis, præfectum Augustalem, uicarium diœceseos Asianæ scribit: qui in eorū officio scriptorio fiebat princeps. D

Biarchi. ¶ Quod sequitur, Biarchorum,) intellige eos qui emebant necessaria ad uitam totius domus principalis. βίος uitā significat, ἀρχὸς principē. Cassiodo. hist. li. VII. Demosthenis cuiusdā meminit, qui in imperatoris Valentis aula pręerat emēdis obsonijs: cōstitutusq; erat super epulas imperatoris. possumus & legere, biarcei, quòd ita appellent uitæ necessaria curantes. unde epithetum Panos dei, Suidæ, & Archiæ in epigram.

Πανὶ βιαρκέος ἄλλος ἀπ' ἄλλης αὖθαι μοι τριοσοί. conuenit uenatoribus. βιαρκής, uitæ sufficientis.

De Curiosis, & Stationarijs.

Curiosi. ¶ CREDIDERIM curiosos eos appellari, non qui ubiubi delicta fierent denunciabant, ut sentit Accursius: sed tantū qui cōmissa incuria Principis, uel in comitatu præsidum, per omnes prouincias referrēt ad præfectos: unde & nomen sumpsere. alioquin fuisse officium, qui denunciarēt passim delicta, nusquam (ut arbitror) lectum est. Innominatus autor ad Theodosium scribit, in officio magistri officiorū esse curiosum unū

cursus

A cursus publici: item curiosos per omnes prouincias, quos magister officiorum emittit, horum fecisse mentionẽ arbitror Apuleium asini aurei lib. I. non equidem curiosus *Apuleij locus.* sum, sed qui uelim scire cuncta, uel plurima: timentibus enim comitibus, presertim Aristomene, mortem comitis prodere, eos fari audacter hortatur: qui non curiosus, id est delator esset, sed potius libenter plurima scire cuperet. nam eo in loco ueteres codices habent, curiosum. at interpretes legunt, curionem: quæ lectio omnino falsa est. quid enim aliud est esse curionem, quàm uelle scire cuncta, uel plurima? magis itaq; credibile est, eleganti illa translatione uti Apuleium, quàm pugnantia loqui. Stationarij quoq; *Stationarij.* hoc in loco pro his accipiendi sunt, qui fugitiuos & ad hostes transeũtes deferũt, Amiano Marc. autore lib. XVIII. sunt autem hi milites ordinarij, deputati ad aliquem tuendũ locũ in limitibus imperij: dicti, quòd in stationibus habitent, nec uagentur. sanè curiosorum quoq; meminit Maternus libro III. si per noctem fuerint inuenti, erunt publicani, uectigaliarij, uel curiosi. Suidas etiã in uita Chrysostomi, reperiri tradit, ἑλκόμενος ὑπὸ κουριώσου τῆς πόλεως ἐν μέσῃ τῇ πόλει, tractus sub curioso urbis in media ciuitate.

De palatinis sacr. larg.

¶ LEX, scrinijs: quisquis ducennarij numero unus cẽtennarij numeri.) legendum, centennarij numero I. id est, unus: quod alia probatione nõ uidetur indigere. Item in fine: barbaricarij centennarij numero II. intellige in quacunq; centuria duos barbaricos attributos. barbaricarij autem sunt Phrygiones, polimytharij ue, ut diximus superius, quos barbarios alij appellãt: imperator in l. I. suprà de præpositis agentib. in reb. barbaros. nam dictionis huius uaria est significatio. Siquidẽ antiquis illis temporibus, *Barbari.* & Romani ipsi barbari dicti sunt: quod legato Romano apud Aetolos obijcit orator Philippi regis, ut scribit Liu. XXXII. & Plautus linguam latinam, barbaram uocat in compluribus fabularũ prologis. sequenti demũ tempore exempti hoc nomine sunt Latini, cũ iam regna per diuersas prouincias protulissent: ut tamen & Hispani, & Gal-

B li, & Germani, cæteriq; præter Græcos & Italos sic notarent. at sub recentioribus imperatoribus barbari solùm dicti, qui sub imperio Romano non erant: ut Sarmatæ, Persæ, Scythæ. qua in significatione ubiq; capienda est hæc uox Amiano Marcell. & si qui eo tempore scripserunt. & in l. III. C. de seruis fugi. si fugitiui, inquit, serui deprehendant̃ *Lex C. declarata.* ad barbaricũ transeuntes, pede amputato debilitentur. Ammonius in differentijs, barbarum tradit eum, qui Grecus non sit: barbaricum uerò, barbarorũ uel locum, uel rem esse. hodie apud graues uiros barbari existimant̃ qui Christianæ legis non sunt, uel sanguinarij & impij, quales milites gregarij plerunq; sunt. Vtcunq; itaq; capiat̃ id nomen, Phryges ipsi barbari sunt: inde Phrygiones & ipsi barbari dicti: nam & rudis quicunq; dicitur barbarus. Plautus in Milite: nam hoc columnari Poëtæ esse inaudiui barbaro. *Locus Plauti.* taxat enim Næuium poëtam, qui usus erat uerbo barbaro, columnari, quod latinum non est: ut conijcitur ex uerbis Festi Pompeij, in dictione, barbaros. ut iure mirari possimus, quàm infeliciter Plautum declarauerit Hermolaus in corrolario Pliniano. Quod autem hac in l. mittendariorum fit mentio,) Græcus legum interpres: Palatini, inquit, communi nomine dicuntur omnes habitantes in palatio: alij quidem semper in domo Augusti perseuerantes, qui Comitatenses dicuntur. Comitatum autem locum appellant, in quo uitam ducebat imperator. Qui uerò in prouincias mittebantur dicuntur mittendarij, à mittendo nuncio. hæc ille.

De Stratoribus.

¶ STRATORES interpretantur quidã eos milites, seu mercenarios, qui castra præibant, ut loca accommodatiora ad traducendum exercitũ facerent: uel aggeres, tumulos ue æquando, uel struendo pontes, & similia. quorũ mentio apud Vegetiũ lib. II. *Stratores.* habet præterea legio fabros, tignarios, stratores, carpentarios, &c. etsi alij codices habeant, instructores. uerùm ipse in hac rubrica malim, statores, legere: nã hos pro tabellarijs accipi Cicero ostendit. ut intelligamus hîc eos, quos princeps uaria necessitate mittit ad prouincias, ut nuncient aliquid. quibus tenẽtur prouinciales subinde mutare equos, quò celerius eant. uulgus uernacula lingua, equitantes principis famulos uocat. tenentur autem prouinciales eis offerre equos, aliter fisco solidorum nomine sunt

obnoxij. Paulus Diaconus Longobardicorum lib. VI. Rex, inquit, Cunipertus, dum C
post hęc cum stratore suo, seu quem propria lingua marphais dicunt, consilium iniret. Suidas stratorem specię esse dignitatis tradit, ut diuersa suspicer esse officia. Planè quæ Accursius et cæteri hîc scribunt, nec ex autoribus probabilia sunt, nec uerbis legis sat uidentur congruere. Staticulum autem & uehiculi genus est Plinio libro XXXVII.

De Castrensiarijs, & Ministerianis.

¶ HVNC titulum proculdubio corruptum opinor: tum ex eo, quòd Accursius pluribus eum modis legit; tum etiam, quòd dictiones illæ non admodum latinæ sunt. neque
Ministerialis. enim ministerianus, aliquo in autore est unquam lectum: cum alij, ministerialem po
Magisterianus. tius dicant: ut Theodosius, qui in officio castrensium hos connumerat. & si Suidas magisteriani mentionem faciat: cuius dignitatis & mentio est in compluribus authenticorum locis, quæ à magisteriali non uidetur differre: qualem fuisse, Cornelium Saturninum ostendunt inscriptiones ueteres: ut Bononiæ marmoreus stylobata, in Margari
Magisterialis. tæ ædicula memoriam P. Cornelij Saturnini magistralis, Cornelia prima uxor ex indulgentia colleg. signum liberi, basem. C. aulis. D. Sicut ergo & magisterianum, & magisterialem dicimus: ita utrunque dicendum uidetur in ministeriali, ministerianoque: & si apud alios autores hoc, ut præfatus sum, legi nunquam. certè latinè magis dicetur, de castrensibus ministris. Lampridius in Alexandro, castrenses ministros appellat: cuius uerba ideo maximè apponenda censui, quoniam quod horum esset officium, satis explicant. aulicum, inquit, ministerium in id contraxit, ut essent tot homines in singulis officijs, quot necessitas postularet: ita ut annonas, non dignitatem acciperent: fullo
Castrensiarij. nes & uestitores, & pictores, & pincernæ omnes castrenses ministri. Castrensiariorum quoque mentio est in uetustis spectationibus: ut in illo tumulo, qui Mediolani est in templo maiori, T. Ponti Maioris negociatoris silentiarij & castrensiarij.

De Decanis.

Decani. ¶ MODESTVS in singulari libro, quem de rei militaris uocabulis fecit: Decani, in D
quit, erant decem militibus præpositi, qui nunc caput contubernij uocantur. Idem etiam testatur Fl. Renatus libro II. eodem modo dicti quo centenarij, & ducennarij, de quibus suprà in nominibus rei militaris: græcè δίχος, καὶ δεκάνια, ὁ λόχος, idem sunt; & alij appellant ἐνομωτίαν.

De Mensoribus.

Mensores. ¶ MENSORES, inquit Vegetius, & Modestus, sunt qui in castris ad podismum dimetiuntur loca, in quibus tentoria milites figant: uel qui hospitia in ciuitatibus præstant. Theodosius in palatino officio mensorem lampadarijs iungit: traditque eos subditos fuisse præfecto prætorij per orientem. scio mensorem etiam in alia significatione capi, sed ea nihil ad hunc locum.

De priuilegijs eorum, qui in sacr. pal. mil.

¶ LEX, de cubiculi. uel obsequiũ temonariorum, uel pentaprotiæ.) lego πεντεπρωτίας. græca uox est, & significat quinque primorũ munus: quos aliæ sacræ constitutiones, quinque summates uocant. Ipse & quintumuiros appellari puto. ab antiquis enim quicunque magistratus extraordinarij, plerunque ad simile nomen redigebatur: ut duumuiri, triumuiri, quartumuiri, quintumuiri, sextumuiri, decemuiri: quod & in magistratibus municipalibus obseruabatur. Planè dubium est apud recẽtiores Iurisconsultos,
Duumuiri. an duumuiri ius gladij habeant. quos Liuius admonere debuit: qui ab urb. cond. lib. primo scribit iudicasse duumuiros, ut Tergeminus Horatius ficui suspenderetur, quòd sororem interfecisset. quæ opinio & legibus ipsis probabilis est: nam duumuiri fasces habebant, l. duumuirum. C. de decur. qui capitalis animaduersionis sunt indices. ut T. Liuius scribit, & Plutarchus in problem. & Pompon. Iurisconsul. in l. II. de orig. iuris. nam & eos præfuisse carceribus, traditur in l. si quis uxori. §. si fugitiuum. de furtis. quamobrem duumuiros existimo, ex magistratibus municipalibus duos fuisse, qui in reos inquirerent: & nullam ulterius iurisdictionem haberent, ut neque ante eos ex illorum autoritate posset filiusfami. emancipari: nec debitor prætoris decreto contumax, possit per eos iure puniri, nec olim coram eis bonorum possessio agnosci; licet contrarium

rium statuerit Iustinianus. Sed hæc alibi latius cũ certiora cõperta habuerimus. Quod autem in hac constitutione dicitur, temonariorum.) superius admonui, & probabiliter teleonariorum posse legi. Quod & legitur, turmariorum, quos capitularios uocant.) fortasse sunt hîc accipiendi decani, qui turmæ præerant: & alio nomine dicũtur, caput contubernij: ut scribit Vegetius. quod si ita est, uetat imperator, ne decani possint in sui locum palatinos subrogare. sanè capitulum, non solùm latinè paruum caput hominis significat, ut apud Terentium: sed etiam particulam opusculi, ut apud Vlpianũ l. prima, & de testa. mili. ut parũ iure agant, qui idipsum in suis disputatiunculis negant. *Capitulum.*

De priuilegijs scholarum.

¶ SCHOLARES hîc intellige militantes in sacro palatio: nam & schola militum, dicitur Vegetio, Seuero Sulpitio in Martini uita, & cæteris: sicut schola literarum à Græco σχολὴ, id est, ab ocio. meminit Cicero in Tuscul. sanè negant plerique eruditi uiri, scholarem, latinam esse dictionem: sed pro ea utuntur græca, scholasticus: quorum in sententiam ne eam, me multùm mouet eloquentissimi uiri Fabij Quintiliani autoritas lib. II. de officio discipulorum: ubi in ipsos, inquit, cœtus scholarium læti & alacres conueniunt. si modò emendata apud eum est lectio. *Scholares.*

De Perfectissimatus dignitate.

¶ TRADVNT recentiores Iurisconsulti, quatuor esse dignitatum species. ex quibus quidam sunt illustres, superillustres alij, quidam spectabiles, quarti clarissimi. tu uerò his quintum adde gradum, perfectissimorum, ex hac constitutione. unumquenque autem magistratum sub horũ aliquo gradu collocant: puta patritios, & senatores, superillustres: consules, præfectos prætorio, illustres: sicut spectabilẽ præfectum urbis, prætorem, proconsulem: præsidem uerò prouinciæ, clarissimum. Sed ipse aliter reor: neque enim omnes præsides erant clarissimi, uerùm & perfectissimi quidam, prout dignitas prouinciæ requirebat, ad quam regendam mittebantur: qua de re alibi à nobis disfusè scriptum est. *Dignitatũ species quot sint.*

De re militari.

¶ L. contra, seu de castris riparensibus.) riparenses hîc accipiendos puto pro his militibus, qui in imperij limitibus excubabant pro republica aduersus barbaros: puta in ripis Danubij, ad tuendas Pannonias aduersus Sarmatas: & in ripis Euphratis, aduersus Parthos. Herodianus li. VI. oppugnabat, inquit, Artaxerxes Persarum rex Romanorum castra, imposita fluminũ ripis: quæ scilicet imperij limites tuerentur. & paulò inferius: nunciatũ est, Germanos Rhenum, Danubiumque transgressos, in fines Romanos hostiliter intrasse, oppugnareque exercitus ripis insidentes. Idem & alibi cõpluries. nam ut Tacitus li. XVIII. & Herodianus li. II. prodiderunt: cum stante republica Romana, omnes Itali semper in armis fuissent, primus diuus Augustus alienigenas milites mercenarios habuit, qui Romanũ tuerentur imperium: tum fluuiorũ magnitudine atque fossarum, tum montibus asperrimis, & imperuijs desertisque locis. *Riparenses.*

De castrensi pecul.

¶ L. ius castrensis, legione prima adiutrice.) Accursius in interpretatione huius uerbi, adiutrice, se plurimum inuoluit, atque uix explicat. sed omisso quod ipse senserit, scire debemus, adiutricẽ hîc pro legionis cognomine poni, cuius mentio Plut. in uita Othonis, Cornelio Tacito, & cæteris. Hoc enim legionis Othonianæ nomen erat, quæ cum rapace Vitellij conseruit manus: mutabantur tamen plerunque hæc cognomina. nam Spartianus in Hadriano, primam legionem appellat, mineruiam: & secundam quoque adiutricem dictam, ostendunt antiquæ inscriptiones. *Adiutrix legio:*

De erogat. milit. annonæ.

¶ L. prima repetita consuetudo.) id ab imperatore dictum est: quoniam etiam apud ueteres erant huiuscemodi cibi militares, quales describunt hîc. Spartian. in Hadr. ipse quoque inter manipulos uitam militarem magistrans, cibis etiam castrensibus in propatulo libenter utens, hoc est, larido, caseo, & posca: exẽplo Scipionis Aemiliani & Metelli, & autoris sui Traiani. Quid autem in hac lege sit, buccellatum, ostendit Amianus Marc. lib. XVII. firmatoque consilio triginta dierum, frumentum ex eo quod erat in se- *Buccellatum.*

dibus, consumendum, ad usus diuturnitatẽ excoctum, buccellatũ uocant, humeris mi litum imposuit. dicitur autẽ à buccea, quæ est frustulũ panis, quantum cõmode bucca capere possit. Augustus apud Tranq. post horam primã noctis duas bucceas manducauit. Inde fit buccella, Martiali. Buccellarij autem Gallogræci uocabantur, & Buccellariorũ regio, Gallogræcia, ut est apud Suidam. Sunt & buccellarij equites cataphracti per orientem, qui suberant magistro militum, ut ad Theodosium imperatorem in breuiario legitur.

Buccellarij.

Stellaturæ. ¶ L. septem diebus stellaturæ.) uocabulum hoc inuentu rarissimũ, interpretare ut ferè tesseram frumentariã significet, nisi quòd tessera gratuitũ frumentũ plebi dabatur, stellatura uiliore precio annona militibus uendebatur, idq; à parocho seu opinatore, qui à munificibus paganis acceptas species adærabat, id est æstimatas in militare ærarium (magazinũ uulgò uocãt) referebat, ut nomine stellaturę distribuerẽtur, quod & hac ex constitutione & alijs pluribus ostendit. Hinc Pesennius Niger imperator, ut est apud Spart. duos tribunos lapidibus obrui iussit, qui militum suorũ stellaturas acceperant. Lampridius in Alexand. annonã militũ diligẽter inspexit: tribunos, qui de stellaturis, militibus aliquid tulissent, capitali pœna affecit. puto dictas à stellis: ita enim Plinius li. VI. columnas, seu pilas appellat, in quibus fœdera scribebantur. capiuntur etiam pro quocunq; signo, etiam militari: nam & sedile collocatum in suggestu, Amiano undeuigesimo lib. stella regalis, cum aureo puluinari, nullo uetante direpta est. nisi inemendatus est codex: & uerius legendum sit sella: sed & de stellatura nobis alio loco dicetur.

Amiani locus.

De militari ueste.

¶ PROVINCIAE Tarsiarum.) Tarsus Ciliciæ ciuitas, à Perseo condita. sed & legi potest, Tracheæ. Sextus Aurel. Victor in Vespa. Syria, inquit, seu Palæstina, nec non Cilicia, Trachea, & Comagene, quam Augustofratensem nominamus, &c. Verùm hìc malim legere, Thraciarum. Et paulò inferius, missia.) Mœsia uerior lectio. est autẽ duplex, superior & inferior. legito Plin. Scotus Mœsiam primam & secundam nominat: sicut Armeniam primam & secundam: quod & de Cappadocia refert in Pontico tractu: diuisæ enim ita erant, & quælibet suum habebat præfectum.

Mœsia.

¶ Exceptis Ostereæ natis, & Osienia, & Isaria.) castigatius puto legi, Orthodosiæ natis, & Osrhænia, & Isauria. Orthodosia in Asia est trans Męandrum, de qua Strabo lib. XIIII. potes etiam legere, Ostroëne natis: quoniam Ostroën Suidæ urbs est diuersa, ut suspicor, ab Osrhænia, quam conterminam Parthis suprà diximus ex Herodiano. Isauria uerò cognita omnibus.

[illegible]troën.

De metatis & epidimeticis.

¶ RECENTIORES quidam legunt, epimetaticis. cuius quidem uocabuli significatio, ut ipsi arbitrantur, inscriptiones continet, quæ à mensoribus fiebant: puta in ualuis ianuarum, quibus significabatur, quis in ea domo hospitaturus esset. domus ipsæ, metata dicuntur: quam uocem numero singulari prolatam reperio à Cassiodoro lib. IIII. historiæ: Et primum quidem interrogare militem, quis eum ad metatum duxisset episcoporum. Ipse à ueteri lectione nil immutare ausim: quoniam mensores, inquit Vegetius, & Modestus, etiam dicuntur qui hospitia in ciuitatibus præstant: unde & dimensores. à qua dictione potuit deduci, epidimetica, eo significatu quo epimetatica capiunt: & si hæc quoque deductio non admodum latina sit. sed quid si legerimus, epidemeticis? ut ita appellari credamus hosce metatores, quoniã in urbibus metarentur. ἐπιδημέω enim idem ualet, quod ad ciuitatem in rem præsentem uenio. Metatores autem sunt, qui præcedentes locũ eligunt castris, ut scribit Vegetius. Erunt fortasse quibus epideigmaticos, hoc est demonstratores legere placebit: quod uix probo. Sanè Iustinianus in auth. ut nulli Iud. uidetur epidemetica accepisse pro collatione pecuniæ, quam à ciuibus extorquebant milites, ne in eorum domibus hospitarentur. quam significationẽ & hìc probo propter l. omnes, huius tituli hos. metatores uulgò forerios uocant. ab inscribendis ut arbitror foribus.

De Salgamo hospitib. non præbendo.

Salgamum. ¶ SALGAMI appellatione uenit oleum, sal, butyrum, & huiusmodi esculenta ad condiendum

diendum: atque etiam alia indies neceſſaria, ueluti ligna: Auſonius.

Salgama non hoc ſunt quod balſama, cedite odores.

meminit & Columella in carminibus:

Tempore non alio uili quoque ſalgama merce.

De numerarijs actuarijs.

¶ LEX, actuarij chimeleæ.) hanc urbem nõ reperio inter Coſmographos: quare forʒtaſſe legendum eſt, Cyreneæ. ea eſt primaria Aphricæ urbs, patria Callimachi, prius Calliſto, dein Thera, poſt Cyrene dicta, nemini non celebrata urbs. Amian. XXI. libro: Aegyptus fertur habuiſſe temporibus priſcis Aegyptum ipſam, & Thebaidem, & Libyam: quibus duas adiecit poſteritas, ab Aegypto Auguſtanicam, & Pentapolim à Libya ſicciore diſſeparatam. In Pentapoli Cyrene poſita eſt urbs antiqua, ſed deſerta, quam Spartanus condidit Battus, & Ptolemais, & Arſinoë, eademque Ianchyra dicta, & Darnis, & Berenice, quam Heſperiadem appellant. Verùm apud Amianum corruptiſſimus eſt hic locus: in quo baptus pro Batto, cura pro Cyrene, berenie pro Berenice legitur. Seruius tamen in IIII. Aeneid. Barcen agnoſcere uidetur Pentapoleos urbem: unde Barcei Vergilio. Sanè Darnis hîc, ut arbitror, appellatur, quæ alio nomine Plinio & Stephano eſt Apollonia in Libya. Rufus Feſtus: Cyrenas cum cæteris ciuitatibus Libyæ Pentapolis, Ptolemæi antiquioris liberalitate ſuſcepimus.

Cyrene. *Auguſtanica.* *Pentapolis.* *Amianus emendatus.*

De curſu publico.

¶ QVID ſit curſus publicus, ut breuiter explicem, ſciendum eſt, per diſpoſitos locos prouinciarum habuiſſe imperatores quoſdam equos, qui ſumptu publico alebantur: ut quoties repentinum aliquid accidiſſet, mutatione equorum citiſſimè quô uellet imperator, poſſet mittere quemcunque nuncium. uulgus poſtas uocat: alludens latinæ dictioni, quòd in his ſint diſpoſiti equi: quorum etiam mentio apud T. Liuium. Verùm in hoc hæ differunt à curſu publico: quod hîc ſumptu principis alebantur equi, & ſine eius licentia, quam tractatoriam, aut euectionem, aut diploma uocant, priuatus nemo eis utebatur: ſed in præſentiarum priuato ſumptu res agitur, eſtque inde conducti locatique actio. hiſce etiam equis ibant in prouincias præſides publico ſumptu. Amianus lib. XXI. Præfectus prætorio Taurus, ut hoſtem uitaret æternum, inde diſceſſit: uectusque mutatione celeri curſus publici, tranſitis Alpibus Iulijs, eodem ictu Florentinũ itidem præfectum ſecum adduxit. meminit & Caſſiodorus lib. XI. appellatur etiam curſus fiſcalis. Spartianus in Hadriano: curſum fiſcalem inſtituit, ne magiſtratus hoc onere grauarentur. ut horũ autorum ſenſus cęteris incogniti tandem dilucescant. Sex. Aurel. Victor: Conſtantius, inquit, ad fruſtrandos inſequentes, publica iumenta, quacunque iter egerat, interfecit. meminit & Maternus lib. III.

Curſus publicus.

¶ L. parphiphum.) lege, parippum: ut intelligamus eum, qui præter numerum in tractatoria comprenſum, uehiculum, uel equos agit: παρὰ præter, ἵππος equus. hinc ephippia, ornamenta ſunt equorum. parippi meminit non ſemel in epiſtolis Iulianus: ἄξει δέ σε δημόσιος δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνὶ καὶ παρίππῳ. ducet te publicus curſus uno utentem uehiculo & parippo uno: quod & alij annotarunt. hinc Suidas παριππεύσαντες interpretatur præter rectum iter currentes.

Parippus.

¶ L. quoniam ueredorum.) interpretatur Accurſius hîc, auertam, equorum pectorale eſſe: quæ dictio ſanè repertu rara eſt. Græci λέπαδνα dicunt coria lata circa pectus equorum. Verùm ut Accurſio in hoc hæream, facit: quia ſicut poſtilenam Plautus in Caſina appellauit incuruum illud corium quod à ſella in caudam deſinit, uulgò cropériam uocant, ab eo quòd poſt ſellam ſit: ita etiam potuit deduci auerta, quòd antè collocetur. Sed quid ſi capitis ornamentũ quo habenæ figuntur, intellexerimus? ab auertendo, quòd equi per eam uertantur, prout ſeſſori uiſum eſt. Gręcus interpres auertam interpretatur ſubalaria lora, quæ uehicularis equi humeris ſuſtinẽtur. Quod ſequitur, centenarium.) Suidas centenarium eſſe arbitratur nomiſmatum quantitatem. ut hîc intelligenda rear ornamenta in modum nomiſmatis, quæ pectoribus equorũ affiguntur. alibi appellantur, cucumæ: qua tamen in re dubito, cum non uideam qua ratione Suidas dictionem numeri generalem, de auri ſolùm quantitate intelligat.

Auerta. *Centenarij.*

Hippocomi. ¶ L. non patimur ypocomos.) legendum, hippocomos, id est, stabularios, qui equos curant. ἵππος enim equum significat: κομέω, nutrio, curo. existimo autem fuisse munus publicum eorum qui in id agebantur, ut de prouincialibus acceptos causa publici cursus equos, cura sua alerent. Et quod sequitur, sageorum.) corrige, saga eorum. Sagum uestis est militaris: ἐφεστρίδα Græci uocant. Plutarchus in Lucullo: non absimile fortasse ab eo quod uernacula simplicitas, saium, uocat. sanè quod de hippocomo dixi, ut probabile est latinè scientibus: ita etiam uulgari alludit consuetudini, qui hosce homines, qui armati equestres sunt, hippagios appellant.

De Tractatorijs & Statiuis.

¶ LEX, tractatores cum statuis.) lego, statiuis: quæ uox etiam in rubrica corrigenda est. *Statiua.* statiua enim dicuntur loca in quibus aliquis moratur, à stando. unde & legimus: *Tractatores.* Cæsar statiua habuit castra. frequens & usitata scriptoribus uox. Tractatores uerò hîc capiuntur pro his, qui tractatorias habent, id est, licentiam adducendi equos in cursu publico: quam C. Plinius in epistola ultima ad Traianum, diploma appellat. Venuleius Iurisconsultus in l. continuus. de uerborum obligationibus. non debet, inquit, diplomate diebus & noctibus continuare iter, omni tempestate contempta. Cuius uerba Pliniũ ipsum declarant, ante nos uix per coniecturas explicatum. *Plinij locus.* Sanè de cursu publico suprá. diplomatũ hoc sensu meminit etiã Cornelius Tacitus in Othonis morte.

De Apparitorib. Procons. & leg.

Legati proconsulis. ¶ DVBITANT nostræ ætatis Iureconsulti, quot legatos habuerit proconsul: nam alij unum, alij plures habuisse opinantur: & adhuc sub iudice lis est, in l. penul. de officio eius cui. sed & si hic titulus eorum adiuuet opinionem, qui unũ illi attribuunt: tamen treis eligere solitum potius crediderim. tum quòd & consuli tot numero dabantur: ut est apud T. Liuium libro XXVII. quos petierat ad consulem tres legati missi, Sex. Iulius Cæsar, L. Licinius Pollio, L. Cincius Halymetus. tum etiam, quòd exploratissimum apud me est ex Ciceronis epistola prima ad Quintum fratrem: ubi illi gratulatur Asiæ proconsuli, quòd treis legatos optimos legerit, Tuberonem, Halienum, Gratidium: nisi ex prouinciæ qualitate nunc plures, nunc unum tantum accessisse legatũ crediderimus: quod mihi uero similius uidetur.

De Cohortalibus.

Cohortales. ¶ IN hac rubrica malim legere, cohortalibus, quòd in domestica militia alicuius cohortis essent. uidemus enim à re militari sumpta nomina fuisse inter palatina officia, ueluti decanos. nam & Scotus cohortales, cohortallinosq; ubiq; scripsit: ut est in uetustissimo exemplari, quod ex BASILEA Germaniæ allatum est in Italiam: quam lectionem uisus est agnoscere imperator in l. officia. infrà eo. ti.

¶ L. solita bastagiæ.) Munus hoc est ferendi res necessarias ad exercitum. βαστάζω, porto. inde bastagiarij, de quibus suprá.

¶ L. quicunq; per osdrozenam.) Osrhæniam legi debere aliâs admonui ex Herodiano, & si dictio hæc diuersissimè legatur apud autores: quæ tamen uox apud antiquiores à me nusquam lecta est.

¶ Lex ordinariorum, post primipili pastum.) Accursius in hac dictione uacillat, & nunc ueterem dictionem agnoscit, nunc legit, fastum: sed mihi prior lectio placet, ut dixerit, pastum, propter annonam, quæ dabatur primipilo, differentem à cæteris: quod lex sequens ostendit: & si Accursius ridiculam afferat interpretationem. Sanè παστὰς thalamum significat Leonidæ Græco poëtæ, & alijs: παστὸς quoq; eodem significatu. hinc pastophori dicti Apuleio, Hieronymoq;: quos ex Horo in Hieroglyphicis, æditūos rectè dixeris.

De diuersis officijs.

¶ LEX agentium, comitis phœniceseos corsone.) Phœniciæ Osrhæniæ lego: quamuis Corsiæ urbs Bœotiæ sit, autore Suida. Syriæ.) nota hæc ex scriptoribus. illud non omittendum, hortos pensiles, qui Babyloniæ erant, ab Assyrio quodam rege fabricatos in gratiam pellicis: ut scribit Diodorus lib. III. hinc apud Martialem: *Martialis locus.*

Assyrius iactet nec Babylona labor.

Ita enim

Ita enim est legendum, non assiduus. planè totum illud epigramma ex græco Antipatri translatum est: καὶ τῶν τ' αἰώρημα κῆπων, ἠελίοιο κολοσσόν. Plini. libro. XI. antiquitas mirata est pensiles hortos: siue illos Semyramis, siue Assyriæ rex Cyrus fecerit. Diodorus Syrum appellat, non Cyrum: ut necesse sit alterutrum codicem corruptum. libens in hæc diuerticula plerunq; transeo: quoniam ea in se non minimã uidentur habere utilitatem. Libyæ pentrapoleos.) pentapoleos: quæ autem sit pentapolis, suprà ex Amiano quædam retuli, & Rufo Festo. Mysiæ.) Mœsiæ legendum. nam Mysia hic haud quaquam in proposito facit. corrupta hæc locorum prouinciarumq; nomina, ita corrigenda sunt: quorum si quis maiorem uelit habere notitiam, cosmographos adeat.

De Primipilo.

¶ PRIMIPILVS est centurio decimę legionis. nam decumana legio nobilior erat cęteris, cuius centurio dicebatur Primipilus: ut tradit T. Liuius li. VII. ab urbe condita. Veget. li. II. Vetus, inquit, consuetudo tenuit, ut ex primo principe legionis promoueretur centurio primipili: qui non solùm aquilæ præerat, uerumetiam quatuor centurias, hoc est CCCC. milites gubernabat in prima acie. hic tanquam caput totius legionis merita consequebatur & præmia. Suidas, Primipilarius, inquit, maiorẽ dignitatem inter milites habens, à Romanis appellatur. Innominatus græcè legum interpres, primipilum tradit militarem annonam esse. cui opinioni ut accedam, facit lex tertia huius tituli: quæ aliter intellecta, omni ratione prorsus careret: mutantᵋ enim quæ nunc sunt in honore uocabula, si uolet usus, Horat. aut. quam interpretis sententiam etiam adiuuat l. speciebus. in superioribus titulis, de cohortalibus. nec tamen omnino absurda est hæc declaratio: nam cum primipilus in legione primus esset, cõsequebatur omnia legionis cõmoda: ut retuli ex Vegetio. & cõsequenter annona quoq; militaris illi concedebatur diuidenda per capita militum: ut tandem ueritati locus sit, quam Accursij, Bartoli, Abbatis Siculi commenta in hoc articulo obtexerunt tenebris. Primipilus.

Publicæ letitiæ.

¶ LEX unica, fastus si honor datus fuerit.) Accursius interpretatur fastus: quia homo sit fastuosus. sed id omnino mihi non arridet. siquidem, fastus, inter alia significata librũ quoq; denotat, in quo leges & consules scribebantur. inde fastus honor, qui in lib. Fastorum refertur. plura de hoc ex Ouidio, Val. Max. Lucano tradunt grãmatici. Quod sequitur, sine modico.) immodico potius legendum, sicut in rubrica fecit Accursius, nec enim uerisimile est uetari largitionẽ paruã pro euangelio. Græci enim mercedem allati nuncij secũdi, εὐαγγέλια dicũt. Cic. ad Atti. O suaues duas epistolas, quibus euangelia deberi fateor. meminit & Plut. in uita Demosthenis, & Isocrates in Areopago. quæ uox in l. falsus. §. qui alienũ. ff. de falsis. est reponenda in uacuo ob græcas literas loco. quãuis alij malint ibi legere μήνυτρα, hoc est, indicij præmiũ: quod non improbo. Locus in ff.

F I N I S.

ANDREAE ALCIATI AD ILLVSTREM

REGIVM SENATOREM, CLARISS. Q. IVRISconsultum, Iacobum Minutium, in Prætermissorum libros duos, præfatio.



VM morum tuorũ institutiones, uiuendiq; modum cõsidero, tantæ mihi admirationi es, clariss. Minuti, ut hominem te omnium bonorum usui natum, ubiq; prædicare non desinam. qui nõ satis duxeris, in dies & horas, quæ tui muneris sunt, diligenter exequi, nisi & in eo quoq; te exercueris: ut quoscunq; uel eruditione insignes, uel plurimarũ rerum scientia perornatos, uti studia sua in publicũ proferant, orationis uiribus & persuadendo compellas. ex quibus unum cum me arbitrareris (nimirũ hac in re hebeti tantũ iudicij acie) precibus tuis, quæ mihi pro iussu sunt, ut per impressores tractatus hosce meos diuulgarem

adegisti, quod, quæ tua est autoritas, denegare tibi nequaquã ausus sum: quanquam C
multa essent, quæ me de hac sententia ut decederẽ, impellere poterant. uidebam enim
in omnes, quæ de operũ æditione leges traderentur, me cõmittere, tyronẽ in primis, &
non satis expertũ: sed & uirium mearũ iniquum te æstimatorẽ: tum & opus festinatũ
& informe, quod diutina lima indigeret: præponendumq; idcirco nobis ante oculos
ursæ exemplũ: quæ cum informes catulos ædat, diu lambendo in animantis sui similis
effigiem deliniet: uerùm neq; Flacci præceptũ me obseruasse, quo in nouenniũ diffin-
di diem debere existimat. Meritò itaq; id negocij differebã: cum tu omnis moræ impa-
tiens, extorsisti ut æderẽ, cessi iudicio tuo: quod longè cõsummatissimũ iandiu antè ex-
pertus fuerã. quapropter si insurgent aliqui, quibus quantulacunq; hæc nostra non ar
rideant: tui certè erit muneris, sententiã tuam defendere: ne Iurisconsultus tu, alioqui
celeberrimus, malè mihi cautã rem fecisse dicaris; quanquã nihil est quod formidem,
Teucro duce, & auspice Teucro. non enim me latet, quantũ lota (quod ille ait) aure sis,
quamq; egregius patronus, ubi animũ intenderis. uidit certè id integerrimus pruden-
tissimusq; uir Antonius Pratus, cuius suffragio ad honestissimã hanc senatoriã digni-
tatem ascẽdisti: in qua hercle designatione se optimi iudicij, qui te honori parẽ cogno
scebat, & probatissimi animi hominẽ præstitit: qui ambitione sordibusq; inconcussus,
non alia re ductus, magistratũ hunc in te contulit, quàm quòd Pontificię ciuilisq; legis
acutissimũ interpretem fuisse Aureliano in gymnasio sciebat. V t igitur beneficia in di
gnum hominẽ conferret, te potissimũ delegit: memor uidelicet consultiss. uir uersiculi
antiqui fuerat, beneficiũ dando accepit qui digno dedit. tu enim is es, in quo uerè pos-
simus dubitare, an tibi dignitas, an potius tu dignitati plus ornamenti conferas. Sed
quid hæc ego? quasi uel nunc primùm in te hæc sim admiratus, uel tu istis laudibus in
præsentiarũ egeas: quẽ nemo nõ quotidie laudat, extollit, prædicat. animaduerti sæpe
cum tecum de difficilimis iuris quæstionibus dissererẽ, tam acutè, tam eleganter te re-
spondere solitũ, ut nihil suprà. qua admiratione captus, Homericũ illud insusurrabã: D
ἀνὴρ γὰρ πᾶσιν ἀμείνων ἔργοισιν τελέθει, εἰ καὶ πόθεν ἄλλοθεν ἔλθοι. meritò itaq; tuo iudicio parẽ-
re necessariũ mihi fuit. quapropter si quicquã hinc opis ad studia sua aliqui acceperint,
hi tibi debebunt: qui cum libros hosce adhuc supprimerẽ, & mihi ipsi nullo modo sa-
tisfacerem, Horatianumq; præceptũ sequi in animũ induxissem, non potuisti tantum
temporis expectare: sed ut es eloquens, & periclea illa πειθὼ γὰρ τοῖς χείλεσιν præmodum
excellens, coëgisti ne amplius remoram facerẽ, & qualecũq; opus in tui gratiã æderẽ.
quæ humanitas non in me solùm, sed in studiosos omnes, & bonarũ literarum culto-
res tua, tantis laudibus digna est, ut breui futurũ arbitrer: cum talem de literis curam ge
ras, cum fauoribus & beneficijs doctos prosequaris, ut passim nomini tuo dicentur
optimi codices, decantentur in laudes tuas encomia, recitentur panegyrici: sisq; qualis
Ethruscus eques Mecœnas, in cuius gratiã nemo nõ scribebat: sed eò tu melior, quòd
non solùm audire, atq; ea legere paratus sis, uerumetiã de autorum peritia iudicare. re-
peterem hîc ingens ingenij acumen, maximã rerum cognitionem, summã æquanimi
tatem tuã, nisi has uirtutes à cæteris, quàm à me mallem prædicari. Ipsi enim mihi, qui
tecum assiduè conuersor, qui coràm omnia uideo, ita ad dicendum ob admirationem
lingua hæsitat: sicut his caligant oculi, qui de proximo nimis inspiciunt. quantũ cre-
dis me admiratũ cũ successiuis horis, & ut Græci dicunt, παρέργως, Atticæ linguæ ope
ram dares: tam modico tempore te profecisse, ut præceptor ipse tuus Valterius Corbe
tes, iuuenis nobilissimus, & mihi cõmercio studiorũ perquam charus, dicere græcum
illum de te uersiculũ non dubitauerit: πολλοὶ μαθηταὶ κρείσσονες διδασκάλων. Sed hæc ha
ctenus. uereor enim ne dum pluribus tecũ ago, in omniũ fortasse utilitatem delinquã,
in qua nunquam desinis esse occupatissimus: dum constantissimus uir nunquã incas-
sum tẽpus teris, dum domi aduocatos audis, dum ius ciuile adamussim perpẽdis, dum
in senatu sententiã dicis: forisq; nunc ad Eluetios pacandos legatus, nunc ad regiam
maiestatem nuncius uadis: ut de te illud prædicare possim, quod de Alexandro Mace-
done Parmenio: ô strenuũ hominem, & nunquã cessantem. accipe igitur nomini tuo
dicatum opus, quod Prætermissorũ titulo insigniui, Græcos, Hebræosq; ueteres imita
tus;

A tus: quorũ Quintus Calaber, & eo longè antiquior quiſquis fuit ille Hebræus, τὰ παραλειπόμενα conſcripſere. cum enim in iure multa ſint quę ſine cognitione ſtudiorũ humanitatis percipi nequeant, à cæteris operibus ea ſegregaui: & in hunc locũ congeſſi, ne inter tetricas illas (utinã non etiam odioſas) quæſtiones, hæc noſtratiũ Doctorum iudicio ſordeſcerent. Cæterùm & hæc noſtra libellorũ nuncupatio Saluij Iuliani, qui & ciuis meus fuit, exemplum præ ſe fert: qui πολυγραφώτατος uir, inter cætera, etiam in iure ciuili libros ſex ad Minutium ſcripſit. quem tu fortaſſe inter maiorum tuorũ ſtemmata habes: uel cuius certè perſonam induiſti, ſi uera περὶ τῆς παλιγγενεσίας Pythagorici crediderunt. Bene uale. Mediol. Nonis Ianuarijs. M. D. XVIII.

ANDREAE ALCIATI

IVRISCONS. MEDIOL. PRAETERMISSORVM LIB. I. AD MINVTIVM.



ACEPHALI dicti ſunt quidam peruerſi dogmatis ſectatores, qui hæreſeos ſuæ propriũ autorem nõ habebant, unde id nomen ſortiti, quaſi ſine capite. ἀκέφαλος. in his fuit Seuerus neſcio quis exarchus, ut eſt apud Suid. ℂ Agapes conuiuia pauperum interpretatur Gratianus. XLII. diſtin. ipſe à præceptoribus accepi ἀγάπην dilectionẽ ſignificare, non conuiuiũ: quare fortaſſe ibi non agapes, ſed eilapinas, εἰλαπίνας legendum aliquis opinabitᷣ: ſignificat enim id conuiuiũ, quod ad magnificentiã præparatᷣ, ut ſi quis omnes pauperes cœna accipiat. Homerus εἰλαπίν' ἠὲ γάμος. declarat id etiã Euſtathius. nihil tamẽ ego cenſeo immutandum: quoniã apud Tertullianũ Cyprianũq; Chriſtianorũ cõuiuia hac uoce appellari ſolita reperio. ℂ Albũ, matricula
B ſeu pictatium, in quo nomina iudicũ deſcribebantur. Plin. quid te iudicem facis? cum hanc operã condicerem, nõ eras in hoc albo. Rurſus in quo prætores edicta ſua deſcribebant, græcè λεύκωμα dicitur Iul. Poll. ut errent qui parietẽ dealbatũ tradidere, qua in ſententia eſt Suid. ℂ Arabarches, ex ſtat. impp. Val. Grat. Theod. conſtitutio in hæc uerba: Vſurpationem totius licentiæ ſubmouemus, circa uectigal arabarchiæ, per Aegyptum, atq; Auguſtaneã conſtitutũ: nihilq; ſuper transductionẽ animaliũ uendicari permittimus, &c. quæ uerba indicant arabarchen, præfectũ fuiſſe exigendo uectigali de pecuarijs, quæ ex Arabia in Aegyptũ deuehebantur: ut ſit illud nomen officij publicanorum. meritò ergo Iuuenalis, Ti. Alexandrum natione Aegyptiũ (ut Tacitus lib. XVII. ſcribit) taxans, arabarchen appellat: Atq; triumphales, inter quos auſus habere Neſcio quis titulos Aegyptius: aut arabarches. ut nõ immerito damnãdi ſint, qui ſimpliciter mollem accipiũt, idq; æditis annotationibus probant. quapropter & in epiſtolis M. T. ad Atticum, appellat arabarchen M. Antonium, quaſi Aegyptium publicanum: extorquebat enim ab illis ingentia uectigalia: unde pecuniã conflaret, quã deinde prodigeret: ut eſt apud Plut. memorat & Euſebius Cæſarienſis lib. II. ſacræ hiſtorię Alexandrum arabarchen: & etiam Ioſippus lib. ult. de antiquitate Iud. apud quẽ Rufinus, præfectum ſalis interpretatur, quaſi ἁλασάρχην legiſſet. qua in re dubito, ne ſicut in alijs pleriſq;, in eo quoq; fallatur Rufinus: quem laceſſere nunquam deſinit Hieronymus. ℂ Anachorita monachum ſignificat, quaſi ſecedentem & ſegregatum à cæteris. ἀναχωρέω, ſecedo. ℂ Apocha cheirographum ſignificat, quod confeſſionẽ uulgò dicimus: cum enim debitor ſuam fidem liberat, de receptis cheirographum à creditore accipit. id apocha, ἀποχὴ dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀπέχειν. inde apocha receptionẽ quoq; ſignificat. qua ratione uiceuerſa antapocham dicimus, quam debitor creditori facit, in præſtationibus annuis neceſſariã, propter præſcriptionem & ſimilia. Apochæ in hunc ſenſum mentio eſt apud Lucilium lib. epigr. II. εἰς νομικούς.

φαῖδρος πραγματικὸς καὶ ζωγράφος ἤριζε ῥοῦφος, τίς θᾶσσον γράψῃ, καὶ τίς ὁμοιότερον.
ἀλλ' ὁ σοφὸς ῥοῦφος τρίβεν τὰ χρώματ' ἔμελλε, φαῖδρος ἔγραψε λαβὼν εἰκονικὴν ἀποχήν.

Acta notans Phædrus, pictor quoq; pignore certat

Rufus, uter citius ſcribat, uter propius. C
Sed dum concretos terit hic, ſoluítq; colores,
Deſcripſit uariam protinus ille apocham.

quo in epigrammate Demetrius ἀποχὴν diſtantiam uertit, nimirum iuris uerbum illud eſſe ignorans. ¶ Antiades, de ædilitio edicto legendum eſt apud Vlpianũ li. I. ad edictum ædilium curulium, nõ antiacas, ſignificant id morbi genus, cum tonſillæ poſt inflammationes induruerunt: cui malo pharmaca adhibent Plin. Celſus, & cæteri. ¶ Antidora græca uox eſt: remuneratione dicere poſſumus: ἀντίδωρον: ſicut & antipherna, ἀντιφερνὴ, quod uiciſſim à marito loco dotis uxori daẽ. de hoc ſenſiſſe Cæſarẽ in VI. cõmentario Gallici belli exiſtimo: Viri quantas pecunias ab uxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex ſuis bonis æſtimatione facta cõmunicant. φερνὴ dotem ſignificat. inde parapherna dicta, quæ ultra dotem dantur. ¶ Antinomia, contrarietas legum, ἀντὶ καὶ νόμος. ¶ Analogiſten tutorem dicere poſſumus ratiocinatorẽ: ἀναλογίζομαι ratiocinor. quamuis apud Iul. de adminiſt. tut. placuerit legi, alogiſtas, quaſi rationes reddere non teneantur. λόγος ratio, inde λογιςὴς dictus & ἀλογιςὴς. ¶ Archimandritæ, id ſignificat quod dicimus abbatẽ. priſci enim illi monachi heremos colentes ἐν ταῖς μάνδραις, id eſt in ſpeluncis & cauis montiũ habitabant: quod nõ uno in loco apud Hieronymũ legere eſt. Sidonius Apoll. li. epiſt. VIII. Palæſtinos archimandritas nominat. apud quem paraphraſtes ſuus dictos putat, quaſi principes ſint mandræ & agminis. quod non probo. quid enim brutorũ conuentus cum ſacroſanctis uiris cõmune habet? licet idem quoq; ſenſerit Accurſius: cui error faciliter eſt remittendus, quandoquidem extra ſuũ forum litigabat. ¶ Aſcetria, nõ aſſiſteria, in authenticis & etiam Cod. Iuſtin. legendum eſt. ſignificat monialem ἀσκητρία. meminit alicubi in hunc ſenſum Greg. Nazanzenus, præſertim in panegyrico magni Baſilij. deducitur à uerbo græco ἀσκέω, quod laborare ſignificat & exerceri. ¶ BACCHATVS circa phana ab Vlp. libro primo ad edictum ædil. curul. accipitur pro eo qui furore actus, lymphata ferè mente futura prædicat. Βακχεύων enim idem eſt quod μαινόμενος. hinc in epi- D
gram. græcis, Bacchæ inſanire dicuntur ex Simonidis iambo:

Τίς ἅδε; Βάκχα, τίς δέ μιν ξέσε; σκόπας.
Τίς δ' ἐξέμηνε, Βάκχος ἢ σκόπας; σκόπας.

¶ Baſilica locus publicus eſt, in quo iudicia exercentur, uenaliaq; proponuntur, idem ferè quod Latini forum appellant. Baſilicam M. Vitruuius ita ædificari debere oſtẽdit: ut in ſuperiore parte iudicia, in inferiore negocia exerceri poſſint. Paulus autor eſt, in baſilica negociatorum uenale argentum reponi ſolitum. prohibuit imp. Theodoſius, in baſilicarum tabulatis ergaſteria conſtitui, uel eas picturis obumbrari. quem locum de diuinis templis Bartolus intellexit: cuius ſententiam alij quoq; damnauerunt. Ipſe non negauerim, ea tempeſtate baſilicas pro eccleſijs accipi ſolitum fuiſſe: quod oſtendit Ambroſius in ea epiſtola, cui titulus, de baſilicis tradendis. ¶ Baucalium uas uinarium Aphrodiſeo: de quo etiam infrà emendandus eſt locus de ſupel. leg. oralia impanalioſa. lego enim, bocalia cuppe aleiſa: tametſi & toralia legi poſſit ex Nonio. Marc. ¶ Buccinum legendum eſt apud Vlp. de leg. III. non fucinum, ut uulgò ſcribitur. eſt inter concharum genera minor purpura, à ſimilitudine buccini. latè apud Plin. li. IX. id tractatur. ¶ Bupræſtis animal ſimile ſcarabæo, deuoratum tacto felle inflammat, rumpitq;. Plin. li. XXX. hinc eſt emendandus locus apud Marcellum ad legẽ Corn. de ſicarijs. animaduertit id etiam Beroaldus. ¶ Burgi, quorum mentio in conſtitutionibus, Paulus Oroſius lib. VII. crebra, inquit, per limitem habitacula conſtituta burgos uulgò uocant. hinc in titulo Cod. de fund. rei priuatæ: eum qui collegio, uel curię, uel burgis, cæteriſq; corporibus ſeruierit, &c. ¶ Byrrum, de quo XXX. diſt. Cap. ſi quis. Suidas eſſe ἐφεςρίδα autor eſt, hoc eſt ſagum, ueſtem ue, quam ſupra alias indui mus. Sunt & atrebaticis petiti byrri Vopiſco, niſi magis probes, cum atrabaticis byrri picti. Atrabaticæ ueſtes ſunt nigri coloris, quas ξηραμπελίνας etiã dici Suidas ſcribit. mentio eſt etiã Iuuen. ¶ CABALLATIO, in conſtitutionibus, munus alendi equos publicos: à caballis dicta. quorũ Horatius, Feſtus, alij meminere. ¶ Carchedonius Carthagi-

A Carthaginiensis. καρχηδὼν Chartago. hinc Carchedonia fabula Plauto in Pœnulo. &
carchedonius lapis Plinio. corruptus est authentic. codex de hæred. & fal. & archedo=
nij antiquā habent libertatē. ℭ Cardinales in pontif. iure, dictos opinor exemplo ciui
lium magistratuū. In libro officiorū Theodosij præfecti cardinales appellātur præfecti
prætorio Asianæ diœceseos, & præfectus Aphricæ, quòd maiores cæteris essent. hinc
& scapi cardinales Vitruuio. ℭ Chartopatræ. Chartophylaciū, inquit Suidas, locum
significat, in quo omnia ad scripturas pertinentia custodiebantur. Chartopatræ charta
rum ipsarum uenditores. ℭ Castrati. Hos accepit Accursius pro his qui naturaliter ita
nati sunt, ut gignere nequeant: quod alibi non legi apud humanitatis autores. Suidas
entomias & eunuchos ait esse, quibus de corpore per incisionē euulsi sunt testes. Thla
dias uerò, qui fractos attritos ue eos habent: hos Iurisconsulti thlasias & thlibias appel
lant. prima mares castrari Semyramis instituit, ut scribit Amianus. idem autor est, à Do
mitiano primū, mox à Constantio prohibitū id fuisse: extat etiānum Constantij lex, ut
appareat castratos dici qui in infantia ita euirati sunt, ut uirile aliquid experiri neque=
ant, quales eunuchos describit Lucianus. ℭ Catolicianos in cōstitutionibus eosdem
cum Cæsareanis reperies. nomina sunt officialiū, seu militū, per quos executiones fie=
bant: nescio an à Cæsare magis, quàm à Cæsarea dicti. Illud non dubitauerim, catholi
cianos dictos apparitores præfecti prætorio orientis: quoniā is propter amplissimā iu=
risdictionē catholicus, id est uniuersalis diceretur: quē titulū etiā Antiochenos episco=
pos usurpasse autores aliqui prodiderunt. Procopius quoq;, Christianorū, inquit, epi=
scopus catholicus dicitur, quòd unus omnibus præsit. accolis in regione quæ Persarū
est emporiū, & à Theodosia iter octo dierū distat. ℭ Carreū laser apud Paulū de pen.
leg. quod à celebratiss. Carrarū emporio aduehebatur, Plin. li. XII. in litore rubri ma=
ris, Steph. potest etiam legi carreū ligustrum. sed de hoc quandoq; plura dixi. ℭ Cau=
tela, uox omnino barbara non est, ut quidam existimauerūt. utitur ea Amian. Marcell.
B li. XIIII. tametsi elegantius captionē dicamus. ℭ Camum, leguntur apud Vlp. de ui
no triticoq; legato, quædam genera uini factitij, Camum, Cerzuphū, Zithum, Acima
titiū, Embamma. Chamū Simon Genuensis tradit esse uinū ex ordeo & alijs frugibus:
citatur & à quibusdam huius rei autor Dioscorides. ipse nihil nec in Greco, nec Latino
codice deprendi. prosequitur ille libro quinto, huiusmodi uinorū genera: inter cætera
chamidryten nominat. unde fortasse hanc dictionē, cami, quidam extorsere. Cerzu=
phum, puto corruptū codicē, & uel legendum cicernū: unde apud Iulianū ἐν ἐπιγράμ.
εἰς οἶνον ἀπὸ κριθῆς. nunc eū poëta dicit τράγον, nunc πυρογενῆ, & βρόμον, quasi hircolum,
frumentigenā, siligineū: βρῦτον quoq; appellatur Sophocli, πῖνον Aristoteli. uel etiā le
gendū est zythū: quod uinū tradit Suidas ordeaceū esse, Aegyptiorū usibus frequens.
mentio eius est apud Strab. ubi interpres zygon uertit, & ad pondera eo uti Aegypti=
os ridiculè dixit. acimatitiū, magis arridet aromatitium. Vinum aromatite quemadmo
dum fiat, scribit Dioscorides lib. V. cap. LVI. quamuis & acinaticū legi possit: quem li
quorē Cassiodor. Veronensis agri alumnū appellat, odoris simul & saporis suauissimi,
tum colore purpureo, dulcissimū, & tactu densum, ac si carneus liquor, aut esculēta po
tio esset. Embammata sunt, quos sapores uulgò dicimus, ἀπὸ τοῦ ἐμβάπτειν, ab intingen
do, legitur apud Colum. & ante nos id docuit Beroal. in Tranq. ℭ Collegia. uide in=
frà in uerbo Militia. ℭ Chomata aggeres Nili, χώματα. apud Iurisconsultū & diacopi
legitur, quo uerbo scissuras intelligit. ℭ Correctores, magistratus qui nō omni in Ita=
lia erant, sed quibusdam tantū regionibus præerant. unde Macceium legi correctorem
Venetiarū & Histriæ: erat & corrector Campaniæ, ut in officijs Theodosij legere est.
ℭ Chrysammos, χρύσαμμος, aureā harenā significat, hoc est ramenta auri, quæ à metal=
larijs effodiuntur. ballux Plinio dicitur li. XLII. Cap. IIII. coguntur Valentis imp.
constitutione metallici octo aurei segmenti scrupulos exoluere: deinde quod ultra re=
pererint, suū est, dummodo nō alij quàm fisco uendant. ita lex illa accipienda est, quic=
quid aliquando aliter dixerim. ℭ DACIA, prouincia iuxta Danubiū, prima & secūda
dicta, quòd à duobus legatis regeret: qua ratione ab antiquis, Mœsia, Armenia, Ger=
mania diuisæ erant, ut plerisq; constitutionib. constat, & Amian. Marcel. qui hodie Da

ci uocantur, in Cherrhoneso Oceani ab antiquis dicebantur Cymbri Strab. & Tacito. C
¶ Decaneta, in authenticis fortasse, dicatheta, quòd locus esset in quo rei reponerentur, donec dijudicatum esset. ¶ Dromones, naues sunt à cursu dictæ. ¶ ELENAPHORIA & hospitatura, inquit Arcadius, apud Alexandrinos patrimonij munus existimatur. existimaui quandoque castigatius legi debere eleamporia, quòd id munus esset olei coëmundi. nunc magis placet, ut ab impressa lectione minus discedamus, & telosphoria legamus, quòd munus id esset exigendi tributi. In Pandectis quoque Florentinis non satis castam lectionem deprendi, sed cum ea quæ circumfertur, eandem. ¶ Epistalma, non sigillum est, ut existimauit Accursius, sed mandatū. ἐπιστέλλω mando, impero. sanè sigillum ἀποσφράγισμα Plin. Cæcil. dicitur. ¶ FASCIA crurulis magis placet apud Vlp. quàm crinalis: sicuti & fascia pedulis. Corn. Fronto, pedale, inquit, mensura est pedis, pedule uerò sub pedibus præstat utilitatem. uidetur autem id significare quod uulgò scalfinum dicimus, uel ipsam soleā. ¶ GYNAECIUM locus in quo mulieres laborabant, lanam præcipuè trahentes: diffusius aliquando id tractauimus. meminit in hunc significatum Paul. Diaconus. Narseti Augusta, quia eunuchus erat, inter cætera fertur mandasse, quòd eum cum puellis in gynæcio lanarum faceret pensa diuidere. ¶ HABERE. Cor. Fronto. habere potest etiam fur nequam. possidet nemo nisi qui aut relictæ, aut donatę rei, aut emptæ dominus est. ita in habente onus, in possidente usus est. ¶ Hirenarchæ, uiri sedandis seditionibus electi: & qui cognoscerent ubi de finibus certaretur. εἰρήνη pax & concordia: non habet græcè adspirationem. ¶ Honorati etiam hi qui palatinam quidem dignitatem habent, administratione abstinent: & quod Ausonius ait, muneris exortes, nomine participes. capitur hoc in significatu etiam apud Amia. Marcel.

¶ Idiocirca, Cynus interpretatur diuisionem manuū, ineptissimè. Legendum est idiochires: sunt chirographa propria manu scripta, unde nomen sumpserunt, ἰδιοχέιρες. Esichius ad Eulogium, πάντα δὲ αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ γράφων. ¶ LATERCULUM idem esse arbitror quod scrinium. hinc princeps sacri laterculi in constitutionibus, qui alibi dicitur princeps sacrorum scriniorum. ¶ Limitati agri. limites à limo, id est transuerso dicti sunt. eorum nomina octo & uiginti recenset Hyginius. Apud Florentinū iuris autorem, limitati agri dicuntur, qui de hostibus capti, militibus per limites, hoc est centurias fuerunt assignati: in his neque alluuionem esse, neque ius usucapiendi, in li. de controuersijs agrorum Agennius Vrbicus scribit. Idem tradit solitos fuisse assignari agros ueteranis duobus modis. uno quidem, ut hi ex quorum territorio agri sumpti erant, nullam iurisdictionē amplius in eis haberent: sed leges ab his acciperentur, qui ueteranos deducerent. alio modo, ut iurisdictio ciuitatis in eos agros salua esset. existimauerim igitur apud Flor. ita distingui, ut qui ager deuictis hostibus, ita ueteranis sit concessus, ut in ciuitatis iure cuius erat permaneret, in eo ius alluuionis esse, quoniā uidetur adhuc priuatus esse: sed si in ciuitatem nō ueniat, uerùm manucaptus assignatusque ueteranis sit, publicus populi Rom. remanet, nec alluuione diminuitur. ¶ Lusum aleæ prohibuit Iustinianus, & quinque ipse ludos instituit: comonouolon, comodaulomolo, regindala, cempon, reipusara. quæ genera ludorum nusquam ipse legi, nec eas quidem uoces in aliquo significatu. quapropter cum locus hic salebrosissimus sit, nihil decerno. Solùm lectorem admonendum ducimus, in primis posse corycouelon legi.) quod iactum pilæ significat: κώρυκον enim Paulo Aegynetæ pilam esse eruditiores consentiunt. unde prouerbium coryco exerceri, de eo qui incassum fatigatur: erat enim pila conacea instar utriculi, quæ inflata uento, plerunque lusorem malè afficiebat. Suidas in dictione σάκκος corycum interpretatur saccū in quo panis recondebatur. Quod sequitur, comodiaulion.) quasi κῶμον δίαυλον, hoc est lusum cursorium. octo esse certaminū genera Suidas autor est: inter quæ diaulon, cum per duo stadia curritur. Rursus regindalia.) existimo eum qui constitutionem transtulit in latinū, ut erat indoctissimus, sic credidisse posse transferri eum ludum, quē Iul. Pollux onomasticωn nono basilinda, Βασιλίνδα appellat. uocatur autē hic lusus, cum ducta sorte aliquis sit rex: & is aliquid laboriosum ministro, qui forte pariter obtigerit, imperat. Subsequit̄, cempos.)

Festus

l. in agris. ff. de acq. rer. domi. D

A Festus Pomp. simpliciter catampon genus esse lusus scripsit. erunt quibus forsan placebit cestus: nobis omnino nihil arridet. Reipusara.) fortè corruptũ est: & græcè scribi debuit ῥέπτειν λῃστέρας, à decursu latronculorũ, hoc est calculorũ. sed, ut dixi, hæc omnia à nobis per coniecturã referuntur: nihil enim certi habemus. nam & fuerunt qui aliter hunc locum emendaret, comolem, idolomenon, rhindalcha, cyron, & ecpyrusan legentes: qui tamen huiusce castigationis rationẽ addunt nullã. ℭ Lyciarcha C. de off. com. orien. sicut syrarchia, ludi quidam in Lycia celebrabantur: quibus qui præerat, lyciarches dictus est. constituebatur autẽ in id munus à Comite orientis, & eius officio: sicut syriarches, qui idem in Syria munus curabat, à præside ꝓuinciæ Syriæ. ℭ MANCIPES interpretantur Arc. & Honorius quadam cõstitutione esse salinarũ cõductores: quod ex usu loquendi admissum crediderim: alioqui generalius est nomen, & omnes comprendit, qui à fisco aliquid uel emunt, uel conducunt. hinc in L. Nerusij tumulo in Sabinis: secure solui semper fiscalia manceps. dicti sunt, quòd sublata manu autores se cõtractus significant, Festo. Meminit Cic. Tranq. Nonius, Pedianus, cæteri. ℭ Mancipi dicetur infrà in uerbo Nexus. ℭ Mensularius idem significat quod numularius, & τραπεζίτης. Trapeza enim mensam significat: hinc trapezophora, sustinentes mensam tripodes, Paulo: licet alij nescio quid impertinens de amphora inculcent. ℭ Miliarium argenteum Paulo dicitur uas ad coquẽdum. id hyeme usui est: sicut baucalis, quo æstate utimur refrigerandis in aqua cyathis.

Ἠγόρασας χαλκοῦν μιλιάριον Ἡλιόδωρε
  Τοῦ πρὸς τὴν θρᾴκην ψυχρότερον Βορέου.
Μὴ κάμνε, μὴ φύσα, μάτην τὸν καπνὸν ἐγείρεις.
  Εἰς τὸ θέρος χαλκῆν βαύκαλιν ἠγόρασας.

Nicarchi hoc carmen est secundo epigrammatum: unde sententia nostra approbatur.

Aeratum emisti miliarion Heliodore
B   Per Tracas flantis frigora habens Boreæ.
Ne sufla, fumum ue cites, sumasq; laborem.
  Aerata æstati baucalis empta fuit.

ℭ Militia. Non ab re facturũ me existimaui, si disputatiunculã hîc nostram referrem, qua olim cum eruditissimo, tribusq; linguis, Hebraica, Græca, Latina, peritissimo uiro BENEDICTO IOVIO Nouocomensi disserui. eam quod ad iũs ciuile non parum faciat, uisum est hîc recensere: subsequitur autem in hæc uerba. Existimasti tu quidem collegia ipsa fabrorum centonariorum dendrophororumq; ad rem bellicã pertinuisse: quam sententiã & illud adiuuat, quod in Rauenate quadam inscriptione legitur, Flauiam salutarem H S. X X X. dedisse collegio fabrûm M. R. hoc est, ut Val. Probus interpretatur, militiæ Rauenatis. sicut etiam Mediolani annotaui, Cælium collegã fabrorũ & centonariorum M. M. id est militiæ Mediolanensis. nam & centonarij à centonibus dicti sunt, quos ad indumenta militũ posse pertinere uix negauerim: cum & Vlp. centones, funes, perticas, syponas, phormiones, id est storeas, legato instrumento cõtineri, ex Pegaso Iuriscon. tradat. Mentio quoq; eorũ habetur Petronio Arbitro, & Apu. Iuuenaliq;. Cæterùm quò minus hanc in sententiã in nostra historia à me itum sit, in causa illud fuit, quòd exploratũ mihi erat, nulla collegia in re militari permissa fuisse. Martianus iuris autor in titulo, qui sit de collegijs illicitis, Digest. li. XLVII. mandatis, inquit, principalibus præcipitur præsidibus prouinciarum, ne patiantur esse collegia sodalitia, neue milites collegia in castris habeant: sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tantum semel in mense coẽant: quod non tantum in urbe, sed & in Italia diuus quoq; Seuerus cõstituit. sed religionis causa coire nõ prohibentur, &c. Nec quicquam obstat, quòd dixi militiam Rauenatem, Mediolanensem ue his in collegijs dictam: quoniam militia non ad arma solùm spectat, sed & uniuersitatem quoq; designat. hinc militia aduocatorum impp. Leonis & Anthenij cõstitutione: militia palatina, pro omnibus qui in palatio, in breuiario Theodosij: militia literata Cæsarum rescriptis, in titu. de prox. sacr. scrin. militia negociatorum, Iustin. cod. lib. VIII. ubi de pignoribus agens: qui super, inquit, hypothecis, quas metaxarij, uel distractores,

uel alij quarumcunque specierum negociatores, pecunias sibi credentibus dare solent: C
sancimus ut quamcunque militiā ijdem negociatores acquisiuerint, &c. ut ibi significet quantitatem aliquam rerum, quæ in negociationem deductæ sint. quapropter & Seruidius Scæuola, inter uenditorem, inquit, & emptorem militiæ ita conuenit, &c. Nam & dum Tesserarios ex Modestino intelligis, qui præcepta imperatorum per contubernia significant, magis ea in inscriptione probauerim eos accipi, qui frumentarij in urbibus sint. Vlp. de iudicijs: si libertis suis tesseras frumentarias emi testator uoluerit, apparet ex genere comparationis id fideic. Rom. præstandum. Pau. de le. II. Si Titio tessera frumentaria, aut militia legata sit. meminit & tesseræ frumētariæ Tranq. tametsi me non lateat, alia quoque hanc dictionem significare. ut igitur breuiter absoluam, non alio sensu in his elogijs accipiēdam militiā existimo, quàm ut illud denotet quod uulgò paraticum dicimus: sicut & apud Apul. li. XI. Asini aurei: quò tutior sis atque munitior, da nomen huic sanctæ militiæ, cuius non olim sacramento etiam rogabaris. Significat autem collegium Isiacorum sacerdotū. Planè si in castris ea collegiorum nomina extitissent, non essent certè à Vegetio, uel Modestino hac in re diligentissimis scriptoribus prætermissa. sed & in libello, qui eodem argumento græcè circūfertur, περὶ ὀνομασίας τῶν ἀρχόντων, nihil prorsus de illis offendes: quin & Cic. in urbibus ea collegia fuisse ostendit, in oratione (nisi fallor) aduersus Pisonem: collegia non ea solùm, quæ senatus sustulerat restituta: sed innumerabilia quædā noua, ex omni fece urbis ac seruitio cōstituta. Caius, collegia, inquit, Romæ senatuscon. cōfirmata quædam sunt: ueluti pistorū, & quorundam aliorū, & nauiculariorū, qui in prouincijs sunt. Mediolani etiā hic tumulus est, D. M. Epitynchan. M. M. ser. cisalpin. & transalpin. patr. coll. naut. comens. hæred. fac. cur. an tu nautas istos quicquam cōmune habere cum militibus dixeris? nisi fortè in lario tuo pugnatum credas. Cæterùm quomodo & interpretandos treis illos apices, ser. existimes, scire ex te uelim. nam seruū ne accipiā illud facit, quòd seruis testamenti factio non est, nec ab intestato hæredes: sed & lex Solonis à iuris au- D
tore Caio, quem Boëthius quoque in Topicis habet autorem, relata: Si, inquit, collegæ sacramentales, uel nautæ, uel frumentarij sint, quicquid ad negociationem disponunt simul, irritū ne esto. quòd igitur arbitraris dendrophoros fuisse, qui syluam cæderent, & materiam deferri procurarent in castra, ut tibi non assentiā, in primis sit ea ratio, quā suprà probauimus, ad rem bellicam collegia non spectasse: quod Martianus tradidit. Verùm & illud argumento sit, quòd aut eos accipis, qui ipsi cædunt deferuntque ligna: & hos calones esse ex Seruio, & alijs cognitum est: aut qui calonibus præerant, & etymologia repugnat: cum aliud sit arborem ferre, aliud ferentibus præesse. non est igitur cur loco me moueam, & existimem dendrophoros ad rem diuinam non pertinuisse: cum arbores dijs sacras fabella Auiani demonstret: & Pli. li. XII. Cap. I. de arboribus loquens: Hæ fuere numinū templa, priscoque ritu simplicia rura, etiānum deo præcellentem arborem dicant. Item: arborum genera numinibus suis dicata perpetuò seruantur. & rursus: Ex arbore numinū simulacra fuere. nam & eos esse arbitrari quisque poterit, quos Caius in Solonis lege thyasotas uisus est appellasse. horum enim sacrificulorum collegium fuisse, & ex Martiano retuli, & te non latet Romæ quoque lectum fuisse collegium pontificum, sicut & pastophoros. Horus Apollon. in Hieroglyphicis, ædium sacrarum custodes extitisse autor est, non quod tu arbitraris, simpliciter pallium ferentes: tametsi sententiam tuam etymus defendat. Sed & dadophoros Dianæ sacerdotes legimus, & eschophoros in eschophorijs festis ramos oliuarum Athenis ferentes, Suidæ, interpreti Aristophanis: & canephoros in sacris Cereris, Callimacho Pausaniæque. Verùm an hi collegium facerent, uix est ut affirmem. solus nostræ sententiæ scrupulū inijcit Callistratus de iure immunitatis, qui, immunes, inquit, sunt qui calcem coquunt, & qui syluam incidunt, & qui arborem cædunt & torrent. ut dubitare hinc possimus, num dendrophoros intellexerit. sed omnino nihil id ad militiā castrensem: tametsi nec hi fortasse collegium aliquod habebant. nec nobis aduersatur quòd uexillarios, dolabrarios, scalarios legisse te dicis: nam hi speciale ipsi collegium non faciebant: sed potius aliorū accessionem quandam fuisse crediderim; cum in tuis quoque

collectaneis

A collẽctaneis cliuio pago adſcribatur hic tumulus, L. Apicio Brutidio, & Albutiæ filiæ
centuriæ centonariorum, dolabrarij, ſcalarij ordines: ut inde conijciam, centonarios
matricem ipſam ſocietatem fuiſſe, quorum ordines dolabrarij, ſcalarijꝗ; erant. ſint igi-
tur fabrorum, centonariorum, dendrophororumꝗ; principalia collegia: ſub quibus ta
men alia artificum nomina continebantur. nam & in Rom. inſcriptionibus, in Chry
ſogoni æde, hæc eſt: Magno & inuicto imp. Cæſ. VAL. Conſtantio, P. F. corpus cori
ariorum, magnariorum, ſoleariorum. unde exiſtimo magnarios artifices fuiſſe calcea-
rios. qua in re quid ſententiæ tuæ ſit libenter uelim ſcire: cum & uox hæc apud Apule-
ſum inueniatur: penes quem Beroal. magnarium negociatorem interpretatur, qui
magnas res pertractet, magnaꝗ; mercimonia exerceat. Cæterùm neꝗ; ſatis argumen-
tum hoc tuum probo, dum idcirco plura fuiſſe collegia Mediolani aſſeris: quoniam
Comi ſint teſſerarij, dolabrarijꝗ;. nam & ex plurimis cõſtitutionibus, & ex prudentum
reſponſis conſtat, collegia omnia prohibita eſſe: niſi quæ uel à conſuetudine, uel à prin
cipe probata ſint. quamobrem etiã quòd ea conſuetudo Comi fuerit, ut teſſerarij, dola
brarij, & id genus ſimiles, corpus aliquod facerent: non ideo tamen Mediolani feciſſe
compertum eſt: cum in huius urbis palæotitlis ſola trium collegiorum, fabr. cent. den
drophor. mentio reperiatur: ſicut in cremonenſi tantum municipio fabricenſes extitiſ-
ſe arbitror: quod Amia. Mar. libro XV. uidetur oſtendere: qui ita dicti ſunt, quòd fa-
bricam armorum, quam ibi Conſtantius imperator habebat, curarent, armaꝗ; ipſi fa
bricarent: quod generaliter non permiſſum urbibus, Iuſtiniani cõſtitutione docemur:
ueluti id collegium approbari Theodoſij & Valen. lex oſtendit, ſub tit. de hære. decu
rionum. ut fateri auſim, ut rectè hęc dignoſcantur, neceſſaria eſſe aliqua in iure ciuili ru
dimenta. Verùm & quod à me petis, ut paulò diffuſius explicem, quæ mea ſit de colle
gio fabrorum ſententia: exiſtimo fuiſſe artifices tenuiores, quales materiarij, ferrarij, co
tiarij, idꝗ; genus ſimiles. quapropter cum ſub Domitiano etiam de rebus leuiſſimis ſe-
B natum conuocari ſolitum oſtendere uellet Plin. Secundus in Panegyrico Traiani, De
ampliando, inquit, numero gladiatorum, aut de inſtituendo collegio fabrorum con-
ſulebamur. ubi interpres tuæ ſententiæ autor, collegium caſtrenſe exiſtimauit: quæ in-
terpretatio & ex hoc cõfutatur, quòd non ſolebat ad ſenatum quicquam referri, quod
ad milites pertineret, ſolumꝗ; id ius imperatorium erat, quod Tacitus in Tiberij rebus
oſtendit. Calliſtratus quoꝗ; Iuriſcon. de iure immunitatis: quibuſdam, inquit, collegijs
ſeu corporibus, quibus artificij ſui cauſa ius coëundi lege permiſſum eſt, immunitas
tribuitur, ſcilicet eis collegijs uel corporibus, in quibus artificij ſui cauſa unuſquiſꝗ; aſ-
ſumitur, ut fabrorum corpus eſt, & ſi qua eandem rationem originis habent. quæ idcir
co conſtituta ſunt, ut neceſſariam operam publicis utilitatibus exhiberent. Cæterùm
& quam operam publicè utilem præſtaret collegium fabrorum, Cæcil. Plin. in epiſto-
lis ad Traianum, luce clarius demonſtrat: qui, cum Nicomedię uaſtiſſimum incendi-
um Geruſian & Iſſon abſumpſiſſet, nulluſꝗ; in publico ſipho, nulla hama, nullum
deniꝗ; inſtrumentum ad incendia compeſcenda eſſet, Traianum rogauit, an inſtituen
dum putaret collegium fabrorum, duntaxat hominum CL. Egoꝗ;, inquit, attendam
ne quis niſi faber recipiatur, ne'ue iure conceſſo in aliud utatur. ſed Traianus prohibu-
it, quòd dubitaret, ne ἑταιρέαι iſtæ perquam graues fierent, propter ſtudia factionum.
Inemendata eſt autem eo in loco Aldi æditio: ſignificat uox illa ἑταιρέαι, ſodalitia, ſeu
collegia: ſed & hamæ & ſiphonis meminit Vlp. de fundo inſtructo leg. ubi acetũ, in-
quit, quod extinguendi incendij cauſa paratͫ, inſtrumentũ fundi eſt. Itemꝗ; centones,
funes, perticę, ſcalæ, phormiones quoꝗ; & ſpongias, & hamas, & ſiphonas cõtineri ple
riꝗ;, & Pegaſus, aiunt. ſic enim ille: quãuis in uulgatis pro ſiphone ſcopæ ſupponantͫ,
quæ nullius omnino ſunt uſus arcendis ignibus. ſed & ἄμη ſarculum eſt. meminit ſi-
phonis in hunc uſum & Iſidorus in etymologijs ſuis. habebant autem hæc collegia pa
tronos ſuos, eligebantꝗ; potiſſimum aliquem ex decurionibus. Extat Bergomi latiſſi-
ma menſa cũ hac inſcriptione, P. Mario Vot. Luperciano equiti Rom. equiti pub. o-
mneis honores municipales adepto, iudici de ſelectis, ſacerdoti Cæninenſi, collegij fa
brorum, centonariorum, dendrophororum, militię Bergomatis patrono, cuius eximia

liberalitas poſt multas largitiones huc uſque enituit, ut lucar aruinæ redemptum à republica ſua, uniuerſis ciuibus ſuis in perpetuum remitteret. huius tot & tam ingentia merita ita remuneranda cenſuerunt, ut effigiem quartumuiri perpetua ueneratione celebrarent. locus decreto decurionum dicatus. ¶ NOSOCOMIVM. multa ſunt hoc in ſignificatu corrupta uocabula: quæ ſic in Iuſtin. Codice emendanda ſunt. Noſocomium, ubi curantur morboſi, ualetudinarium quidam latinè appellant. Ptochotrophium, ubi nutriuntur pauperes, ἀπὸ τοῦ πτωχοῦ καὶ τρέφειν. Xenodochium, ubi hoſpites accipiuntur: unde uulgò hoſpitale dicimus. appellatur & xenon: quæ uox apud Sidonium quoque reperitur. Gerontocomion, ubi ſenes curantur: τὸν γέροντα nemo ignorat pro ſene accipi. Brephotrophion, ab alendis infantibus: infans enim βρέφος dicitur, τρέφειν nutrire. Orphanotrophium, ab orphanis, uox eſt græca, qua ſignificantur pupilli priuati patre. Aſſiſterium, legendum aſcetrion, pro loco in quo aluntur moniales, ἀσκήτρια. ¶ Nexus apud Iuſtinianum de uſucap. transform. Nexus, inquit, Boëthius, iuris ſolennitas eſt, quam in inſtitutionibus Caius exponit, cum res mancipi uenduntur. interueniunt enim quinq; teſtes ciues Romani puberes, & is qui libripens dicitur. is autem qui mancipium accipit, æs tenens ita dicit: hanc ego rem ex iure Quiritium meam eſſe aio: isq; mihi emptus hoc ære æneaq; libra. deinde ære percutit libram, idq; æs dat ei à quo mancipium ſeu aliam rem accipit, quaſi precij loco. quæ res ſine hac ſolennitate uendebatur, erat mancipi. nõ refero id diffuſius: quandoquidem nemini non dictus hic locus, etiam Cynum, Albericumq; Roſatum non pręterijt. ¶ Nummos inueterales uidetur accipere Vlpianus de bonis damnatorum, pro modica pecunia, & pauci ualoris, quæ indies uictus cauſa expenditur. ipſe exiſtimo corruptum codicem. ¶ ORCINVS libertus is creditur, qui directam libertatem accipit. quidam idcirco dici tradidere, quòd ab his manumittatur, qui ad orcum tendũt. nobis placet ut orthinum dicamus: quoniam ὀρθὸς directum ſignificat. hinc orthodoxi qui rectę in diuinis ſunt opinionis: tametſi in gręcis ſcholijs iuris ciuilis etiam ὀρκίνος ἀπελεύθερος legatur, id eſt orcinus, non orthinus. ¶ Obſonium quidam legunt apud Pompo. de do. inter uir. & ux. non uidetur facta mulier locupletior, ſi aut in obſonio, aut in unguentis donatam ſibi pecuniam impenderit. quid ſi ozonium legamus, odoramentumq; aliquod accipiamus, παρὰ τὸ ὄζειν; ſanè obſonium quoq; pro ſtipendio militari accipitur Lucæ in euang. & Paulo in epiſto. unde obſonia Iſelaſticorum Cæcil. Plin. in epiſto. ad Traianum, ut mirum ſit, quomodo interpretis diligentiam id præterierit. ¶ Parichos. penſionarium ſignificat hæc uox in authenticis Iuſtiniani, ἀπὸ τοῦ παρέχειν, quòd præſtet & exhibeat penſionem. Sed parechon ſeu parochum dicendum eſt. eſt & apud Horatium: Vertere pallor tum parochi faciem. uerùm & alibi: Proxima Campano ponti, quæ uillula tectum Præbuit, & parochi quæ debent ligna ſalemq;. nam cum magiſtratus Romani in prouincias ibant, ſiue alij, accepto ſacro diplomate, diſpoſitis equis curſu publico uterentur: hi qui eos hoſpitio ſuſcipiebant, & qui equos dabant ſalgamumq; præſtabant, parochi etiam dicebantur, ut Porphyrio & Acron atteſtantur: hinc dictæ parochiæ, quorum ſignificationem Amian. explicauit: & ex recentioribus Pomponius Letus in Conſtantino. qui comitibus, inquit, & ducibus, qui pro augendo imperio conſenuerant, dabantur agri, uillæq;, ut neceſſaria ſuppeterent, quoad uiuerent, parochias uocabant. Parochos autem Suidæ ſignificat eum qui in currum uti paranymphus aſcendat. ſcribit Pauſanias, cum noua nupta ad ædes mariti deduceretur, in currum aſcendere ipſam ſolitam, & in eius medio collocatam, ab una parte maritum, ab alia parochum, qui ſibi affinitate proximus eſſet, accipere. Parricus uerò nomen erat magiſtratus Romani: unde apud Pomponium de origine iuris, queſtores parricos legimus: quorum etiam mentio apud Feſtum, & M. Varr. hic enim omnia erat, idem ſacerdos, prætor, parricus, denique idem ſenatus: ſic enim legendum. Cæterùm Iuſtiniani uerba de parocho hæc ſunt: Colonarium ius eſt, ueluti ſi domum ualentem centum ſolidos, & præſtantem penſionem ſolidorum decem, aliquis acceperit ab eccleſia, uel pro ea ſolidos tres ſingulis annis ſe daturum penſionis nomine, ubi eam redemerit forte minori precio ſpondeat: iſte autem

appellatur

A appellatur πῆχος. De cursu publico, cuius Acron meminit, in annotationibus Cod. plura à me dicta sunt, ut merito silentio nunc transigenda sint. ℭ Plumbatarum ictus. sunt plumbatæ iaculi genus, cum directa uirga in capite ferrũ apponit, dein undiq; tri buli plumbo affixi, unde nomen datum, iaciuntur manu. Earum duo genera, tribulatæ & mamillatæ: quarum formam diffusius leges in Theodosij officijs. ℭ Penelope, quinquies quaternos enixa filios tradit à Paulo Iurisconf. sed antiqui codices, qui ante Accursium scripti sunt, non Penelopen habent, sed Peloponesiam, quòd ea mulier ex Peloponeso Græciæ esset. quam lectionem probo, idq; Plinio libro VII. astipulante. Cæterùm de tanta mulierum fœcunditate, Plin. Gellius, & Alber. Mag. multa prodiderunt. alioqui Penelopes filios ex Vlysse duos, tum etiam Pana, in græcis autoribus legisse tantum memini. ℭ Proaustium, corrupta ubiq; dictio hæc est in authenticis, & legendum est προάστειον, id est suburbanum: ut mirum sit, cur, quisquis fuit, qui de græco ea transtulit in latinum, ubiq; græca dictione uti maluerit, quàm semel suburbanum dicere. ἄστυ enim urbem significat, & κατ᾽ ἐξοχὴν Athenas. hinc apud Iuuen.

Ad summam non Maurus erat, non Sarmata, non Thrax,
Qui sumpsit pennas, medijs sed natus Athenis.

Dum enim Dædalum significat, innuit ipsos Græculos uiles esse & mediastinos, quòd sic appellantur qui in umbilico ciuitatis morantur omnium obsequijs obnoxij: qua ratione in domibus quoq; sunt mediastini. dictio est ex græca & latina uoce composita. ℭ Programma, græca uox est πρόγραμμα. significat in iure, quod latinè appellat Vlp. proscriptionem, titulo de institoria actione. capitur & pro edicto, ut in uita Auidij Cassij imp. legitur. ℭ Promercalis. si in re promercali impensæ factæ sint, non uoluptarias, sed utiles esse Paulus scripsit. Promercales res interpretatus est Angelus Politianus esse simpliciter res uenales: hinc apud eum promercale imperium, in Herodiani translatione. quæ sententia uulgò reprobatur: quoniam non generaliter uenale si-

B gnificat, sed quod præter suos usus uenale paterfamiliâs habet, Catoni, Columellæ, cæteris. alioquin apud Paulum omnes impensæ utiles essent, quæ in aliquã rem fuissent factæ natura sua uendibilem: quod non probo: placet itaque Baptistæ Pij sententia. ℭ QVADRATARII. marmorarios dictionem hanc significare ex Sidonio Apollinare, & Hieronymo aliâs admonui: sicut apud Senecam quadratariam artem, epistolarum ad Lucillium libro XI. marmorariam intelligo. cum enim superius de balneorum ornatu dixisset, quantum in illis statuarum est, quantum columnarum: paulò inferius ita prosequitur: at olim pauca erant balnea, nec ullo cultu exornata. cur enim exornaretur res quadrataria, & in usum, non in oblectamentum reperta? quæ uerba significant ab antiquis quoq; marmorarios usui fuisse, non ad oblectamentum, sed ad usum: sicuti & balnea: quamuis utraq; tunc ad magnificentiam spectarent. Alij ibi legunt quadrantaria res: quoniam sic appellari balneariam artem existiment, quòd quadrante lauaretur. hinc illud: Cædere Syluano porcum, quadrante lauari. ℭ Rapismata iniuriosa apud Iustinianum. significat rhapisma alapã, ῥάπισμα. ℭ Repedare reuerti significat, Lucillio poëtæ, Nonio Gram. Eutropio hist. & in Cæss. constitutionibus. Sed & Paulus titulo de lib. & post. l. si quis posthumos, hoc uerbo utitur: Diuersum, inquit, est si in hostium potestate filius sit, & decesserit in eodem statu: rumpit enim his casibus nepos testamentum. quòd si moriente auo filius repedauerit, non abscissum est, ut superiore casu fuerat. uulgati omnes codices, non repedauerit, sed repudiauerit habent: quapropter maximæ tenebræ obuolutæ oculis interpretum sunt, ut uix seipsos extricent. sed & ridiculus commentator est Bartolus, qui repedare, inquit, est à capite incipere. de cohor. li. cod. XII. ℭ SPECIES ad uectigal pertinentes hæ nominantur Paulo Iurisconsulto de publicanis: qui locus quoniam corruptissimus est, ex antiquioribus codicibus ita erit restituendus: Cinamomum, piper longum, piper album, folium pentaphyllon, folium barbaricum, costum, costamomum, nardi stachis, casia turiana, xylocasia, smyrna, amomum, gingiber, malabatrum, aroma Indicum, galbanum, laser, agalochus, sarcocolla, onyx Sabeus, cardamomum, xylocinamomum, opus byssinum, pelles parthicæ, pelles babyloniæ, ebur, ferrum Indicum,

Declarata l. si quis post. de lib. & post.

carpaſum: lapis uniuerſus, margarita, ſardonicæ, ceraunium, hyacinthus, ſmaragdus, adamas, ſapphirus, calamus, berillus, cylindrus, opera Indica, uela ſarmatica, metaxa, ueſtis ſerica, uel ſubſerica, uela tincta, carbaſea, nema ſericum, ſpadones, Indici leones, leænæ, leopardi, pantheræ, purpura, item pecorum lana ſuccida, capilli Indici. &c. Folium pentaphyllon exiſtimo caltham ſignificare: ſicut barbaricum, baccar quibuſdam denotat: tametſi eorum ſententiam Plinius non probet libro XXI. capite VI. Xylocaſſia, myrrha: poterit aliquis exiſtimare iunctim id legendum: cum Hippocrates σμύρνης κασσίας τὸν καρπὸν in eo libro nominet, quem de mulierum morbis inſcripſit: nobis ſeparatim legere magis placet. Agalochus. hunc Aetius medicus xylaloën uocat, à ſimilitudine ligni aloës. Onyx Sabæus. Onyx ſeu unguis, integumentum conchilij eſt, Dioſcoridi: naſcitur in Indicis lacubus: eſt & maximę autoritatis qui ex rubro mari deuehitur, ſicut & Babylonicus. Byſſinum opus, à byſſo, uti arbitror, dictum, huius lini maximum precium, Plinius libro XIX. capite I. refert. mentio eſt in euang. Carpaſum, neſcio an id ſit, cuius libro VI. meminit Dioſcorides. Malabatrum. eius tres ſpecies folij appellatione comprendi, medici autores ſunt: indicio eſt & Galenus, Pliniusq;. Aroma ſericum. id opinabitur aliquis, quod Plinius ſericatum ſimpliciter appellat XII. capite XXII. ſed tamen magis placet uulgata lectio, uidelicet νῆμα, nema ſericũ: ſignificant enim filum, quod apud Seras cõficitur: cuius mentio Suidæ in uerbo σηρική. Lana ſuccida. alij codices habent ſic, pecorum lana fucus, quaſi fucum nominet, tanquam uel radiculam intellexerit, qua ſe linunt mulieres: uel certè fruticem, cuius mentio Dioſcoridi in IIII. ¶ Sacra. dubitatum fuit cur filij, qui in patris poteſtate ſunt, dicanť eſſe in ſacris patris in iure ciuili: & ipſe exiſtimo id ea de cauſa introductum, quoniam lege duodecim tabularum, Iuriſconſultorumq; interpretatione cauebatur, ut pater filiusq; hæres eadem ſacra colerent: unde cum de poteſtate filius exibat, à paternis ſacris liberari dicebatur. Verba legis hæc ſunt: ſacra priuata perpetua manento. quæ interpretatur Cicero libro II. de legib. ut omnis ad quem patrisfamiliæ pecunia perueniret, is teneretur ſacra illa celebrare. Refertq; Scæuolæ pontificis interpretationem, qua traditum eſt, quinque modis aſtringi ſacris hæreditatem. hinc Cæcilius in panegy. ad Traianum: non laturi, inquit, erant homines abradi aliquid bonis, quæ ſanguine, gentilitate, ſacrorum denique ſocietate meruiſſent. qui locus carmen quoque Plauti declarat in Captiuis, ubi paraſitus, ſine ſacris, inquit, hæreditatem adeptus ſum offertiſſimam: quæ enim agnatis defertur, tanquam ſacrorum ſocietate merita, non æquè placet ſicut quæ inſperatò contingit extraneis. ut minimè πανεγαστρίου illius ROTERODAMI ſententiam omnino probem, prouerbium id interpretantis, de ſacris quæ in parentalibus defuncti celebrabantur, prouerb. CCLVII. ¶ Sandalium. σανδάλιον Græcis calceamentum muliebre ſignificat: unde legimus Veneris ſandalium tanquam nimis ſtridulum à Momo reprenſum eſſe. In pontificũ decretalibus epiſtolis eodem ſenſu accipitur: eſt autem inſigne dignitatis, ſicut & pallium pontificium. ¶ Syntheſis gręcè compoſitionem ſignificat in iure ciuili: quandoque ueſtis eſt ſaturnalitia, ſicut & non uno in loco apud Martialem. Scæuola de auro & argento leg. ſyntheſim accipere uidetur pro multis ueſtibus ſimul compoſitis. Semproniæ, inquit, hoc amplius coopertoria tibiana, & tunicas tres cum palliolis, quæ elegerit, dari uolo: quæro an ex uniuerſa ueſte, id eſt ex ſyntheſi, tunicas ſingulas & palliola eligere poſſit. uidetur autem hîc Scęuola ſyntheſim appellaſſe, quam uulgò libream appellamus, cum indumenta eiuſdem ſunt coloris, & ſimul eodem tempore induuntur. quem ordinem à legataria conturbari non poſſe ipſe cenſuit. eadem ratione, ſyntheſim quoq; uaſorum dici poſſe arbitror, cum plurima uaſa ſimul componuntur, quæ alicui deſtinare amicus uelit. ut inde non arbitrer ſyntheſim uaſis genus eſſe, quod Domitius apud Martialem Papiniumq; exiſtimauit: ſed nomen generale, quod multarũ rerum compoſitionẽ notet. Mart. li. I. Et craſſo figuli polita cœno Septenaria ſyntheſis Sagunti. Papinius: Vnam mittere ſyntheſin, quid horres Alborum calicum atq; cacaborum? ſyntheſim uerò fundorum, corruptum arbitror pro σύγκλησιν, id eſt latifundium, apud eundem Scęuolam de adimendis legatis: ubi, Titia, inquit, teſtamento Se-

A iam libertam hæredem instituit, & Pamphilo liberto prædia per fideicommissum dedit; in quibus synthesim, id est omnem possessionem prędiorum, quæ appellabatur circa colonem, per epistolam donauit. in qua etiam ita scripsit: Titia hæredibus meis salutem: Βούλομαι βέβαια εἶναι τὰ ὑποτεταγμένα ὅσα ἔφθασα εἰς τὸ ὄνομα τοῦ παμφίλου πεποιημένα, ἐὰν σεῖα ἡ σύντροφός μου κληρονόμος μὴ γένηται δι' οὗ γέγραφα αὐτὴν μέρους βούλομαι αὐτῇ δοθῆναι τὴν σύγκλησιν τὴν περὶ κολώνην. quęsitum est, cum Seia ex codicillis fideicommissum, id est σύγκλησιν circa κολώνην eligat, &c. reponenda sunt hoc modo græca uerba: quæ tamen satis fideliter in uulgatis codicibus translata leguntur. meminit huius uestis etiam Martialis:

Synthesibus dum gaudet eques, dominusq; senatus,
Atq; decent nostrum pilea sumpta Iouem.

quo in carmine existimauit Domitius synthesim sumptuosam uestem esse: ipse contrà uilem arbitror. Nam sciendum est, in Saturnalitijs diebus solitos esse seruos dominorum uestes induere: & rursus dominos pari conditione cum seruis esse: cuius rei autor est Macrobius. Sed & Lucianus in opusculo, quod ἱερονοσόλων inscribitur, seruos coniuiuio illis diebus à dominis suis accipi ostendit, dominosq; cum amicis stantes, huiusmodi conuiuijs ministrare est autor. ut meritò Martialis Saturnalia describens, eo tempore equites gaudere synthesibus dicat, hoc est uilibus indumentis: quæ magis seruis conuenirent: & senatum gaudere dominis: quoniam senatores ipsi proprijs seruis tanquam dominis ministrabant: sed & imperatorem pileo uti, quod tegumen seruo conuenit, qui in libertatem deducatur. Legendum itaq; est, non dominus senatus, sed dominis, ablatiuo casu: sicut & in sequenti carmine, Gelidum latus ædilis appellat, quòd uestem seruilem indutus esset: non enim legendum est, gelidos lacus, ut uulgò creditur. Cæterùm & uilem uestem synthesim esse ex Tranquillo dignosci potest: qui synthesinatum discalceatumq; iuisse Neronem, per lasciuiam quandoq;, autor est. ¶ Sermo latinus.
B Dubitatum fuit, num apud ueteres Romanos illud esset loquendi idioma in usu, quo in præsentia uulgò omnes per Italiam loquimur: quaq; dialecto Dantes Alingerius, Petrarcha, Ciccus atq; alij rythmos scripsere: & Leonardus Aretinus, Pogiusq; etiam tum uulgari sermone usos antiquos existimauerunt. Contrà disseruit Philelphus epistolarum libro IX. & rursus XXXVII. cuius sententiam omnes docti impræsentiarum probant. Fuisse enim sermonem qui latinus diceretur, non ęquè comptum, sicut alium qui ex traditionibus grammaticorum constabat. uulgum itaq; latinè loqui solitum, sed non salua ratione recti sermonis: doctos uerò uiros etiam grāmatices documenta seruasse. uerùm priorem sententiam uidetur posse aliquis ex Triphonij Iurisconsulti responso adiuuare: qui, decreta, inquit, à prætoribus latinè interponi debent. quasi denotet potuisse & uulgariter interponi. Sed & Procopius Persici belli libro II. Stratam apud Romanos uiam significare autor est: quod in uulgari idiomate uerum est, in latino falsum: ut meritò uulgarem apud eos linguam fuisse credi possit. Idem li. IIII. signiferum Romano sermone bandophorum dici scripsit: cum id de uulgari locutione, non de latina trahatur. Sed tamen cū Procopius sub Iustiniano floruerit, quo tempore exciderat Romani sermonis puritas, non existimo à Philelphi sententia discedendum: qui plurimis autorū elogijs rationibusq; partes suas tuetur: cuiq; nos Apuleium adstipulari credimus li. IX. Asini aurei: Interrogauit, inquit, miles dominum meum, quorsum uacuum duceret asinum. at dominus meus latini sermonis ignarus, tacitus præteribat: quapropter cum à milite deturbatus esset hortulanus, supplicuè respondit, sermonis ignorantia, se quid ille diceret scire nō posse: ergo igitū, subijciens miles, ubi, inquit, ducis asinū istum? respondit hortulanus, petere se proximam ciuitatem, &c. ex quibus uerbis constat, elegantiorē illum sermonem, qualis est, quorsum ducis uacuū asinum? latinum esse, nec nisi à doctis solitum intelligi: at alium, barbarum, ubi ducis asinum? etiam tali in usu fuisse, ut uel hortulani illum intelligerent, & ita loquerent. qua ratione & apud Celsum Proculus ait, sæpe audisse rusticos senes ita dicentes, pecuniā sine peculio fragilem esse: peculiū appellantes quod præsidij causa reponeretur. cum enim in latinæ dictionis significatione, & rusticorum usus à Iuriscon

ſultis allegetur: nónne apertiſſimè demonſtratur, latinum ſermonem etiam indoctis communem extitiſſe? aliter itaque Triphonij reſponſum accipiemus, quàm Accurſius fecerit: quippe ille omnia decreta latinè interponi iubet, non barbarè & incomptè, ut etiam apud Græcos latina decreta ex eius reſponſo proponenda ſint. quod minimè mirum eſſe debet: cum omnes Romano imperio ſubditi, Romanam linguam ediſcerent: quod etiam Strabo ſcripſit. ℂ Synedriam Iudæorum in conſtitutionibus interpretare ſynagogas & conciliabula: συνέδριον enim id denotat. Synedrias uerò naues apud Vlp. de exercit. acti. nauiculas illas interpretabitur fortaſſe aliquis, quæ ſpaciandi cauſa factæ ſunt, in quibus ſunt ſellæ & ſedilia: quandoquidem Suidas συνεδρίαν τὴν καθέδραν interpretetur, nihil decerno, cum in emendatioribus ἐπιβάδες legatur, id eſt conſcenſoriæ & tranſportatoriæ naues. ℂ Spurius à græca dictione ſpadon dicitur, ut ſcribit Iuſtin. corrige σποράδην, id eſt paſſim, uulgò, & ſparſim. hinc ſporades inſulæ dicunt. omitto quæ ad hanc rem pertinentia ſcribat Plut. ℂ Sphæriſterium hypocauſtum, ſucculam alij declarauerunt. ℂ Titulus pro tractatu non ponitur, licet quidam etiam ex doctis non abhorreant à tali uſu: Perſium fortaſſe imitantes, qui non abſimili ſignificatione rubricā poſuit: Excepto ſi quid Maſuri rubrica uetauit. quapropter & nos cenſuimus aliquid conſuetudini dandū. quod & in ſignificatu legis fecimus, Valla etiam reclamante. ℂ Trachæa prouincia, lib. XII. Cod. de milit. ueſte. & rurſus titulo de diuerſis officijs. pars eſt Ciciliæ, idcirco τραχαῖα dicta, quaſi aſpera & petroſa. emendandus eſt etiam poſt tot annotationes Tranquillus in Veſpaſiano, ubi Thraciam, inquit, Cilitiam, & Comagenem ditionis regiæ uſq; ad id tempus in prouinciarum formam redegit. legendum eſt, Trachæam Ciliciam, iunctim: cuius lectionis incolumitatem ſeruat adhuc Sex. Aurel. Victor, in Veſpa. Syria Palæſtina, nec non Cilicia Trachea & Comagene, quā Auguſtofratenſem nominamus, &c. de Thracia enim intelligi non poteſt, cum ea eiectis regibus in prouinciæ formam redacta ſit, non ſub Veſpaſiano, ſed ſub Claudio: ut Euſebius in chronicis teſtatur. ℂ Trula, uas eſt aquarium uinariumq́: ſicut & trua. Paulus de fundo inſtr. leg. trulæ, inquit, quæ circa cenū ſolent traijci. puto legendum, circa ahenum: quod cum ahena uaſa eſſent maiora, ab eis latex extraheretur cum trulis. Iuuenalis: Ridere paratus,

Si trula inuerſo crepitum dedit aurea fundo.

ℂ Vaſa uinaria. uaſorum nomina plura celebrant Iuriſconſultis: inter quæ illud ignotum, quod ancones appellant. ipſe uel agones lego: quòd ἄγγος, uas Græcis ſit (ſunt & angones ex genere telorum) uel potius ambones, poculi id genus eſt Iul. Polluci. ſunt & apud eos uectiones, quas uehetes opinor à uehendo: ſunt ſextaria, ſunt lagenæ, tum doliaria congiariaq́, ſunt & aquaria & aquiminaria. ſed & apud Græcos craterū nomina: κρατὴρ, κυμβίον, ἔκπομα, ποτήριον, κοτύλη, κώθων, κύλιξ, κυλικεῖον, χυτρίδες, ἡμίτομα, φιάλη, κοτύλον, λέβης, ἄλυσον, κάλπις, ἐλέφας, κύαθος, θηρίκλειος, κάδος, καδίσκος, ἀγγεῖον, κάνθαρος, κύπελλον, καρχήσιον, κάλπιον, σκάφιον, κελέβη, κισσύβιον, κιβώριον, δέπας, κέρας, ad hæc μιλιάριον, βαύκαλις, καὶ βαυκάλιον. ſunt & alia curioſè ab Athenæo, Iulioq́ Polluce collecta: quæ ſingillatim referre præſentis non eſt inſtituti. ℂ Xygoſtates, in conſtitutionibus, titulo de ponderatoribus lib. X. eum ſignificat, qui ponderum rationem tenet, curatq́ per ciuitates, ut mechanici iuſto pondere mercimonia uendant. ζυγὸς Græcis ſtaterā ſignificat: unde xygoſtatica libra. ℂ Yconomus, ubicūq; ſic ſcriptū reperies, emenda œconomū: hinc œconomica Ariſtotelis dicta: ſignificat curatorē domus. Zoſimus. Celebrat monachū Zoſimum Lyciū Iuſtinianus in authenticis: traditq́ annos tunc uiuentē centū & uiginti, animo nihilominus corporeq́ uegetum. Fuit & alius Zoſimus Alexandrinus philoſophus, qui ad Theoſebiam ſororem libros XXVIII. ſcripſit: quorum titulus eſt χειρόκμητα, id eſt manufacta. ſed & Zoſimum Gazeum nominat Suidas, qui ſub Anaſtaſio dictiones rhetoricas, & enarrationem in Demoſthenis orationes ædidit. alij tradunt fuiſſe Aſcalonitam. ad Zoſimum quoq; neſcio quem primatum ſcripſit Aeneas rhetor. Celebrat & Plin. Cæcil. libertum ſuum Zoſimum.

FINIS.

ANDREAE

A # ANDREAE ALCIATI PRAETERMISSORVM LIBER SECVNDVS.



SVPEREST alius libellus, & ipse his necessarius, qui iuris ciuilis disciplinam, μετὰ τ̃ παιδείας iungunt: & in utraque professione se exercēt. quorū studium & diligentiā semper ipse probaui: cum alioquin qui solùm ius ciuile ex uulgatissimis nostris interpretibus didicerit, non multùm his sit dissimilis, qui diuitias quidē aliquas possident, sed artē fruendi ignorant. hunc igitur ita compegi, ut quæ dictiones græcè sparsim per digestorū uaria responsa à Iurisconsultis referunt, & impressorum incuria de impressis uoluminibus sunt omissę, in suum ordinē restituantur. non exigo hîc ut operam quisquā nostram aut probet, aut laudibus extollat: quandoquidē nec mihi ipsi hoc in opusculo satisfaciā, quod summa cum celeritate à me, tum ferè puero conditū, mihi excidit priusquam suprema illi apponetur manus. quòd si nunc retractare uoluissem, non aliqui colores addendi, sed nouum planè corpus faciendum fuisset. quam curam ne subirem, occupationibus certè nimijs prohibebar. malui itaque sic ędere, ut etiam studiorum nostrorum rudimenta publicitus possint agnosci. Tu certè Minuti, quæ humanitas est tua, scio laudabis, neque scholia hæc qualiacunque nauci pendes: quamuis uel recentiorum quorundam exemplo etiam leuissimas obseruationes non dubitauerim his annotationum libris inserere.

¶ IN PRIMIS in ipsa liminari digestorum pagella, elegans appositum est epigramma: quod ex archetypo Florentino, primus in lucē ædidit Politianus: mox sequuti alij. hoc autem huiuscemodi est:

Βίβλον ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε,
Τὴν ῥα τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ,
B Οἵας ἡρακλῆϊ πανδαίδαλον ἀσπίδα τεύξας,
Ἧι ὤλ μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων.
Ἄνθρωποι δ' ἀσίηστε δορυκτήτου τε λιβύας,
Εὐρώπης τε πίθοντ' ὅλου σημάντορι κόσμου.

Nos autem utcunque ita latinum fecimus: non quidem ut transmarinam illam Venerem reddat: sed ut græca ignorantes, qualemqualem eius sensum recipiant.

Iustinianus opus princeps hoc ædidit, omnis
Quod Tribonianus rectori condidit orbis,
Tanquam aliquis uariam componens aspida magno
Alcidæ, nanque hîc fulgent mira omnia legum.
Ast Europæ, Asiæque homines, Libycique subacti,
Cuncta gubernantis domini præcepta sequuntur.

In proœmio.

¶ SED quia solitum erat, anni quarti studiosos, græco & consueto quodammodo uocabulo, ircos appellari. &c. Politianus ex archetypo legit, λύτας appellari. & inferius, quinti anni studiosos, non coloritas, ut in impressis est codicibus, sed προλύτας legit. uerùm minimè explicat horum nominum rationem. nam preces (hoc enim significant λιταὶ) nil mihi uidentur habere commune cum studiosis quarti, quinti ue anni. quare legendum est λύτας, per υ ψιλὸν, ut intelligamus solutores, quòd legum nodos iam soluere possint: προλύτας uerò, quòd lytis præstent: ut antecessores sint quos Doctores regentes uocamus, prolytæ qui Licentiati, lytæ qui Baccalaurei. ¶ In eodem proœmio iuxta finem, apud Homerum patrem omnis uirtutis, Diomedes & Glaucus inter se faciunt dissimilia permutantes.) addendus est hic uersus:

Χρύσεα χαλκείων, ἑκατόμβοι' ἐννεαβοίων.
Proque nouem centum, pro ferro tradidit aurum.

Sumptum est ex Iliados VI. ubi singulari certamine dimicaturi Glaucus Lycius, & Diomedes: cum Glaucus progenitores suos enarrasset: quin tu, inquit Diomedes, mecum potius beneficijs quàm armis certas: & ex hoste fis hospes: cuius in rei signū per-

mutemus arma.) hinc annuentis Glauci stultitia fecit locũ prouerbio, de inæquali per- C
mutatione: cum eius arma centum boum precio censerentur, Diomedis nisi nouem.
Cicero ad Atti. li. VI. Habes ad omnia non ut postulasti, χρύσεα χαλκείων. meminit &
Plin. nat. hist. li. XXXIII. cum de commercijs loquit. & Gel. li. II. quin & Martial.

Tam stupidus nunquam nec tu, puto, Glauce fuisti,
Chalcea donanti, chrysea qui dederas.

Plin. Cæc. epist. libro V. Recipies, inquit, epistolas steriles, & simpliciter ingratas: ac ne illam quidem solertiam Diomedis in permutando munere imitantes. Res hæc quidem ex autoribus satis protrita, quam tamen ignorauerit Accursius.

De iusti. & iure.

¶ In l. ius ciuile, in fine fonai monai.) Si quis parum à ueteri lectione uelit immutare, is legat φωνὴ μόνη, quasi solam uocem dixerit: ipse tamen malim τῶν νόμων οἱ μὲν ἔγγραφοι οἱ δὲ ἄγραφοι, quod idem est quod non scriptum, & ius scriptum: utrunque conuenit & hîc, & in institutionibus, ubi par est menda. Sanè tabulæ, in quibus leges describebantur, apud Athenienses κύρβεις dicuntur: erant autem quadratæ, & uarias delictorum pœnas complectebantur, mentio harum apud Aristophanem. Luciano dicuntur ἄξονες. meminit Plut. in Solone.

De origine iuris.

¶ L. II. ubi de Sempronio uerba fiunt, quem populus Romanus Sophyn appellauit.) corrige σοφὸν, id est sapientem: cuius mentio frequens apud Liuium in bello Macedonico. Parua hæc utiq; emendatio: sed quam tamen Egnatius, uir doctissimus, sub racemationibus collocarit.

De legibus.

¶ L. II. nam & Demosthenes. &c.) quæ inde sequuntur, græca sunt: sumpta ex oratione Demosthenis, quæ in Aristogytonem prior inscribitur. Ὃ τοῦτ' ἐστὶ νόμος ᾧ πάντας προσήκει πείθεσθαι διὰ πολλὰ, καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ἐστὶ νόμος εὕρημα μὲν καὶ δῶρον θεῶν, δόγμα δ' φρονίμων ἀνθρώπων, ἐπανόρθωμα δὲ τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων, πόλεως δὲ συνθήκη κοινὴ, καθ' ἣν πᾶσι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν πόλει. Latina autem subdita sunt hac in lege ab aliquo ex recentioribus: nam uetustissimi quiq; codices, hoc in loco lacunam quandam habent, quæ hisce græcis literis est implenda. Græca primus ædidit Budæus. Quod autem dicitur ἐπανόρθωμα τῶν ἁμαρτημάτων, huic alludit græcum elegans distichon in sicarium: D

Κἤν με κατακρύπτῃς, ὡς οὐδενὸς ἀνδρὸς ὁρῶντος,
ὄμμα δίκης καθορᾷ πάντα τὰ γιγνόμενα.

Me sepelis tanquam nemo conspexerit: atqui
Iustitiæ ipse oculus omnia facta uidet.

Quapropter Apuleius libro III. cum insimularetur clàm tres homines occidisse, iustitiæ se oculum testatum tradidit, memor huius, uti arbitror, epigrammatis. sed & de iustitiæ oculo idem meminit libro II. circumfertur & græcè is uersiculus:

Ἔστιν δίκης ὀφθαλμὸς ὃς τὰ πάντ' ὁρᾷ.
Est iustitiæ oculus qui ubiq; prospicit. cui non absimilis alius:
Ὀξὺς θεοῦ δ' ὀφθαλμὸς εἰς τὸ πᾶν δ' ὁρᾶν.
Acutus oculus est dei, uidet undiq;.

Quod autem sequitur, Chrysippus in libro quem fecit.) adde me autore, περὶ νόμου. Chrysippum enim librum de legibus scripsisse, autor est Laërtius: quem hîc cum ab Iurisconsulto citari uerisimile est, tum ex indicijs ueteris scripturæ coniectaui.

In l. III.

¶ IVRA constitui oportet, ut ait Theophrastus, in his quæ entomina frequenter accidunt.) Alij hîc legũt, automata, id est spontanea & casualia. quę lectio incõgrua est, nec sensui legis admodũ cõueniens. Budæus dicit se in archetypo Florentino hunc locum ita annotasse, in his quæ ἐπὶ τὸ πλεῖστον accidunt: non in his quæ ἐκ παραλόγου, id est, in his quæ plerunq; accidunt, non quæ præter hominũ sententiam. sed & existimabit aliquis dictionẽ, entomia, abradendam, & reponendũ θαμινά, ut quod sequit, frequẽter, interpretatio sit græcæ uocis. ita enim à ueteri uulgatáq; lectione minimũ discedimus.

In l. fraus.

In l. fraus.

¶ ET quod distat uerbum ab intellectu, &c.) Accursius admonet, græce locutũ hîc Iurisc. quare explosis illis uerbis, reponendæ sunt hæ uoculæ: & quod distat ῥητὸν ἀπὸ διανοίας, hoc est, dictũ à sententia. hunc sanè locum debemus Politiano, sicut & sequentẽ.

In l. obseruare. de off. procons.

¶ HOC obseruare oportet, ut per eam partem quis prouinciam ingrediatur, per quã ingredi moris est: quam Græci appellant: siue &c) reponenda sunt hæc uerba: quas Græci ἐπιδημίας appellant, siue κατάπλουν obseruare &c. ἐπιδημία enim est accessus ad ciuitatem plerunque obseruari solitus: κατάπλους ad nauigationem & portum significat. ut intelligamus Iurisconsultum loqui de utroque itinere, tam terrestri, quàm maritimo. Item paulò inferius in hianti loco repone, καὶ τὴν μητρόπολιν Ἔφεσον attingere, id est, metropolim Ephesum. huius enim consuetudinis etiam meminit Plinius in epistolis ad Traianum.

¶ In l. solent. sic legendum est: quantum ad xenia pertinet, audi quid sentiamus: græcum prouerbium est, οὔτε πάντα, οὔτε πάντη, οὔτε παρὰ πάντων. quod autem sequitur, nec omnia, nec passim, nec ab omnibus, est Græci ipsius adagij translatio. restitutus est autem hic locus in Miscellaneis ex archetypo.

De edendo.

¶ EX l. ueluti. dum Iurisconsultus declarat quomodo, iterum, duo significata habeat: ita græca illic uerba repone, ut primo δευτέρως legas, id est, secundò: in sequenti autem πάλιν, id est, rursus. alia interpretatione locus hic non eget, satis clarus.

De pactis.

¶ L. iurisgentium. esse enim contractum Aristo. adijcit ἀνονόμαστον. sic reponi potest dictio græca, quæ significat innominatum & carentem nomine. In alijs codicibus legitur συνάλλαγμα, & melius: ut alibi differam.

De his qui not. infa.

¶ L. athletas. designatores autem sunt, quos Græci appellant.) addendum est Græcum nomen, βραβευτάς. ita enim appellari hosce præsides ludorum, autor est Iul. Pollux. Potes & hîc legere ἀθλοθέτας, quod idem significat apud Arcadium in l. ult. de muner. & honorib.

Nautæ, caup. stab.

¶ L. prima. & sunt quidam in nauibus, qui custodiæ gratia præponuntur: ut enim diætarij.) legendum est, uti arbitror, græcè διαιτουρέοι, ut intelligamus custodes nauis, qui non precio conducti, sed solo uictu nauem custodiebant. ut sit uox composita ἀπὸ τῆς διαίτας, id est à uictu, καὶ οὐρεύς. οὐρεὺς enim custodem significat. Homerus libro IX. ἐπὶ τὸν οὔρων δεδύμενον, & præsertim in naui: quoniam οὖρος stationem nauium significat: unde & οἰκουροί, domus custodes dicuntur. Cæterùm textum hunc quemadmodum aliter tractari possit, alio loco explicaturus sum.

De Iudicijs.

¶ L. hæres absens. & quasi à uiatore emit, uel ab eo qui transuehebatur.) in annotationibus Politiani legitur, uel ab eo qui παρέπλει, id est præternauigabat: quæ lectio ex uetustis codicibus approbatur quibusdam.

Si pars hære. pet.

¶ L. antiqui. in fine. assignauerunt tota pars: & hoc dicunt, ait Theophrastus.) post uerbum assignauerunt, uerba sequentia sunt abradenda, atq; ita legendum, τὰ γὰρ δίκαια ἐν τοῖς ἐπὶ τὸ πλεῖστον καθιστηκέναι δεῖ, οὐκ ἐν τοῖς ἐκ παραλόγου, ut ait Theophrastus. id est, iura ut plerunq; constitui oportet, non ut ex inopinato. meminit huius dicti Cicero libro V. de finibus bon. & mal. Locum restituit Budæus.

De seruo corrupto.

¶ L. j. sed persuadet græcè. &c.) Repone καταπείθει, illud enim persuadere significat. Locũ hũc sic correxit Catellianus Cotta, uir singularis eruditionis. Græcus tamen, atq; idem innominatus legum interpres, qui apud me est, secundum ordinẽ alphabeti, δοῦλον, inquit, ὑποφθαρέντος αὐτῷ ἡ ἀγωγὴ ἁρμόζει κατὰ τὸν τρόπους διαφθείροντος οἰκεῖον, ἢ ὑπονοθεύοντος αὐτόν, ἢ συμβουλεύοντος κλέψαι, ἢ ὑποδεχομένου αὐτόν, ἢ ἑτέρως τι πράττοντος πρὸς

διαφθορὰν αὐτοῦ. idest, Serui corrupti actio competit secundum modos corrumpentis seruum, siue admonẽtis ipsum, siue consultantis furari, siue recipientis eum, siue aliud aliquid facientis ad corruptionem ipsius. quare fortasse hîc legendum est, sed persuadet græcè ὑπονουθετῶν καὶ συμβουλεύων. ut Iurisconsultus non tam expresserit græcè significatum persuadendi, quàm uoluerit ostendere dictiones medias, quæ in utranque partem possunt capi: & ut grammatici dicunt, τὰ μέσα. in Pandectis certè Florentinis legitur, persuadet τῶν μέσων est, &c.

¶ LEGE, quicunque. item (ait) si libitinarius, quẽ Græci uocant, seruũ pollinctorẽ habuerit.) legendum, pollinctorẽ, & in uacuo illo loco, ταφέα, reponendũ, ut sentit Budæus. Albucius tamen Aurelius ἐντριστὴν mauult, cui antiqui codices cõsentiunt.

De contrahenda empt.

¶ L. j. tres hîc loci sunt græcis literis uacui atque inanes: quorum primus ita supplendus est: adducit enim Iuriscon. autoritatem Home. Ilia. libro VII.

Ἔνθεν ἄρ᾽ οἰνίζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοί,
Ἄλλοι μὲν χαλκῷ, ἄλλοι δ᾽ αἴθωνι σιδήρῳ,
Ἄλλοι δὲ ῥινοῖς, ἄλλοι δ᾽ αὐτοῖσι βόεσσιν,
Ἄλλοι δ᾽ ἀνδραπόδεσσι.
Cæsarie insignes redimebant uina Pelasgi,
Aere alij, ferro quidam lucente, bouillis
Tergoribus quidam, bubus plerique, sed ipsis
Mancipijs alij.

In sequenti uerò lacuna hæc sunt reponenda, ex Iliados Homeri libro VI.

Ἔνθ᾽ αὖτε γλαύκῳ κρονίδης φρένας ἐξέλετο ζεύς,
Ὃς πρὸς τυδείδην διομήδεα τεύχε᾽ ἄμειβεν
Χρύσεα χαλκείων ἑκατόμβοι᾽ ἐννεαβοίων.
Iuppiter eripuit sensus de pectore Glauci,
Aurea Tytidæ qui amens mutauerit arma,
Pro factis ex ære, bouesque ualentia centum
Pro his quæ fuerant bubus pendenda nouennis.

Tertio autem loco & hæc curiosum lectorem non pigeat inscribere, sumpta ex Homeri Odyssea libro primo.

Τήν ποτε λαέρτης πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν
Πρωθήβην ἔτ᾽ ἐοῦσαν, ἐεικοσάβοια δ᾽ ἔδωκεν.
Hanc proprijs rebus Laërtes emerat olim,
Vigintique boues prompsit pro pube puella.

Locati.

¶ L. si merces. §. uis maior est, quam Græci exhibitiam appellant. qui quamproximè uelit impressæ lectioni accedere, is necesse est reponat expuncta futili illa dictione, exhibitiam, ἐξαίσιαν βίαν, id est uim indecentem, uastam, inusitatam. Sed fortasse uerius est scripsisse Iurisconsultum θεομηνίαν, id est iram diuinam, uel quod idem ualet μήνιμα, seu μῆνιν θείαν. in Pandectis legitur θεοῦ βίαν. uidentur enim Græci tempestates, procellas, similiaque mala diuinæ iræ adscribere. Homerus:

Ἤματ᾽ ὀπωρινῷ ὅτε λαβρότατον χέει ὕδωρ
Ζεύς, ὅτε δή ῥ᾽ ἄνδρεσσι κοτεσσάμενος χαλεπαίνει.
Mense sub autumni ingentes cum Iuppiter imbres
Iratus, miseris mortalibus æthere fundit.

¶ Quorum carminum ideo libentius facio mentionem: quoniam à Cicerone ad Q. fratrem epistolarũ li. III. in ea quæ, Romæ, & maximè Appia, incipit, allegantur: sed scriptoris uitio desiderantur in codicibus. Hinc Apollonius Argonauticôn primo:

Ζεὺς δ᾽ ἀνέμου βορέαο μένος κίνησεν.

appellat enim irã Boreę, quòd ualidissimus ruat: quin & Valerius Flaccus Arg. IIII.

Quippe nec extorrem tantum, nec lucis egentem
Ira tonantis agit, Typhonides harpyiæque.

A Finxit enim poëta, harpyias esse ira tonantis aduersus Phyneum impulsas: & iratam terram cœlestibus produxisse gigantas, fabulæ tradunt. quæcunque enim mala maxima oriuntur, deorum iræ solent adscribi. & Theophrastus hasce tempestates, sterilitates, & similia, quæ non uitio terræ, sed ex cœlo proueniunt, ἀπὸ τοῦ δαίμονος αἰτίαν appellat, id est causam deorum numine urgentem. quæ autem sit uis maior, quoniam & hoc recentioribus ignoratũ, qui scire uelit, is legat Plinium lib. XVIII. de sterilitatum causis.

De ædilitio edicto.

℄ L. I. §. sed sciendũ. ego puto, ædiles, tollendæ dubitationis gratia bis idem dixisse.) In medio reponenda est dictio, ἐκ παραλλήλου, id est per alternitatem, siue (ut uertit Gellius) ex geminatione. Locum restituit Budæus, & ideo illi habenda est gratia. In Pandectis tamen Florentinis περὶ τοῦ αὐτοῦ legitur.

℄ L. & quantum interest inter hæc uitia, quæ Græci.) Legitur hic locus in Pandectis Thuscis emendatus, ut in Dispunctionibus annotaui, atque ideo illuc recurrendum.

℄ L. idem ô filius. ubi homo neque matutino tempore uidet, neque uespertino: quod genus morbi, Græci νυκτάλωπας uocant.) uoculam hanc Græcã restituit Hermolaus in corollario Pliniano: quẽ & alij sunt secuti. Ex eadem l. §. fi. & antriphus.) quid significet triphus, scriptores uarijs locis addubitant: corriguntque quidam ἄφθυφος, id est, habens aphtas, alij atypus, alij alijs modis. Quid si nos legamus, tripheros, siue τριφερούς, ut intelligamus mollicie quadã blæsos. Galenus in aphorismis Hippocratis: sicuti ψελλίζεσθαι, id est balbutire, linguæ uitium est, non uocis: sic & τραυλίζειν, eiusdem uerbũ significationis, in sermone Græcorum, non potente lingua exquisitè eas dearticulare uoces, quæ per t & r proferuntur: qualis est hæc ipsa, traulosis: & hæ aliæ similes, trechi, tribi, trachi, trochos, tripheros. fortasse igitur ad similitudinẽ traulosis, potuit Iurisconsultus appellare triphos, uel potius tripheros, hoc balbutientes modo, qui t & l pro tr pronunciant. laborauit simili uitio Alcibiades: unde de labdacismo est orta paB rœmia. nos eos uulgò dicimus, terebellare, hoc est τρυπᾶν: unde forte hæc uox, quòd uidelicet huiusmodi balbutientiũ lingua dum loquitũ terebrũ imitetũ. Hoc modo corrigendus quoque Gellius li. V. tametsi hac in re certam non proferimus sententiam: sed solùm studioso opinionẽ nostram, tanquã diligentius scrutari uolenti, ansam damus.

De testa. militis.

℄ L. j. in fi. Milites à numero mille hominũ dicti, à Græco uerbo tractum χίλια. nam græcè mille hominum multitudinem, χιλιαστὺν uocant, quasi millesimũ quenque dictũ: unde ipsum ducem χιλίαρχον appellant. reponendus est græcus sermo ita, ut uoces illę penitus nullius sensus inducantũ, deleanturque. Tribunum autẽ militũ significat chiliarchos. potes etiam hîc legere μέραρχον. nam ut Aurelianus in libro de instruendis aciebus tradit, duæ cohortes quingentariæ, merarchiam, id est cohortẽ milliariam faciũt, hominum M. XXIIII. centuriarũ LXIIII. cuius præfectus dicitũ merarchos, id est tribunus maior. prima lectio plus placet. In græcis scholijs περὶ ὀνομασίας τῶν ἀρχόντων, id est de nominibus principum, seu ductorum, habetur mentio etiam chiliarchi.

De legatis primo.

℄ L. an omnibus. Iulianus notat: si testamenti faciendi tempore tabulæ nullæ fuerũt, uera ratione dici potest legatũ deberi, quia conditio pro non scripta habetur.) in uacuo ordine adscribe græcam dictionem, ἀδύνατος, id est impossibilis. Cicero epistolarum fam. libro IX. me περὶ δυνατῶν scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν, id est, de possibilibus scito me secundum Diodorum iudicare.

De legatis tertio.

℄ L. cum quis decedens. §. Titia testamento manu sua facto, ita cauit: Τίτια διατίθημι καὶ βούλομαι δοθῆναι Καλλιμάχῳ μισθοῦ χάριν δηνάρια δύω. id est, Titia testamentum condidi, & uolo, dentur Callimacho mercedis gratia denarij duo. Locum ex Pandectis Florentinis restituit Politianus.

℄ L. ligni. §. lignorum. quid mirum? cum Græci σχέδια, hoc est naues lignorum ductrices appellãt, ita arbitror hoc loco legendum. σχέδια enim nauiculæ sunt è trabibus inconditæ, in quibus ligna uehuntũ; hodie schepatas uulgus uocat. Potes etiam legere

ξυλοφόρας νῆας, quod non reprobo: licet magis applaudat, ut ξυλήγας dicamus, atque C ita in Pandectis thuſcis legitur.

¶ L. legatis. §. ornatricibus. & Homerus in Odyſſea ait.) addendum eſt hoc carmen:

δήεις τόνγε σύεσσι παρήμενον, αἱ δὲ νέμονται
πὰρ κόρακος πέτρῃ, ἐπί τε λρήνῃ ἀρεθούσῃ.
Hunc circum inuenies plures pecuaſcere porcos
Ad coracis petram, fontemq́; ſuper Arethuſæ.

Quod carmen reſtituendum quoque eſt in §. de ſuibus, inſtitu. ad l. Aquil. etſi ibi, uel certe hîc alius etiam ſit error in nomine Iuriſconſulti, qui ibi Martianus, hîc Marcellus proditur.

¶ L. ſi cui lana. §. lana legata, etiam leporinam lanam, & anſerinam credo contineri, & de lino: quoniam ἔριον Græci lanam uocant: ita legendus eſt hic locus, hoc ſenſu: appellatione lanæ uenire leporinam, anſerinam, lineam, & ſi qua ſimilis: quam quidem lanam ἔριον Græci appellant. nam lana ouis, propriè ἄωτος. ἔριον uerò & cætera comprehendit: ſicut λάχνη, quæ dictio lanam, uillum, plumam ſignificat. In antiquioribus tamen codicibus legitur, & de ligno, quam Græci ἐριόξυλον uocant, de quo apud Plinium libro XIX. quod probo.

De fundo inſtr.

¶ L. II. in fine. dotes prædiorum, quæ Græco uocabulo, erotici, id eſt impoſitiones uocantur.) in Pandectis legitur ἐνθῆκαι.

De ſupel. leg.

¶ L. Labeo ait. in fi. eos qui loqui non poſſunt, conatu ipſo, & ſono quodam, & inarticulata uoce, bacarios dicere exiſtimamus.) fortè legendum Βάττως, id eſt qui articulatè fari nequeunt. Βάττος enim huiuſcemodi mutientem ſignificat. Hinc dictus Cyrenarum conditor Battus, apud Trogum lib. XIII. Euſebio, Catullo, & cæteris. Sanè in Pandectis ſic legitur, & ſono quodam καὶ τῇ ἀνάρθρῳ φωνῇ dicere exiſtimamus. D Fuit & Battus quidam loquax: unde battologia figura, cum quis eadē repetit, & identidem inculcat. Hinc Ouid. neſcio quem alium Battum loquentem inducens, Met. II. Sub illis Montibus, inquit, erant, & erant ſub montibus illis. cui per ſimilem figuram ridiculoſè reſpondetur:

Riſit Athlantiades, & me mihi perfide prodis,
Me mihi prodis, ait. qui locus aliter intellectus, ineptè conduplicantem uoces poëtam oſtenderet.

¶ Lex legata. dum Iuriſconſultus adducit Homeri teſtimonium: eius carmina ex Odyſſeæ lib. ψ. nos hîc ponenda ſic exiſtimamus. De lecti enim ſigno loquens, τὸ δ' ἐγὼ, inquit, κάμον οὐδέ τις ἄλλος. Et paulò infrà:

θάμνος ἔφυ τανύφυλλος ἐλαίης ἔρκιος ἐντός.
δαιδάλλων χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἠδ' ἐλέφαντι.
Haud alius quiſquam, fabricaui hoc ipſe cubile:
Inter ſepta ſecans ramos uirentis oliuæ,
Argento atq; auro uarium, leuiq́; elephanto.

De alimentis legatis.

¶ Lex alimenta. in princ. cui ſcribere ſolebat ita, ῥουφίνῳ ἀπελευθέρῳ ἐμοῦ εὖ πράττειν, id eſt, Rufino liberto meo bene agere. dubitationis cauſa hîc erat: quoniam ἀπελεύθερος propriè is uidetur, qui manu emiſſus eſt reſpectu manumittentis. Sanè locus ad reſtituendum facilis, græcè non ignorantibus.

De auro & argento leg.

¶ L. quamuis anademata.) lego ἀναδέσματα, id eſt anadeſmata: ea enim ſunt ornamenta capitis, Suida autore.

De gradibus.

¶ L. non facile. uiri pater uxorisq́; ſocer: mater autem eorum, ſocrus appellatur: cum apud Græcos propriè uiri pater ἑκυρός, mater uerò ἑκυρὰ uocatur: uxoris autem pater πενθερός, mater uerò πενθερὰ uocantur. Sic legendus eſt hic locus, qui ante nos pluribus ſcatebat mendis.

¶ In eadem

A ¶ In eadem l. sic quoque legendum censeo: uiri frater leuir est: apud Græcos δαὴρ appellatur, ut apud Homerum relatum est. sic enim Helena ad Hectorem dicit:

Δᾶερ ἐμοῖο κυνὸς κακομηχάνου ὀκρυοέσσης.

Est autem carmen id in VI. Iliados. Sequitur Iurisconsultus: uiri soror glos dicitur, apud Græcos γάλως. duorum fratrum uxores εἰνατέρες apud Græcos dicũtur. Quod uno uersu idem Homerus significat:

Δαέρων ἢ γαλόων, ἢ εἰνατέρων εὐπέπλων.

quod carmen libro ultimo Iliados reperies, nostra opera Iuriscon. restitutum.

¶ In l. Iurisconsultus, in principio, nomen cognationis à Græca uoce dictum uidetur συγγενὴς: sic enim illi uocant, quos nos cognatos dicimus, συγγενεῖς. ut barbara uox, cisen, ab imperitis in Iurisconsulti uerbis relata, abradatur penitus.

De aqua plu. arcen.

¶ L. prima. sulcos tamen aquarios, qui Græcè hincelices appellantur.) legendum ὑδραύλακες. hydraulaces enim dicuntur ἀπὸ τοῦ ὕδατος, καὶ αὔλακος. meminit huius dictionis Suetonius in Nerone. Lucius tamen Columella li. XI. Cap. II. elices Latinè appellat fontiũ, ut arbitror, scaturigines: unde & aquilices Callistr. l. fi. de iure immun.

De dona. causa mortis.

¶ L. senatus. donatio dicta est à dono, quasi doni datio: tracta à Græco δωρεὰ, nam ita Græci dicunt. eam dictionem ita restituendam, nemo est cui in dubiũ uenire possit. nam δῶρον donum significat: hinc prouerbiũ, δῶρον ἄδωρον. & apud Euripidem, κακοῦ γὰρ ἀνδρὸς δῶρ᾽ ὄνησιν οὐκ ἔχει, id est, mali hominis usum munera haud ullũ tenent. Sophocles, ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα κ᾽ οὐκ ὀνήσιμα. dona hostiũ, nõ dona sunt, fructu carẽt, &c.

De acqui. poss.

¶ L. prima. possessio naturaliter tenetur ab eo qui ei insistit: quam Græci dicunt.) in uacuo loco addenda dictio κτῆμα, uel κτέαρ, uel potius κατοχὴ, ut in Pandectis habetur. his enim modis Græci possessionem uocant. Homerus Odyss. libro

B primo, πρίατο κτεάτεσσιν ἑοῖσιν.

De usucapionibus.

¶ L. rerum mixtura. tria corpora sunt: quod continetur uno spiritu, & Græcè φυσικὸν uocatur: aliud quod ex pluribus inter se cohęrentibus, quod τεχνικὸν dicitur. sic restituenda sunt hîc uerba Grę̨ca: ut primum corpus dicatur naturale: aliud uerò artificiale. In quam sententiam iuit quoque me audiente Demetrius Chalcondyles: licet in Pandectis συνημμένον, cõnexum legatur: & deinde ἡνωμένον, unitũ. Illud tamen non prætereundum, sumpsisse hæc Pomponium Iurisconsultum ex Plutarchi libro, qui inscribitur De præceptis coniugalibus. ubi, corpora, inquit, philosophi dicunt alia ex discretis constare, ut classem & exercitum: alia ex coniunctis, ut domum & nauem: quædam unita esse atque congenita, ut singula animalia.

De uia publica.

¶ L. ædiles, in fine. ut tector Trochos exterius opponat.) corrupta est dictio, tector, cuius loco reponendum, τέκτων, id est tecton: quæ uox fabrum significat. Hesiodus:

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων.

Faber autem lignarius hac præsertim appellatione Græcis nuncupatur.

Ne quid in loco publico.

¶ L. ij. §. uiarum. publicas uias dicimus, quas Græci nostri prætorias & consulares uias appellant.) Accursius uidetur legisse, quas Græci τὰς ὁδοὺς βασιλικὰς, id est, uias basilicas appellant. Cui lectioni ut assentiam, facit: quia quæ nos prætoria appellamus, Græci τὰ βασίλεια uocant: & basilicum apud antiquos non solùm regium dicitur, sed & quicquid magnum & præsens ita nuncupabatur. ut in Curc. Plauti, Iacto Herculem basilicum. Sanè uias publicas Græci λαοφόρους uocãt, sicut & ὡλαδημίας, cuius dictionis alibi meminimus: & mentio est apud Hieronymum, dum Pythagoræ symbola interpretatur.

Vti possidetis.

¶ L. si duo. §. planè. hoc modo legendus est hic locus: Planè si cœnaculum ex publi-

eo aditum habeat, ait Labeo, uideri non ab eo ædes possideri, qui ὑπόγαιον hoc pos= C
sidet: sed ab eo cuius ædes supra ὑπέρον essent, & c. hoc sensu, ut quando is cuius cœnaculum est, habet aditum ex publico, ille qui fundamenta, superficiemq; domus possidet, non censeatur possidere ædes, sed is cuius ædes ὑπέρον, id est, cœnaculum supra essent. De hypogæo meminit Vitruuius libro VI. capite XI. ὑπέρον uerò cœnaculum dicitur, quòd ea omnia in superiori domus parte essent, habitata præcipuè uilioribus. In Pandectis non ὑπόγαιον, sed κρυπτὰς legitur.

De riuis.

¶ L. j. riuus est locus per longitudinem depressus, quo aqua decurrat, cui nomen est ῥύαξ.) Græca dictio hoc modo hîc legenda: ut nitori tandem suo restituatur Iurisconsultus. dictus est autem ῥύαξ à Græco ῥέειν, quod est fluere.

De furtis.

¶ L. j. Sabinus ait, à ferẽdo, id est auferendo dictũ: uel à Græco sermone, quòd φῶρας appellant fures, &c.) sic legi debet hęc Gręca dictio, quã in codicibus omisere librarij.
¶ L. iij. fur manifestus est, quem Græci appellant.) legunt hîc aliqui Græcam dictionem ἐπαυτοφόρῳ, quasi in ipso rei abstractæ puncto deprensum dicas, quam lectionem & ipse probo: sed Græcus legum interpres, φανερὰ, inquit, κλοπὴ, ἡ τὶς τὸ τετραπλάσιον ἔχει τῆς ποινῆς δίκην. id est, manifestum furtũ est, quo quis secundum iura quadruplum consequitur. quamobrem hîc fortasse legi etiam posset, manifestus fur est, quem Græci κλέπτην φανερὸν appellant. qui locus corrigendus quoq; est in IIII. institutionum lib. Aristophanes in Pluto, ἐγὼ γοῦν ὑμᾶς δεινὰ ἄγοντας λαμβάνω. ego quidem uos grauia agentes reperi. allusit enim ad hanc deprensionem manifestam. Hinc in euangelio Lucæ Zachæus, si quẽ, inquit, ἐσυκοφάντησα, quadruplum reddo pauperibus. nisi quis malit allusisse eum in fœneratores, qui quadruplo mulctabantur, ut scribit M. Cato.
¶ L. falsus. §. plerιq;, quid ergo, si ea quæ dicunt Græci petat:) reponendum est, εὕρετρα. ita enim Græci præmia nunciationis appellant. alij legunt εὐαγγέλια. sed quid mihi placeat, alio sum testatus loco. D

De incendio, ruina, &c.

¶ L. iij. §. nõ solum: ubi de naui eiecta Iurisconsultus loquitur: eiecta, inquit, est, quod Græci aiunt ἐξοκειλαμένη. Sed quid si legerimus ἐκβολή; quod aliâs opinatus sum, dũ XI. C. Iustiniani librum correctiorem reddere conarer.

De iniurijs.

¶ L. lex Cornelia. in fine. eadem pœna ex senatusconsulto tenetũ is, qui aliud ue quid, siue scripturã in notã aliquorum produxerit.) in uacuo loco Accursius legisse uidetur, opythalin; tu potius repone ἐπίθεσιν, id est titulum lemma, inscriptionem'ue.

De extraord. crim.

¶ L. saccularij. sunt quædam quæ more prouinciarum coërcionem solent admittere: utputa in prouincia Arabiæ σκοπελίζειν, cuius rei admissum tale est: pleriq; inimicorũ solent in prædium inimici σκοπέλους, id est lapides ponere, &c.) restitutus est hic locus iandiu, etiam in quibusdam impressis codicibus: etsi plures qui annotationes ædidere, sibi adscribant, digladienturq; tanquam de re maxima.

De effractoribus.

¶ L. prima. expilatores sunt fures atrociores τοιχώρυχοι. τοιχώρυχοι, id est muricidæ, sunt effractores parietum, præsertim nocturni fures. Aristophanes in Pluto, τοιχώρυχος τὶς διέβαλε. nam hîc expilatorem non puto capiendum pro fure hæreditario, quia nil faceret ad titulum. alioqui legendum esset, κληρονόμιον κλέπτην. quæ uox cum antiquæ lectionis uestigijs non admodum congruit, in qua ferè λωποδύται legitur. sunt hi qui uestes hominibus auferunt.

De collegijs illicitis.

¶ L. ult. sodales sunt qui eiusdem collegij sunt, quos Græci συσσίτους uocant.) locum hunc (nisi fallor) sic restituit Beroaldus in Apuleio. nam collegia sodalitia, id est conuiualia fuisse apud Cretes, appellataq; syssitia, autor est Strabo: & se quæstore Romæ huiuscemodi constituta fuisse tradit Cato apud Ciceronem. In Pandectis tamen legi ut

ἑταίρους

A ἑταῖρος. Sunt autem conuiuiorum tria genera, quæ uno carmine Homerus comprehendit. πίπτε ἢ σε χρεὼ

Εἰλαπίνη ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν.

Εἰλαπίνη autem, & γάμος sunt conuiuia sumptu uocatoris facta: ἔρανος, cum quisque de suo confert, ut scribit Eustathius. Planè quod finem huius legis respicit, puto dum Solonis testimonium adducit Iurisconsultus, totum locum esse Græcum: facilè restitueretur, si Solonis leges extarent: & si quasdam refert Plutarchus in eius uita, inter quas hæc minimè est. Cæterùm de hoc in dispunctionibus à nobis dictum est, cum certiora reperissemus.

De custodia reorum.

¶ L. diuus. & ideo cum quis διαγραφὴν faceret, iuberi oportet uenire irenarchã, &c.) in lacunoso loco curaui reponendũ διαγραφὴν, id est denunciationem: nam Græcus legum interpres non aliter ferè eam appellat. uidetur autem hoc magis ad rem facere quam κατάκρισιν, id est condemnationem, ut refert Accursius: uel ἐξέτασιν, id est inquisitionem: quod glossulæ cuidam placet. in alijs legitur, anacrisim. de qua quoniam alij scripserunt, non est quod ipse in syluam (quod dicitur) feram ligna.

Ad l. Iuliam, de adulterio.

¶ L. inter libros. lex Iulia stuprum & adulteriũ promiscuè φθορὰν appellat: sed propriè adulterium in nuptam cõmittitur, &c. stuprũ uerò in uirginem, uiduam'ue: quod Græci διακόρευσιν appellant.) restituendæ sunt hoc modo dictiones Græcæ, quæ in omnibus impressis codicibus desiderantur.

¶ L. si uxor. ut Sextus ait, hæc lex ad omnia matrimonia pertinet: & illud Homericũ (affert.

Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεΐδαι;
Sed nec soli homines mortales inter Atridæ
B Vxores curant proprias.

Sumptus est autem locus ex Iliados lib. IX. qua in rhapsodia Achilles Vlyssi roganti, ut reconcilietur Agamemnoni, inquit:

Ἦ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων
Ἀτρεΐδαι; ἐπεὶ ὅστις ἀνὴρ ἀγαθὸς καὶ ἐχέφρων
Τὴν αὐτοῦ φιλέει, καὶ κήδεται, ὡς καὶ ἐγὼ τὴν
Ἐκ θυμοῦ φίλεον, δουρικτητήν περ ἐοῦσαν.
Nec propria obseruant soli connubia Atridæ:
Sed quicunq; bonus sapienti pectore præstat,
Huic nuptæ stat firmus amor, stat maxima cura,
Vt mihi, qui quamuis captiuam mente colebam.

Hinc & Vergilius noster Homerum secutus Aenei. libro (si rectè memini) IX.

Coniuge prærepta, nec solos tangit Atridas
Iste dolor.

Quem locum uolens ostendere Macrobius sumpsisse Vergilium ab Homero, mutilus est librariorum uitio, qui Græca carmina omisere: & propterea ex hoc nostro idiographo poterit diligens lector ea restituere.

Ad l. Corn. de sicarijs.

¶ L. hi quoque qui tibilias faciunt, &c.) legendum θλίβιας, id est, thlibias: sicuti in l. spadonũ. de uerbo. signi. thlasias. sic autem dicuntur qui fractos, pressos'ue habent testiculos, à uerbo θλάω καὶ θλίβω, huiusce significationis quod est frango, & premo.

De pœnis.

¶ L. aut facta. apud Græcos exilio uoluntario fortuiti casus luebantur: ut apud præcipuum poëtarum scriptũ est.) qui locus ex Homero adducatur: quamuis certi aliquid non habeam: tamen si coniecturis locus est, facilè eos uersus reor hic apponendos ex (Iliados II.

Τληπόλεμος δ' ἐπεὶ οὖν τράφ' ἐνὶ μεγάρῳ εὐπήκτῳ,
Αὐτίκα πατρὸς ἑοῖο φίλον μήτρωα κατέκτα,
Ἤδη γηράσκοντα Λικύμνιον ὄζον Ἄρηος,

αἶψα δὲ νῆας ἔπηξε, πολὺν δ᾽ ὅγε λαὸν ἀγείρας C
βῆ φεύγων ἐπὶ πόντον ἀλώμενος.
Tlepolemus postquam benestructa per atria creuit;
Illius ceciditq́ parentis auunculus armis
Iam senior, Martisq́ Licymnius inclytus hasta,
Composuit classem, populoq́ impleuit eunti,
Per mare diffugiens exul.

Nam & huius consuetudinis meminit Papinius in primo Thebaidos, de Tydeo loquens: fraterni sanguinis illũ conscius horror agit. In cuius interpretatione Luctatius Homerum quoq; autorem citat. & Ouidius in Metamor. Phocum tradit patria domo profectum, nõ alia de causa, quàm quòd imprudens fratrem occiderat. quæ res etiam Plutarcho in Parallelis explicatur. In Pandectis tamen aliud legitur carmen, ut in Dispunctionibus annotauimus.

De muneribus & honoribus.

LEX prima. personalia sunt munera. legatio ad census accipiendos, ut patrimonium scriberetur, annonæ ac similium cura.) Reponenda est Græca dictio hæc, σιτοκομίας, quod magistratus nomen est, ea quæ ad uictum pertinent curantis. ἀπὸ τοῦ σίτου, καὶ κομεῖν. de qua quidem uoce alibi complura retulimus.

De uerborum significatione.

L. III. in fine, opere legato, uel cõducto.) His uerbis significari Labeo ait id opus, quod Græci τετελεσμένον ἔργον uocãt, id est ex opere facto corpus aliquod perfectum. huius uocis mentio est apud Homerũ in Iliad. ε. nisi fallor. In Pandectis legitur, ἀποτέλεσμα, eodem sensu.

In l. Labeo. contractum ultro, citroq́ obligatoriũ esse: quẽ Græci συνάλλαγμα uocant.) legendus & hoc modo hic locus: à nobis alibi declaratus.

In l. sylua. noualis est terra præcisa, quæ anno cessat: quã Græci ναγὴν uocant.) ita legendum, scribendumq́ est: licet impressores ingentem illic lacunam reliquerint. D

In l. ostentum. in fine. alterum, cum quid prodigiosum uidetur, quod Græci uocant.) Et hîc reponendum φάσματα. quod alia probatione non indiget, cum uox sit Græcis usitatissima.

L. carbonum. in fine. sed & de ballarijs.) puto castigatè magis legendum, de βαλάνοις. nam balanus nucem, glandem ue significat. Diogenes Laërtius tradit: cum interrogatus esset Cynicus de quodam puero, respondisse, esse Arcadem. cuius responsionis causam existimo: quoniam Arcades βαλανοφάγοι, id est glandiuori dicuntur: celebranturq́ hoc epitheto Græcis autoribus, præsertim Pausaniæ: unde oraculũ, πολλοὶ ἐν ἀρκαδίῃ βαλανοφάγοι ἄνδρες ἔασιν. βάλανος autem in obscœnam significationem Græcis trahitur, sicut glans à Latinis: de qua apud Celsum. quod ad præsentem castigationem attinet, per balanos puto intellexisse Iurisconsultum nucum, glandiumq́ testas: alioqui hæc uox alio quoq; significatu capitur Paulo Aegynetæ.

L. natura. cauillationis, quam Græci σόφισμα appellant.) Græci illi apices ita sunt collocandi: alioquin imperfecta erit hæc lex. eiusdem monetæ alia in titulo sequenti, de reg. iur.

L. qui fundum. uuas duracinas, quas Græci appellant τρωξίμους.) hanc uocem ita reposuit Politianus in quadam epistola: & si alij contrà. de quo ipse uidendus est.

L. si calumnietur.) sic legendus est hic locus: telum quod in longinquum mittitur, à Græca uoce figuratum τηλόθι. nam & hanc significationem inuenire possumus in Græco nomine. nam quod nos telum appellamus, illi βέλος appellant: eoq; nomine uulgò quidem id significatur, quod ab arcu mittitur: sed non minus omne significatur quod mittitur manu, ut ἀκόντιον. & id quod arcu mittitur, apud Græcos quidem proprio nomine τόξευμα uocatur.

L. qui uenenũ.) cũ id quod nos uenenũ dicimus, Græci φάρμακον dicant: apud illos quoq; tam medicamenta, q̃ quæ nocent, hoc nomine continenẽ: unde adiectione alterius nominis distinctio fit. admonet & nos summus apud eos poëtarũ Hom. sic dicẽs:

φάρμακα

A φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.
Plura uenena quidem bona sunt, sunt plurima amara.

Sanè carmine hoc nihil est celebratius: ut uel in prouerbium cesserit: quin & epigrammatum Græcorum lib. εἰς ἰατρούς circumfertur, tanquam ἄδηλον, id est incerti autoris: cum tamen Homeri sit in Odyssea libro IIII. nam & Iurisconsulti opinionem adiuuat idem Homerus in Odyss. I. qui φάρμακον ἀνδροφόνον dixit: quasi solum φάρμακον non sufficeret, utpote dubium.

¶ In eadem l. glandis appellatione omnes fructus contineri, Iabolenus ait: exemplo Græci sermonis, ἀκρόδρυα: sic legendum est, de quo in ea lege à nobis dictum est.

¶ In l. pupillus. incola est, quem Græci appellant.) ibi uacuo loco reponendum est, πάροικον. de qua uoce, quoniam alibi à me explicata est, hîc dicere supersedeo. Quod sequitur, aduena est, quem Græci. repone ἄνοικον ex Pandectis Flor. nam ita Græcè appellari posse aduenas, quasi sine domicilio dicas, omnes (uti arbitror) facilè possunt nosse. nō enim simpliciter peregrinos Iurisconsultus describit, sed hos qui ius domicilij non habent.

¶ In l. ultima, apud Labeonem, pythanum.) Græcè legendum πιθανῶν, id est, uerisimiliū. est enim nomen operis quod Labeo scripsit: non aūt propriū, ut alij opinati sunt.

¶ Instit. de donationibus, in principio, Piræum legendum, nō autem Pirrhum. Idq; ex his Homeri carminibus, ὀδυσσ. ρ.

Τὸν καὶ πείραιος πρότερος πρὸς μῦθον ἔειπεν.
Τηλέμαχ᾽ αἶψ᾽ ὄτρυνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα γυναῖκας,
Ὥς τοι δῶρ᾽ ἀποπέμψω ἅ τοι μενέλαος ἔδωκεν.
Τὸν δ᾽ αὖ τηλέμαχος πεπνυμένος ἀντίον ηὔδα.
Πείραι᾽, οὐ γάρ τ᾽ ἴδμεν ὅπως ἔσται τάδε ἔργα.
Εἴκεν ἐμὲ μνηστῆρες ἀγήνορες ἐν μεγάροισι
B Λάθρη κτείναντες πατρώϊα πάντα δάσωνται,
Αὐτὸν ἔχοντά σε βούλομ᾽ ἐπαυρέμεν, ἤ τινα τῶνδε.
Εἰ δέ κ᾽ ἐγὼ τούτοισι φόνον καὶ κῆρα φυτεύσω,
Δὴ τότε μοι χαίροντι φέρειν πρὸς δώματα χαίρων.

Hoc sermone uirum Petræus commonet ultro.
Telemache ad nostras famulas age dirige sedes,
Vt tibi quæ dederat Menelaus dona reportent.
Ad quem Telemachus sapiens ita farier orsus:
Petræe haud equidem hæc possum dignoscere facta:
Nanq; proci si me spatiosa per atria furtim
Occidant, rapiantq; sibi patrimonia fortes,
His te malo frui donis, quàm quemlibet horum.
Quòd si illos, fato merita & mulctauero morte,
Tum mihi gaudenti referes dona omnia gaudens.

F I N I S.

ALCIATVS MINVTIO S.



IN candidissime Minuti, nouam quandam controuersiæ speciem: nō quæ suasoria sit, & ad artem pertineat, quales illæ sunt quas Anneus Seneca composuit: sed quæ de iuris ciuilis fontibus à nobis deriuata sit: ita tamen compacta, ut Senecam imitari uideamur, tanquā lineamenta ab eo petentes, materiā nos exhibuerimus. Scio quicquid hoc negocij est, tibi placiturum: tum quod hîc ostendamus, quæ Iurisperitorum consilia uulgò æduntur, hac forma posse ciuitate Romana, uel saltem latinitate donari: tum etiam quòd frequens hæc est quæstio, & quotidie in foro uersatur, & fortasse tu secundum eam quādoq; iudicasti. Mihi certè, cū coram Philippo Vicecomite, Iurisconsulto clarissimo, & fisci aduocato, in facto proponeretur, uisum est in codicem

rationum mearum hunc in modum referre, tibiq; nominatim dicare: quòd is est meus C erga te amor, ut in laudum tuarum præconio mihi ipsi nunquam satisfaciam. accusationis in hac controuersia partes Burdeloto Turonensi tribui, quòd uidelicet publicè intersit, id munus non nisi innocentissimo cuiq; iniungi: alioqui scio me rideres ὁρῶν λεοντὴν ὤν ἱεροκωτῷ λειμῶνι. uir enim ille utriusq; linguæ studijs exercitatissimus, tantum à delationibus faciundis abest, quantum & à cæteris noxijs, à quibus est omnino alienus. Pari ratione & eos selegi, qui patrocinium præstarent, homines, quorũ doctrina cum probitate summa certaret, quiq; mihi & amici essent, & collegæ, nimirum felices animas, quarum neq; candidiores terra tulit, neq; quis me sit deuinctior alter. Neque tu mihi Pindarum obijcias, qui uno hymno in Olympiacis Alcimedontem, Timocratem Melesiamq; celebrauit, quòd singuli non sat digni uiderentur: quandoquidem ipse Flaccum nostrum maluerim imitari, syncerius cum suis agentem, neque Græcæ illius scrupulositatis obseruatorem. His addidi Ioannem Pyrrhum, & Nicolaum Beraldum, Galliæ duo togatorum decora: quorum uirtutes uel tuo ore mihi prædicatas, non possum non amare, uel potius uenerari. Meritò igitur & inter amicos mihi eos reposui: tum quòd quæ tua sunt, eadem nobis communia habes; tum quòd Homerico carmini credendum fuit:

Ὡς αἰεὶ τὸν ὁμοῖον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὁμοῖον.

Sed & Albucio scribæ personã sustinendam tradidi, uel Græcos ueteres imitatus, qui hoc munus non nisi honestissimo cuiq; demandabant: ut Aemilius Probus scribit. Accipe igitur quicquid hoc est nostri laboris, nec eius opera lectione tua indigna ducas, cuius uitam & mores longa iam conuersatione approbasti. Vale.

ARGVMENTVM.

IVNIVS. Attius à Caluisio bina millia petit: ex testibus primus Afer mille & CC. numerasse Attium, secundus Rauidus DCCC. quoq; attestatur. Publicatis testimonijs coram quæstore rerum criminalium, uterque tortus se subornatum ab Attio falsum dixisse contendit: qui supererat tertius utriq; concors testis aufugit. Attius se innocentem D asserens in carceribus constituit.

PROCVRATOR FISCI.

IOANNES BVRDELOTVS. Nónne manifesto delicto in legem Corneliã commissum esse iudices perspicitis? testis unus atq; alter proprium sibi scelus, & ipsi Attio commune detexerunt. bene habet quòd ueritas diu in occulto esse non potest: idcirco tradunt eam temporis filiam. an ignorabas Atti, uulgò dici solere, iustitię oculum quacunq; perspicere? cum subornabas testes, cum illis uel auri montes pollicereris: num in mentem uenit, malos malis afferre perniciem consuesse? detecta sunt consilia, reuelatæ fraudes, expectanda solùm legis ultio. & ne aduersus dicta testium cauilleris, absque tormentis dixerunt, torti perseuerarunt: cur non adhibenda illis fides [a]? sublata est omnis exceptio, reprobare non potes, quos cum in iudicio ciuili produceres, approbasti semel. expecto quid responsurus sis, quemadmodum refelles. num in delictis, quæ clàm solent cõmitti, etiam socij criminis ad testimonium recipiuntur [b]? habemus decretali epistola expositum, posse pecunia corruptos conspiratores, tametsi tacere iurauerint, ad attestandum cogi: & idcirco quòd periuri uideantur, eorum fidei nil derogari. ut enim ueritas elucescat, etiam probationes alioqui non idoneæ fidem faciunt. Verùm quid ultra dubitemus? nónne clarissimorum Iurisconsultorum autoritate constat, pecunia redemptos testes aduersus eũ probare qui corruperit? hoc Baldus, hoc recentiores omnes tradiderunt. Sed & Bartolum tibi opponam [c], qui in delictis quæ principaliter in alterius odium non fiunt, sed facinorosi commodum respiciunt, scelestos de participibus interrogari posse asserit: sequiturq; id cum quibusdam alijs Nicolaus Abbas [d]. Indubitatum quoq; illud est, tum ex Alexandri responsis, tum ex recentiorũ collectaneis, mandatarium aduersus sceleris mandatorem attestari posse [e]. Hoc & acrius tuum scelus ostendit, quòd primus testis schedulã quandam exhibuit, quam tua manu scriptam agnouisti: schedulam inquam, nequitiæ tuæ indicem, qua testem admones, ut reminiscatur numerasse te Caluisio mille & ducenta, huiusmodi conclaui, huiusmodi

a Ang. in l. de tormentis cep. consil. xxviij. Tindarus in tractatu.

b c. fin. de testi. cog.

c Bar. in l. repet. de quæst.

d c. j. de confess.

e Alexan. consi. lxxxviij. in v. uol. Hipp. in l. j. §. diuus. de quæst.

A iusmodi tempore. cur ergo iudices ex tot indicijs non torquetur Attius? ex tot probationibus non condemnatur? præsertim in crimine falsi, in quo fit acerrima indagatio[f]: & torturæ quæstioniq; subijcere reos facilius, quàm in cæteris delictis latrunculatores solent[g]. Cũ etenim tertius testis aufugerit, & ex lege municipali pro confesso & conuicto habeatur, quid obesse potest, quò minus firmissimo falsitatis argumẽto contra Attium probet? Sed & in iudicio, quo iuris solennitates reijciant (qualia sub nostro quæstore redduntur) participem criminis iustum indicem esse Corneus[h] existimauit.

f *l. iubemus. C. de proba.*

g *Curt. consil. lxxiij. in fin.*

h *Corn. consi. ccxlj. in quarto uol.*

PRAGMATICVS.

ALBVCIVS AVRELIVS. In actis hæc animaduertere est: incidens testis, audiuisse ab Afro refert, Caluisium illi promisisse, si præstitum testimonium reuocasset, se alieni æris indemnem eum facturum. Attius instruxisse eos testes pernegat: nec recordari schedulam cuiquam eorum dedisse. eam ubi legit, non diffitetur se Afro dedisse, sed ut existimat, iam præstito testimonio, ut si repeteretur, memoria non excideret, non tamen recordari. Lecta iterum schedula, cum quædam uerba contraria obijceretur dedisse antequam attestaretur, dixit, à teste dictatam, à se scriptam. Secundus testis Rauidus, primò uera esse, quæ in iudicio ciuili dixerat, asseruit: mox pœnitens profitetur esse falsa: perseuerat in tormentis. Interrogatus, an tertium uiderit cum Attio pecunias Caluisio in argentaria numerantem, etiam in tormentis annuit: sed nesciuisse numerum. rursus paulò pòst interrogatus, negat: nec uidisse unquam, nec argentariam Caluisij nosse. grauissimæ autoritatis duo attestantur Attium probatissimæ uitæ uirum, cuius fidem exploratissimam habent, nec hominem esse qui trecenties tanta pecunia falsum committeret.

PATRONI.

BONSIG. HOMODEVS. Falsi quæstio iudices huiusmodi est: ut in primis diligenter animaduertendum sit, is qui defertur, culpatæ sit & reprobæ uitæ, an uerò uir
B bonus & frugi, qui uerisimiliter huiusmodi crimina non machinaretur[i], idq; maximè in Attio est, quem probatum est, optimum esse hominem. At Afer & Rauidus aliter dixerunt. Videamus quantum illis fidei adhibendum sit, quos periuros manifestè constat. huiusmodi, inquit Romanus pontifex[k], hominum testimonium (cum periuri sint) aliquatenus non est admittendum: negat constitutio admittendos, ita ut nec indicium aliquod faciant: quod Innocentius, & alij annotarunt. quin & creberrima sententia[l] est, ijs quæ primò dixerint, fidem præstandam: quæ posterius referuntur, repellenda: quoniam à parte subornatos contradixisse lex præsumit. at in iudicio ciuili loquuntur autores: quid tum? ratio legis generalis est, nec facilè differentiam assignaueris, ut aliter in accusationibus existimemus. sed & in proposito casu, inquisitionem iure scribi non posse existimauerim: quam sententiam Fulgosius duobus consilijs[m], & nouo responso Decius probãt[n]. HIERONYMVS ARCHINTVS. Attiũ omnino absoluendum præterea crediderim, quoniam ut de falso quisquam condemnetur, necessarium est, quæ à testibus dicta sunt, esse falsa. Fateamur Rauidum nihil scire, an idcirco sequitur, Attio Caluisium quantitatem eam non debere? minimè uerò. Puniri itaque lege Cornelia Attius non debet: sed de temeritate leui pœna, quòd uerum debitum exigere per testes ueritatis non conscios affectauerit: & id integro consilio tuetur Ancharanus[o], deberi quippe sibi mille, & CC. Attius quoque probauit regij quæstoris rationibus, quæ plenissimam fidem iure ciuili faciunt. Sed & ut hæc argumenta missa faciam, ostendo non solùm nõ condemnari, sed nec plecti eum posse: cum peruersi hi testes dubio procul conscij sint criminis, quos indicium quæstioni nõ facere omnes censuerunt, Suzarius, Augustinus, Ariminensis[p], tum alij. cæterùm inquisitioni sufficientem coniecturam ex eorum attestationibus solùm oriri. ANDR. RVBERTVS. quod uerum opinor in aliorum delictorum conscijs: uerùm periuros nec ad inquirendum satis esse, ut Fulgosius & Decius tradunt[q]. deficit quippe in his & cardo omnis, & fundamentum testimonij, uidelicet fides ipsa. Cum igitur constet eos fide carere, quid hisce uiris credamus? Possunt aliqui esse homicidæ, possunt esse sicarij, esse latrones, fidem tamen seruabũt: quapropter nõ omnino derogat eorũ testi-

i *Bald. in l. ij. C. de fal.*

k *cap. sicut. de testib.*

l *c. cũ in tua. per Moder. de test.*

m *Fulgo. consilio clxxiij. cvij.*

n *Dec. consilio clxxxix.*

o *Ancha. consil. xxiij.*

p *in tract. malef. Ange. in uerb. fama. in v. col.*

q *consi. clxxxix.*

monio lex, sed quæ dicunt, non prorsus falsa coniectat: inquiríq; propterea permittit: C
ast ei quem euidentissimè constat periurum esse, qui propria cõfessione huiusmodi criminis reus est, quantũ fidei adhibeat? nihil sanè. VALTERIVS CORBETES. Eos qui iuris infamia notãtur, tametsi quæstioni subditos, nullã tamen præstito testimonio probationem facere constat: ut neque conijci quicquam torturæ sufficiens possit[r]. At Aphrum ego & Rauidum infamiæ notam ciuili lege sustinere nõ dubitauerim. quandoquidem in hoc consentiunt autores: quamuis periurus simpliciter de facto tantum notetur, eiusq; existimatio apud graues uiros tantũ deprimatur[s]: cum tamen quisquã ex peieratione in deos atq; homines cõmittit, ueluti si aliquod inde detrimentum homines patiantur (quod in proposito casu est) tum & iuris nota affligi. tradiditq; id Ioannes Lenianus, & recentiores quidam[t]. Vt parum Attio obesse possit, quòd in tormentis deploratissimi testes perseuerarint: quandoquidem nec tum eis creditur. siquidem legalis disciplinæ signifer Bartolus[u], tum Aretinus, & alij[x], quamuis testi magis credi profiteantur, cum in tormentis secundò cõfitetur: si tamen de se & de alio interrogetur, primum dictum extra tormenta efficacius secundo esse malunt. Sed & idem Bartolus[y], post publicatas attestationes, non ideo magis credi quoniam plectatur, autor est, cum & uerisimilima sint quæ prius dixerũt[z]. NICOLAVS BERALDVS. Annotasse memini, si in eadem depositione testis aliquid neget, dein tortus fateatur, posteriori dicto fidem præstari: alioqui semper prius testimoniũ præualere. Videmusq; id quotidie, cum quæstor capitalis maleficum capit: quem si uiderit in negatione perseuerantem, per eculeum extorquere ueritatem solet. Igitur nõ puto Afri, & Rauidi tormenta duriorẽ causam Attio facere. At fidem eorũ semel approbauit Attius, amplius reprobare non debet? approbauit quidem, cum adhuc bonæ existimationis essent: nõ etiam approbaturus est, cũ periuri, scelesti, fœdifragi, improbi facti sunt. an nescis quæ emergunt, nouis indigere remedijs? FRANCISCVS REINA. Obijcis decretalem epistolam[a], tanquam eius legis aut mente, aut uerbis offendamur, cum tamen neutrũ obsit: D
cum uerba, & mens legis priusquam attestentur conspiratores, absolui eos à iuramẽto uelit: nónne ostendit periuros, quales Afer & Rauidus sunt, non admitti? quid præterea cõmune habet quæstio falsi cum conspiratione? conspiratio enim solũ ab his, quæ in ea dederunt nomen, agnosci solet. quamobrem ne ueritas in obscuro sit, & conscij sceleris admittuntur. Falsum aliter probari, quàm ex participum testimonio regulariter potest. quippe constitutionem eam sibi locum non uendicare, plurimorum consensu traditur: cum delictũ huiusmodi est, quod generaliter per alios probari potuisset[b]: quamuis eo casu quo agitur, non possit. quid item si dixerimus speciali iure illud statutum esse in cõspirationibus[c]? cum in crimine læsæ maiestatis constet singulari iure concessum, ut de consceleratis interrogari quilibet reus possit: coniurare autem in Archiepiscopũ, species perduellionis est[d]. Obijcis & quod Baldus[e], alijq; tradiderunt, posse aliquem corruptũ testem aduersus corrumpentẽ attestari. quod utiq; fateor, & summa ueritate nititur, dum non accipiamus periurum hunc esse. quid enim si Titio centum dem, ut testimonium uerũ perhibeat? nónne de huiusmodi corruptela testari poterit? quid item, si ut falsum dicat? nónne antequam dicat admittetur[f]? Sed & quæ de Bartolo sumpta affers, parum nos urgent: asserit quippe Bartolus, in delictis quæ dicentis commodum principaliter respiciunt, interrogari de conscijs posse: concedamus hoc, cum præsertim non sequatur, ut idcirco coniectemus ad torturam. ex hac enim interrogatione inquiri solùm potest, non plecti conscius: quod consilio quodam Corneus explicat[g]. Quamuis neque nostrum casum Bartoli scripta attingere opinor, cum Afer & Rauidus in sui commodum principaliter non deliquerint, sed ob utilitatem Attij. Verùm & probare possem, eam Bartoli sententiam communi interpretum calculo non probari, sed eam quam Azo[h], Accursius, Archidiaconus, cum innumeris alijs secuti sunt. & ni huius operis ratio à tot autorũ nomenclatura abhorreret, idipsum profectò ostenderem. Cæterùm & quòd mandatarium admitti aduersus mandantem allegas, uerum affirmauerim, cum rem mandatam non executus est: alioquin repelletur, quia consceleratus, ut Baldus, & Hippolytus autumant[i]. IOANNES PYRRHVS.

Adducitur

r Bar. in l. maritus. de quæst.
s Ias. in l. j. C. de sac. san. eccl.
t Feli. in c. testimoniũ. de test.
u Dec. clxxxix.
x Bar. in l. j. §. quæstio. de quæst.
y Bart. in l. sed & si negauerit. §. pen. de adul.
z Soci. consilio ccliij.
a c. si de test. cog.
b Ias. in d. l. j. in fin.
c glo. in l. repet.
d l. j. ad l. Iul. mat.
e Bald. consilio xcij.
f Ias. in l. j. ff. de conditio. ob tur. cau.
g Consi. lviij. in primo. in fin.
h Glo. in l. fi. C. de accu.
i Hip. in d. l. j. §. diuus.

A Adducitur tanquam quæstionis omnis præiudicium, quod scripserit Attius notulam qua instruit Afrum, subornatq; dicendo testimonio. adducitur quod inconstans, & uarius Attius, nunc se non meminisse, nunc recordari quidem, sed dedisse posteaquã testatum sit: dicat nunc antea, quæ inconstantia, & titubatio expressum dolum arguit: præsertim cum ex Baldo constet[k], eum qui se oblitum fatetur eius quod sit uerisimile non excidisse memoria, plecti posse. sed audite quæso quid respondeam, quemadmodum dubio procul innocentem uirum tuear. Et sciendum illud in primis est: aliud esse testem instruere, aliud μνημόσυνον, seu chartulam aliquam memoriæ causa præstare. Illud prohibetur, hoc conceditur[l]: quia qua ratione capitula producimus, ut dicta testium coërceantur, ut quæ ad rem non faciunt, explodantur: eadem & huiuscemodi monumenta possumus dare: nemo est qui hoc abnuat: sed & testis, qui dixit se nõ recordari, deinde affirmauit uel negauit, non idcirco mendax est, aut inconstans: cũ memoria plerunq; fragilis sit, & hodie meminisse possim quod heri exciderat, ut autore Bartolo, quamplurimi tradiderunt. uerisimile enim est, oblitum fuisse Attiũ eius quod ante biennium scripserat: præsertim cum error in tempore perquam probabilis sit, ut Innocentius & Baldus[m] asserunt. Nam & Attius non admodum fidæ memoriæ est, qui quandoq; etiam longè maioris ponderis negociorum sit oblitus. At facilius in falsi crimine tormenta decernuntur, quàm in cæteris? Nego hoc, & crebriorem esse repugnantium sententiam affirmo: solumq; facilius in carcerem reum deduci, cum Decio[n] magis sentio.

k Bal. in d. l. presbyteri. C. de ep. & cleri.

l Feli. in c. præterea. de test. cog.

m In d. l. presbyteri.

n Dec. consilio clxxxix. & in c. porrecta. de confir. util.

ANACEPHALAEOSIS.

HIERONYMVS LVRANVS. Eò redactum negociũ intelligo iudices, ut asseueret aduersarius idcirco plectendum Attium: quoniam præterquam quòd à conscijs reus delatus est, adsunt etiã adminicula quædam: quale illud est, quod ex ipsa schedula deprehenditur: quamuis enim probationem non faciat, coniecturam tamen non modi-
B cam inde colligi existimandum esse. A qua sententia tantum absum, quàm qui maximè: quinimò fortioribus, & probabilibus magis argumentis uti Attium ex actis quoque ostenditur. Probatum est, hominem hunc haud huiusmodi, qui falsum committeret: demonstratum est ex publicis rationibus, uerum creditorem esse: qualiquali probatiòne constat Afrum pecunia redemptum contraria iurasse, ut ipso iure falsitas lege Cornelia præsumatur. Rauidus in criminali quoq; iudicio, semel quæ in ciuili dixerat, uera esse atteſtatur: idem ubi negauit, uidisse eum quidem pecunias numerantem affirmat, cæterùm nescisse quantitatem: quæ res maximè Attium iuuat. Idem pugnantia rursus enarrans, nosse Caluisij argentariã nunc in tormentis affirmat, nunc negat. Sed & hi testes singulares sunt, & de diuersa summa attestantur, ut indicium planè non faciant. omni enim exceptione maiores hoc casu lex requirit, non improbissimos & scelestos, periurosq;: nec quicquam numero adiuuantur, cum in criminalibus, & paulò grauioribus causis tam nullam fidem unus testis reprobus faciat[o], quantũ mille. quapropter iudicis officium non aliter exercendum cum Baldo[p] opinor, quàm ut Attium absoluat. Nam quid de tertij testis fuga dicam? cui ipse Caluisius cum impetrare non posset, ut testationem reuocaret, suasit ut solum uerteret. Non itaq; Attio eius fuga,[q] sed Caluisio ipsi obesse debet. Non est ergo, cur dubitandum sit Attium absoluendum, si legem sequi quæstor uelit; liberũ quippe eius arbitrium, principis diplomate hac in causa secundum iuris æquitatẽ redigitur, ut minimè Cornei[r] illud responsum (alioquin etiam falsum[s]) nobis obsit.

o Bal. in c. ad nostram. Dec. in c. licet. in vj. col. de proba.

p In l. si filiũ. C. de libe. ca.

q Bar. in l. eius qui. ff. de iure fisci.

r Corn. consilio ccxlj. in iiij. in ij. col.

s Bar. in c. testimoniũ. in xv. col. de testibus.

DECLAMATIONIS D. AND. ALCIATI IVRISCONS. FINIS.

AVRELIVS ALBVCIVS LECTORI S.

Cum in Alciati bibliotheca pro consuetudine mea uersarer, uenit ad manus meas eius liber, quo gordianos illos indiuiduarum obligationũ nodos tam eleganter & dilucidè explicat, ut planè chaos ipsum in nouam rerum faciem digessisse uideatur. curaui ergo protinus ut publicũ acciperet, tum in gratiam studiosorum, tum quòd & autori ipsi non ingratam rem facturũ me sperabam: qui uelis, remisq; eò tendit, ut omnium utilitati consulat. Quapropter, eo duce, auguror quamprimum fore, ut tandem in antiquam elegantiam, sermonisq; mundiciem ius ciuile renouetur: ut nõ magnopere Accursij, Bartoli, cæterorumq; uoluminibus nobis opus sit, cum eadem breuius, elegantius, atq; distinctiore ordine haberi poterunt. cuius rei uel locupletissimam fidem hic libellus fecerit, si modò doctissimi cuiusq; iudicio disputari contingat. Cum enim uel uiginti uersuum millia in Catonis responso extricando, aliorum in commentationibus extent, poterit unusquisq; hîc deprendere, quàm breuius, quàm clarius, eadem, atq; etiam meliora possint Latinè, ornateq; dici. Vale. Mediolani IIII. Calendas Septembres. M. D. XIX.

Ἐς φάος οὐ προμόλοις ἐν ὀλογνάμπτοις λαβυρίνθοις
Ἐκ παύλου νομικῶν τῶν ἀδιαιρετικῶν.
Εἰ δέ σε τοῦ Ἀλκιάτου εἰσαγάγῃ πόνος εὔκολος, ὄρφνην
Καὶ σκοτίας τρέψεις, ἥλιον εἰς φανερόν.

Οὐαλτερίου Κορβήτου.

Δύσλυτα τῶν νομικῶν τε κάτων ὁ παλαιὸς ἔφηυρε
Ἀλλὰ νέος τε κάτων λῦσεν ὁ Ἀλκιάτος.

ANDREAE

D. ANDREAE AL-

CIATI IVRISCONS. IN LEGEM II. III. IIII. DE VERBOR. OBLIGAT. SCHOLIA.



OBligationum aliæ diuisionem nõ recipiunt ex necessitate, ut in seruitutibus: aliæ ex uoluntate contrahentiũ præsumpta, ut cum insulam ędificari promittitur: nam uidetur stipulator operis effectum considerasse [a]. Aliæ quidem natura sui partium præstationem recipiunt, sed ne in diuersis rebus contingat solutionem fieri, non liberantur debitores, nisi ubi in eadem specie satisfactum fuerit: ut qui generaliter hominẽ [b], uel disiunctiuè Stichum aut Pamphilum debent. Prosequiturq; Iuriscõsultus hos casus. a ℂ ET HARVM. Stipulationũ quæ in dando consistunt, exempla usq; ad §. item si in facto, ponuntur, atq; ibi de factis differere incipit, ut ego sentio, licet alij contrà. b ℂ PARTIVM. qui ergo tenetur centum dare, pro parte soluta liberatur, cogiturq; creditor partẽ uel inuitus accipere. in sponte enim recipiente uerba textus non procedunt: alioquin & qui hominẽ debet, partis pręstatione in ea liberaretur: nec ratio §. pro parte, in sponte recipiente locum sibi uendicare posset, cum sibi debeat imputare creditor, qui partem accepit, cum nõ cogeretur. Videtur ergo fatendum posse cogi creditorem, ut partem recipiat: quapropter eius cõsensus imputari illi non potest, licet communi calculo in contrariam sententiam itum sit. Nec quicquam nos mouerit, quòd qui sub usuris debet, solutione partis non liberatur [c], nam usuræ sub conditione debentur, uidelicet si sors soluta non fuerit: quæ conditio indiuiduum contractum facit [d]. c ℂ DARI. quid si rem restitui? & aiunt eam obligationem recipere partium præstationem: quamuis debitores non liberentur, nisi in eadem re soluerint. Sed hæc sententia plurimis argumentis subuertitur. Ego censeo, si aliqui ea obligatione teneantur, quia commodato uel deposito rem indiuiduam, puta lancem acceperint, insolidum teneri [e]. Videtur enim creditor insolidum eorum fidem approbasse: quæ ratio in hæredibus locum sibi nõ uendicat. quapropter cum obligatione personali teneantur, ea per legem XII. tab. diuiditur (licet ex æquitate hęres, qui solus rei restituendæ facultatem habet, officio iudicis compellatur restituere) [f]. Nec eo casu aliquis liberatur, donec in eadem specie sit in totum satisfactum [g]. Quòd si res separabilis debeatur, ueluti quantitas: tunc neq; etiam principales, nisi pro parte tenentur: & unius dolus alteri non obest [h]. Sed qua ratione statutum est, ut obligatio dandi diuideretur? & in eo consensum est, quia dare dicitur qui dominium transfert: at dominus est etiam qui pro parte est dominus. sed & qui tenetur dare, non liberat͂, si id quod creditoris interest soluat. unde tali casu in diuersis rebus non poterit accidere, ut solutio proueniat: quod in obligationibus faciendi secus est: quid enim si qui fossam fodere debet, partim fodiat, & in reliquo dicat, se id quod interest præstiturum? Cæterùm & quandoq; reperire est in obligatione dandi, eum qui pro parte soluat, pro ea parte non liberari: ut si debitor fundi præstet usumfructum. Idem in eo qui tenet͂ dare sub pœna propter conditionem, quæ inest contractui. Idem & in hærede, qui centum dare iussus est pro theatro extruẽdo [i]. Videtur enim principalior esse obligatio faciendi, unde eius naturam datio assumit. sed & is dominus qui actione noxali conuenitur, insolidum deffendit [k], non enim debet fieri actoris conditio deterior, quàm si maleficiũ ipsum seruum

PAVLVS LIB. XXVII. AD EDICTVM.



STIPVLATIONVM quædam in dando, quædã in faciendo consistunt. [a] Et harum omnium quædam [b] partium præstationem recipiunt: ueluti cum decẽ [c] dari stipulamur. quædam non recipiunt, ut in his quæ na

a l. j. exec. §. j. infra eo.
b d. l. j. §. pro parte.
c l. tutor. §. Lucius. de usur.
d l. cui fundus. supra de condi. et demonst.
e §. si duobus uehiculum. supra commo.
f l. iij. §. hæres. supra commo.
g l. si duo dep.
h l. j. §. si pecunia. & §. si apud duos. dep.
i l. fideicõ. §. pe. de lega. iij.
k l. si cum uno. supra. si ex nox. causa.

conueniret: seruus autem pro parte noxæ dari non potest. a ❡VIAM. antiqua est al C
l l.fin.cō. præd. tercatio, an qui tenetur, ad seruitutem teneat̃ dare facereq́[l]. Et communiter aiunt teneri: quoniam is qui seruitutem debet, tenetur pati, ut creditor eo iure utatur. unde & qui usumfructum debet, si sit in mora, in eo quod interest condemnatur. Sed hanc sententiam quamplurimi non iniuria reprobant: quoniã huiusmodi patientia in incorporalibus loco traditionis successit.[m] Vnde sicut obligatio dandi rem corporalem, traditionis naturam non assumit, licet debitor etiam tradere teneatur: ita & de iuribus dicendum est. Quamobrem & heres dare usumfructum dicitur[n], qui patitur legatarium utifrui: cum enim illa patientia in consequentiam dationis ueniat, facti naturam non seruat. & licet condemnatio, si non detur ususfructus, fiat quanti interest[o], id non institutum est quòd obligatio usufructus sit facti: sed quia usufructus incertus est, ratione rei præstationis & tẽporis: quapropter meritò fuit incerti agendum. Qui ergo seruitutẽ Titio spopondit, si eam constituat liberatur: quòd si deinde nō patiatur Titiũ uti, non ex stipulatu, sed possessorio interdicto erit cōueniendus.

m d.l.quotiens. ij de ser.
n l.iij.§.dare.de usufru.
o l.ubi.§.fundi. infra eo.

tura diuisionẽ non admittunt: ueluti cum [a] uiam iter actum stipulamur. quædam partis quidem præstationem natura sui [b] recipiunt: sed nisi tota dentur stipulationi, nō satisfit: ueluti cum hominem generaliter stipulor, aut lancem, aut quodlibet aliud uas. nam etsi Stichi pars soluta sit, nōdũ in ulla parte stipulationis [c] liberatio nata est, sed [d] aut statim [e] repeti potest, aut in [f] pendẽti est,

b ❡RECIPIVNT. Sed cur tali casu promissio etiã petitione non est indiuidua? Respondeo, cũ integer homo soluendus sit, ne particularis solutio stipulatori sit damnosa: & præter eius intentionem id quod stipulatus est, non consequatur, meritò contractus huiusmodi solutione tantum est indiuiduus. quia hæc ratio solutionem solam respicit: in cæteris adhærendum fuit regulæ, quę est, ut obligatio dandi, partium præstationem D recipiat. c ❡LIBERATIO. Atqui uidereť contingere liberationem: quia soluens partem Stichi uidetur eligere solutionẽ in Sticho, ergo non debuit posse uariare. Interpretes extricare nesciũt. Ipse negauerim soluendo partem censeri eum elegisse in totũ: sed in eam partem tantum, quæ soluta est. nam actus qui ex tacita uoluntate inducuntur, nisi eatenus extenduntur, quatenus ex palàm gestis præsumit̃[p]. d ❡AVT STATIM. Dictio, aut, hìc non seruat naturam disiunctiuæ, sed ex diuersitate facti supponit diuersum ius[q]. aut enim debitor hominis, qui dimidium Pamphilum soluerat, deinde Stichum integrum soluit, & condicet illud quod in Pamphilo præstitit: aut adhuc integrum hominẽ non soluit, & interim in pendenti[r] est liberatio. e ❡REPETI. condictione indebiti: licet alij cōdici ob causam non solutã dicant, cum hìc per errorem solutum nō sit. quod tamen cōmuniter non approbať. nam quotiescunq́ soluitur, id quod uerè debebať, deinde incipit non deberi, datur condictio indebiti: si uerò nondum uerè debebatur, condictione ob causam agendum erit[s]. ueluti cum legatarius soluit causa cōditionis adimplendæ, deinde legatum repudiat. f ❡IN PENDENTI. respectu debitoris: alioquin poterit creditor interim cum debitore agere, ut integrum hominem det[t]. Idemq́ est aduersus eum qui disiunctiuè teneať: ut Pet. Cy. & Pontano uidetur: quæ sententia plurimum quadrat uerbis legum. neq́ nos mouet, quod alibi diciť: si Stichum, aut X. debeã, solutis quinq́, cōpetere creditori actionẽ ad reliqua quinq́[u]. quibus uerbis arguitur, nō posse creditorẽ integra decem petere. nam respondendum est, consideratum ibi fuisse effectum, cum tametsi decem petat, non tamen in effectu ultra qnq́ consequiť: quia accepta teneret cōpensare. nec enĩ illud responsum principaliter attingit de iure creditoris, sed solùm quomodo cōdicere solutã partẽ debitor possit, ubi in alia specie solidum pręstiterit. Communis tamen sententia aliter se habet, ut debitor hominis quãuis Stichi partẽ præstiterit, possit nihilominus interim in totũ cōueniri: sed qui disiunctiuè Stichũ aut X. debet, parte Stichi soluta, in reliquã solùm partẽ cōueniatur. In priore enim casu Stichus nō erat in obligatione: unde soluta parte, nihil diciť solutũ, in posteriore non ita est. Sed hanc ego differentiã non probo, cum obligationẽ hominis, &

p Bar. in l. Titiũ §. altero. ff. de adm. tut.
q Idẽ in d. §. cato
r l. si non sortem §. si decem. de cond. indeb. d. §. si decem.
s l. j. de cond. ob cau.
t l. si stipulatus. in fi. de solu.
u d. §. si decem.

minis, & disiunctiuam ubiq; uideamus æquiparari. Et hæc in ipsis principalibus procedunt: quid uerò in hæredibus sit, in seq. §. attingam. Cæterùm hic generaliter quæritur, an semel nata obligatio unquam suspendatur: & in id deuentum est, ut quantum ad substantiam, nunquam suspendi dicamus[x]. quantum uerò sit respectu executionis, non ambigitur posse eam in pendenti stare. sicut & in pendenti esse potest, nunquid futurum sit ut nascatur obligatio. cuius rei exemplum est[y] in eo qui fructus debet, quos in fundo Trebatiano nasci hoc anno cõtigerit. a ℭ EIVSDEM CONDITIONIS. in hoc tamen est differentia, quòd cum aliqua disiunctiuè debentur, utrunq; est in obligatione: sed in debito hominis, nullus: uerùm is qui præstitus fuerit, retro fingitur fuisse promissus. & ita aiunt communiter. Ego has obligationes generaliter æquiparari

x l. qui res. §. aream. de sol.
y l. inter. §. sacram. infra eo.

donec alius detur. [a] eiusdem conditionis est hæc stipulatio, Stichum aut Pamphilum dari. Ex his igitur stipulationibus nec[b] hęredes quidem pro parte soluendo liberari possunt, quandiu nõ ean

arbitror. Vnde sicut promissor hominis tenetur in unũquenque sub conditione, si alios nõ soluerit[z]: ita qui Stichum, aut Pamphilum spopondit, ad Stichum tenetur, si Pamphilum non dederit: & eodem modo ad Pamphilum, si Stichum non dederit. Solumq; illam differentiam constituo, quòd in obligatione disiunctiua, cum de paucioribus speciebus agatur, maiorem affectionẽ uidentur contrahentes erga illas habuisse, quàm in obligatione generis, in qua de infinitis speciebus agitur. Ex qua differentia resultant aliqui effectus. Quapropter si dominus Pamphili stipuletur, Stichum aut Pamphilum dari, in Pamphilo non ualet obligatio. unde quamuis interim alienet, nõ poterit in eo fieri solutio: quod non procedit, si dominus generaliter hominẽ stipulatus sit[a]. Et ratio est: quia in obligatione disiunctiua, nõ ualuit promissio Pamphili, cũ nemo possit rem suam stipulari sibi dari: quocirca uidetur dominus purè stipulatus Stichum sibi dari. Sed in obligatione generis non uidetur stipulator aliquam speciem tunc considerasse, nec magis de uno seruo egisse quàm de alio. quamobrem attendimus solum tempus solutionis, quo tempore, electione debitoris incipit certum esse quis prestabitur. eo igitur tempore Pamphilus dari poterit, tanquam dominus rem suam in eum casum sit stipulatus, quo sua non sit. Ex eadem quoq; differentia illud consequens est, ut si hominem mihi debeas, & ego tecum paciscar non petere Stichum, remaneas obligatus in quemlibet alium præter Stichum[b]. quod nõ est si disiunctiuè Stichum aut Pamphilum debeas. nam cum par causa utriusq; habitã rationem ostendat, si promiserim alterum non petere, in totum liberaris, ne & aliâs disiunctiua obligatio contra paciscentis intentionẽ fieret pura. Nec aduersus nostram hanc generalem traditionẽ urget, quod ait Iurisconsultus[c], si cum deberẽ tibi Stichum aut x. & credens purè Stichum debere, eum præstiterim, condictionem mihi cõpetere: & tamen hęres, à quo generaliter homo legatus est, si credens Stichum legatũ soluerit, non condicet[d]. Nam id introductũ est, nõ quòd differentia sit inter obligationem generis & disiunctiuã, ut pleriq; omnes opinantur: sed quia differentia est inter contractum & legata. nam in contractibus soluto Sticho per errorem, si debitor x. soluat, retro fingitur hæc quantitas fuisse in obligatione: quia in cõtractibus conditiones trahuntur retro[e]. unde sequitur, ut Stichus repetatur tanquam indebitus. sed in legatis soluto Sticho, si quis offerat alium, non tamen fingitur illum alium fuisse in obligatione, & consequenter Stichum indebitũ, cum in legatis conditiones non trahantur retro[f]. Superius autem diximus utriq; promissioni inesse conditionẽ, ut si unus non det, alius detur. b ℭ EX HIS. HAEREDES. non tamen qui soluerit pro rata parte in aliquo seruo, poterit interim cõueniri, anteq; constet alios cohæredes in eodem seruo nolle partes suas præstare: quod in ipso promissore nõ procedit[g]. & ratio differentiæ est: quia huiusmodi hæres soluit totum id quod debet, licet nõ prorsus ut debet: sed principalis, cum debeat totũ, soluit nisi partẽ, meritò potest in totũ etiã interim conueniri. & in hoc ferè omnes consentiunt. Sed num poterit unus ex pluribus hæredibus soluere partẽ suam in aliquo seruo, non expectatis alijs cohæredibus, etiã creditore inuito, ita quòd interim non possit eum creditor conuenire? Et aiũt

z l. iij. supra. qui & à quibus man.
a l. qui decem. §. Stichum. infra de solut.
b l. si unus. §. sed si stipulat. de pactis.
c in l. cum his. §. fi. de con. inde.
d l. si is cui. de lega. ij.
e l. necessario. §. quod si pendente. de peri. rei uen.
f l. j. §. serui ad Syll.
g l. si stipul. infra de solut.

cõmuniter creditorem non posse cogi,ut accipiat,ne aliàs nõ consequatᷣ quod est stipu
b *d.§.pro parte* latus [h]. Sed hæc ratio procedit,cum agitur ut plenariã liberationem aliquis consequatᷣ:
nos uerò in eo dubitamus,cũ non alia de causa unus ex hæredibus soluit,quàm ut inte
i *in uersic.quo casu.* rim non conueniatᷣ. Fortius in eam sententiã aliquis mouebitᷣ,quia hîc probatur [i],hære
di succurri per actionẽ familiæ herciscundæ, ut repetat quod pro cæteris ipse soluisset,
nam si creditorẽ potuisset cogere,ut partẽ suã reciperet,si solidum maluerit soluere,sibi
imputandũ fuerat,qui sponte soluit,cum solutione partis suæ potuisset ipse liberari. Fa
k *l.hæredes.§.si unus.ff.famil. hercis.* mil. autẽ herciscundæ iudiciũ non datᷣ, nisi ei qui cogi potuit [k],ut solueret. Sed fortè fal
sum est huic hæredi cõsuli famil.hercis.actione.nam uersiculus,quo casu, ad huius §.
principiũ nõ uideᷣ referendus;licet alij omnes contrà. a ¶OMNES DEDERINT.
quid si unus pro alijs solue-
rit? Et cõmuniter aiunt,fam.
herc. iudicio eũ repetere q̃d
pro alijs præstiterit. quod sa-
tis potest defendi,cum uolen

dem rẽ [a] omnes dederint. non enim [b] ex persona hæredum conditio obligationis immutatur. Et ideo si diuisionem res promissa non recipiat,ue-

tibus cohæredibus soluisset: alioquin poterunt cohæredes eã solutionẽ non approba-
re, ne ius electionis, quod ipsi habent,extinguatur: cum enim ad omnes pertineat ele-
l *arg.l.in diem. uer.& ideo.ff. de aq. plu.arc.* ctio,tametsi unus præueniat,nihil cæteris obest [l]. Sed finge non consentire eos in eius-
dem hominis solutione,quomodo creditori prouidebitᷣ? Et Bart.ait,quandocunq; iudi
ci de discordia constet,condemnationem ad æstimationẽ esse redigendam. quæ senten
m *d.l.qui seruum §.fi.in eo.* tia non placet: tum quia aduersus regulam est [m],ut qui sibi dari stipulatus sit,non rem,
sed æstimationẽ accipere compellatᷣ, re præsertim extante. qui enim hominem debet,
n *l. incendium. C. si cer.pet.* in genere tenetur:at genus nunquam perit [n],nec debitorum inter se discordia creditori
nocere debet: tum etiã quia sicut ipse principalis rem ipsam præstare cogeretur,ita etiã
hæredes,ne mutetur obligationis conditio. his accedit, quòd ideo hæredes non nisi so
o *d.§.pro parte* luto integro homine liberari lex ait [o], ne in diuersis hominibus rectè partes soluantur. D
at si in æstimationem cõdemnatio fieri potuisset, non solùm in diuersis hominibus,sed
partim in re,partim in æstimatione potuisset contingere,ut solueretur. Aliter ergo suc-
curri creditori dicendum est: & aiunt officio iudicis cogi hæredes ad concordiã. Id au-
tem fiet uel per pignoris capionẽ, uel etiã per indictionem mulctæ, uel(ut alij malunt)
per cõminationem; qua nisi in eodem cõsentiatur,dicat iudex se esse in creditorem ius
eligendi translaturum: quod procederet, si partes nullo modo eligerent: sed si eligant,
licet diuersos,non uidetur ad hæc remedia diuertendum,cum omniũ culpa non argua
tur. nec enim quisquam in sententiam collegæ magis ire debuit, quàm collega in suã.
Rectius ergo fecerit iudex, si comminetur: nisi intra certã diem conuenerint, se electu
p *l. in uenditione. §. fin. de bon. auct.iud.pos.* rum [p]; quo casu poterit in dubijs gratificari maiori parti [q]. b ¶EX PERSONA HAE
REDVM. Vbi ergo obligatio transfunditur de defuncto in hæredem, non immutatᷣ.
q *c. iij. de iur. pat.* quod uerũ esse tradunt omnes in obligationibus indiuiduis: non autẽ in cæteris, quas
XII. tab.lex diuidit. Ego non probo regulam, generaliter per Iurisconsultũ hîc tradi-
tam,sic coarctari:non enim ex XII. tab.mutatur obligationis conditio:sed cum huius-
modi obligationes diuiderentur,etiam in personã principalis:ut ostendi in præcedenti
r *l.ea quæ. C.famil. hercis.* §. ea lege fit ipso iure diuisio pro rata [r]. tametsi etiam non negauerim quandoq; mutari
conditionem obligationis, si aliqua ratio hoc suadeat. Verbi gratia: fauore creditoris
hîc inductum est, ne mutetur conditio obligationis: pone ad eius fauorem pertinere
s *l.legatarius.de lega.j.* ut mutetur, certè tunc non procedet regula. quapropter quamuis legatarius non pos-
t *l. nã absurdũ. de bon.libe.* sit partem legati agnoscere, partem repudiare: aliquis tamen ex eius hæredibus pote-
rit partem ad se pertinentem recusare [s]. nam hic quantum in se est, iudicium defun-
u *l.quia sol.mat.* cti, à quo legatum est, in totum approbat, & nemini præiudicat [t]. Cæterùm genera-
x *l. cũ hæredes. de acqui. pos.* liter fatendum est idem de hærede statuendum esse, quod in defuncto constitutũ fuit.
quod tamen in iuribus personalibus [u]: item in his quæ merum factum respiciunt,non
y *l. qui in alterius. de reg. iur.* procedit [x]: quoniam ea in hæredes non transferuntur. sicut ex contrario potior est con
ditio hæredis ratione ignorantiæ, quæ in eo præsumitur, qui in alterius locum succes-
z *l.fi.C.de euict.* sit [y]. Idemq; in his quæ non ex defuncto, sed ex propria persona hæres consequitur [z].
a ¶SIN-

a ❡SINGVLI. atqui magis uideretur conuenisse, si constitutũ fuisset, ut hi hæredes collectim omnes tenerentur. nec tantũ à regulis iuris fuisset digressum, cum & potuisset tali casu constitui, ut cõmoda ad omnes collectiuè pertinerẽt. & in hoc se aliqui plurimũ intricant. Ipse opinor idcirco singulos insolidum teneri, ut quisquis fuerit, ad quẽ fundus, in quo seruitus promissa est, ex diuisionibus pertineat, possit conueniri, & compelli ipsam seruitutẽ præstare. quod fieri non potuisset, nisi stipulator eum haberet insolidum obligatũ. b ❡SED QVO CASV. id est, quibus casibus, ut non solùm id procedat in promissione uiæ, sed etiam in promissione hominis in genere. & ita omnes sentiunt. Mihi magis arriserit sermonis proprietatẽ tueri. nam non uideo quomodo unus ex hæredibus possit compelli, ut solidũ hominẽ præstet: cum enim creditor solùm pro rata portione aduersus eũ experiatur (obligatio enim petitione diuidua est) non poterit iudex cogere ut plus soluat, quàm fuerit petitum [a]. a l. ut fundus. ff. cõmu. diuidun.

luti uia, hæredes promissoris [a] singuli insolidum tenentur. [b] sed quo casu unus ex hæredibus [c] solidum præstiterit, petitionẽ habebit à cohærede familiæ herciscundæ iudicio. ex quo quidem accidere posse Pomp. ait, ut et stipulatoris, uiæ uel itineris hæredes singuli insolidũ habeant actionem. sed quidam hoc casu extingui stipulationẽ putant: [d] quia per singulos acquiri seruitus non potest. sed non facit inutilem stipulationem [e] dif

c ❡SOLIDVM PRAESTITERIT. Sed quomodo poterit id fieri? cum in fundo cõmuni non possit unus ex cohæredibus seruitutem constituere: sed omniũ consensus necessarius sit [b], & crebriore calculo post Bart. solet dici: b l. pro parte. ff. de ser.
hic non de seruitute, sed eius æstimatione intelligendum: fiet enim condemnatio insolidum, & quia ille cohæres rei soluendæ facultatem non habebit, litis æstimationẽ præ-
B stabit [c]. cæterùm quia hæc interpretatio contextis uerbis non quadrat, alij aliter dixerunt. Ego, dum iurisconsultus inquit, quo casu unus ex hæredibus, &c. puto intelligendum in eo casu, in quo unus solidum præstare possit: ueluti cum in diuisionibus inter ipsos factis, fundus ad eum peruenit, qui conuentus est. nam is cum solus sit eius dominus, poterit seruitutem constituere. nec tali casu per diuisiones extra iudiciales familiæ herciscundæ actio perimitur [d]. d ❡QVIA PER SINGVLOS. Alia ratio alibi affertur, uidelicet quia stipulatio in eum casum deuenit, à quo incipere non potest [e]. quod hoc modo declarandum est: nam mortuo testatore, cuius fundo fuerat promissa seruitus, fundus ille efficitur omnium hæredum communis. finge ergo unum ex eis in solidum agere, uideretur stipulationem extingui: quia cum per ipsum seruitus acquiri fundo communi non possit, sequitur in eum casum deuenisse, à quo nõ potuisset incipere. sed tamen aliter deciditur: quia licet huic actori præstari nequeat seruitus, præstabitur æstimatio, seu quod sua interest: quæ æstimatio licet difficulter ineatur [f], tamen difficultas præstationis non uitiat stipulationẽ. atq; ita ego sentio. e ❡DIFFICVLTAS PRAESTATIONIS. Verba Iurisconsulti in eum casum expressè concipiuntur, quo uel unus tantum agere uelit. quem sensum proximè secutus sum. Communis tamen sententia aliter se habet: nimirum ut intelligamus Iurisconsultum loqui casu quo omnes agere uelint. nam & tunc difficultas est in præstatione, tam ratione plurium hæredum stipulatoris, quàm promissoris: quia non nisi omnibus consentientibus seruitus constitui poterit [g], & uel facilimè discordes erunt inter se hæredes stipulatoris, cum ad eos pertineat eius loci electio, in quo seruitus constituatur [h]. Ipse non arbitror recedendum à regula, ut electionẽ demus debitoribus, nisi simplex facultas uiæ in infinito sit relicta [i]. Nec obest, quòd itinere ad prædium commune duorum relicto, nisi uterq; de loco itineris consentiat, seruitus non acquiritur [k]. quia licet requiratur consensus utriusq;, cum locus constitui debeat utriq; commodus, non tamen sequitur, quin hæres ipse eligat. Enimuero admissa cõmuni interpretatione dubitatur. finge singulos hæredes stipulatoris egisse ad uiam, & unum succubuisse, nunquid ea sententia alijs oberit? & Cynus Alexanderq; obesse aiunt; quia seruitus nõ nisi omnibus constitui potest: ui-

c d. l. hæredes. §. an ea.
d l. f. C. fami. herc.
e l. pluribus. §. fi. infra eo.
f l. fi. infra de præt. stip.
g l. fi. ff. cõ. præd
h l. si uia. de ser. rusti.
i l. si cui. de seru.
k l. itinere. de ser. rusti.

ćto autem non poteſt conſtitui; nulli ergo conſtituetur. Cæteri contrà, quod eſt uerius: nam qui ſuccubuit, ius aliquod in ſeruitute non habet: quia ſententia facit ius [l]. quapropter cohæredibus nocere non poterit. Atq; ſi in rerum natura non eſſet, tametſi ex æquitate debeant cohæredes ſinere, ut per eos acquiſita ſeruitute de facto utatur, alioquin & regula eſt, ſententiam nec prodeſſe alteri, nec nocere, niſi ea lata ſit de ſeruitute iam conſtituta [m], quia cum in ea uertatur ius in rem indiuiduum, meritò omnes afficit, ad quos res pertinet. a ℭ SI TAMEN HOMINEM. Finge te, qui mihi hominem in genere promiſeras, deceſſiſſe, relictis hæredibus: ego contrà aliquem eorum egi & ſuccubui, uel aliquem eorum per acceptilationẽ liberaui: num cæteri ſi ſoluant pro portionibus ſuis in eadem ſpecie, liberentur. & lex ait liberari. Nec hoc caſu quicquã eſt in ſuſpenſo: cũ alioquin ſi obtinuiſſem, liberatio penderet, donec uictus in eadem ſpecie ſatisfaceret. & ratio eſt: quia hoc caſu nõ poſſum conqueri, me quod ſtipulatus eſſem nõ conſequi [n]. nec enim hîc periculum eſt, ne ille cum quo egi, uel quẽ liberaui, in diuerſa ſpecie ſoluat, cum in nihilo teneatur. Quapropter ſi ponamus me ſuccubuiſſe, quia fuerit mihi ſatisfactum [o], non arbitror alios liberari, niſi eadem in ſpecie ſatisfaciant: licet aliqui recentiores contrarium ſenſerint, argumentis certè futilibus. b ℭ EGERO. & ſuccubuero. quod oſtendunt ſequẽtia: ſi enim pars duntaxat cæterorũ obligationi ſupereſt, ergo pars illius, contra quem eſt actum, non ſupereſt: ſi non ſupereſt, conſequens eſt, eum liberatum, & me ſuccubuiſſe. Poteſt etiam ea ſententia defendi, ut ex ſimplici actionis intentione dicamus, cenſeri creditorem ſibi præiudicaſſe, niſi aduerſus omnes egerit, uel per teſtationem ſuum ius reſeruauerit. Nec obeſt, quòd ſi per receptionem ſolutionis ab uno factæ ſibi non præiudicat, multò minus per ſolam petitionem: quia ut reciperet ſolutionem, etiam inuitus poterat compelli, ut probaui ſuperius [p]. ſed ut contra unum tantum ageret, non poterat, meritò per actum uoluntarium, his quæ in fauorem ſui introducta ſunt, uidetur renunciaſſe. Minus etiam me mouerit, quòd ſola petitione non uidetur facta diuiſio inter duos reos debendi [q]: quia cũ illi omnino inſolidum teneantur, difficilius liberantur: at in caſu noſtro pro parte quilibet tenetur. non opinor tamen à priori expoſitione, quam omnes probant, diſcedendum. c ℭ ACCEPTOLATVM SIT. qua ratione fit, ut ſi decem, aut hominem mihi debeas, & ego quinque acceptotulerim, ſoluendo dimidium hominem libereris [r]. non enim hîc ſolutio in diuerſis ſpeciebus dicitur facta, tum quòd acceptilatio non niſi à uolente fit, tum quòd eſt remiſſio ſeu donatio. d ℭ PROMISSORE. Accurſius, & Alexander generaliter accipiunt, ut omne quod dictum eſt ſuprà de ipſo principali, habeat locum etiam in fideiuſſoribus; qua ratione & acceptilatio facta promiſſori proderit fideiuſſoribus: ſed Socino, & Iaſoni uerius uidetur, ut uelit Iuriſconſultus ea, quæ de promiſſore & eius hæredibus dicuntur, locum ſibi uendicare etiam in fideiuſſoribus: nam ſicut obligatio hæredum diuiditur pro rata, per legem XII. tab. ita obligationes fideiuſſoriæ ex epiſtola diui Adriani [s]. quapropter ſi unus ex fideiuſſoribus fuerit uel ſententia, uel acceptilatione liberatus, cæteri dum partes ſuas in eodem homine ſoluant, liberabuntur: in quam ſententiam & nos accedimus. e ℭ ITEM SI IN FACTO. Superius tractatum eſt de obligationibus, quæ in dando conſiſtunt, ſupereſt ut uideamus de his quæ ſunt facti, ſed hîc dubitatur, propterea quòd infra adducitur, pro exemplo, ſtipulatio habere licere quæ ad ius, non ad factum refertur [t]. Doctores non extricant, quamuis diſſolutio ſit euidens. nam hæc ſtipulatio in facto conſiſtit. non enim ex ea transfertũ dominiũ, ut poſſit dici reſpicere dationẽ, quamuis in ea ſumatũ hæc interpretatio, ut cui promittitũ habere licere, intelligatũ promiſſum habere licere de iure.

ficultas prẹſtationis. [a]ſi tamen hominem ſtipulatus, cum uno ex hæredibus promiſſoris [b]egero, pars duntaxat cæterorũ obligationis ſupererit, ut exolui poſſit. Idemq; eſt, ſi uni ex hẹredibus [c] acceptolatum ſit. idemq; eſt in ipſo [d]promiſſore & in fideiuſſoribus eius, quod diximus in hæredibus. [e] Itẽ ſi in facto ſit ſtipulatio, ueluti ſi ita ſti-

l l ingenuum. de ſtatu homi.
m l. loci. §. ſi fundus. ff. ſi ſer. uend.
n d. §. pro parte.
o l. ſi reus paratus. de procu.
p in §. et harum.
q l. reos. C. de fideiuſſo.
r l. qui hominẽ. de acceptil.
s §. ſi plures. inſti. de fideiuſſ.
t l. ſtipulatio iſta. §. hi qui. infra eo.

a ℭ PER

A a ¶ PER TE NON FIERI. hæc stipulatio meri facti est, cum uerba factum respiciant, scilicet ire agere: quod generaliter procedit: alioquin si uerba iuris adijcerentur, secus esset: ut si quis uiam, uel ius eundi stipuletur. b ¶ HAEREDEM. nisi id fuisset expressum, hæc stipulatio [u] ad hæredes non transiret: quia meri facti est, atq; ita se habet communis opinio: quod uerum est, nisi pro seruitutis iam constitutæ conseruatione fuerit interposita. c ¶ TENENTVR. uidetur enim inter contrahentes actum, ut ex facto unius etiam cæteri obligentur: cum tantum præiudicij, unius prohibitio afferat, quantum si omnes prohiberent: dubium autem non est, quin potuerit defunctus hæredes suos ita obligare. quapropter si stipulatio à defuncto non proueniat, alter alterius facto non obligatur [x]. eadémque ratione si unus contraueniens nisi pro parte ob=

pulatus fuero, [a] per te non fieri, neq; per [b] hæredem tuum, quò minus mihi ire agere liceat, & unus ex pluribus hæredibus prohibuerit, [c] tenentur quidem & cohæredes eius: sed familiæ herciscundæ iudicio [d] ab eo repetent [e] quod præstiterunt. hoc & Iulianus & Pompeius probant. Contrà autem si stipulator decesserit, qui stipulatus erat sibi hærediq; suo ire agere licere: & unus ex hæredibus suis prohibeatur, interesse dicemus, utrum stipulatio insolidum cõmittatur, an pro parte eius qui prohibitus est. nã si pœna stipulationi adiecta sit, [f] insolidum committetur sti

sit, alij non tenentur: hinc in re deposita si unus ex hæredibus dolum committat, solus tenetur [y]. quia integrum præiudicium non fit creditori, cui salua est actio ad rem restituendam aduersus cohęredes: licet hunc articulum uanissimis ambagibus Doctores nostri infarserint. d ¶ REPETENT. quotiescunque ergo alienam culpam aliquis præstat, æquissimum est ei succurri, ut à delinquente repetat quod eius causa præstiterit. quapropter

B si aliqui municipes clarigationem, seu ius prensionis (repræsalias uulgò uocant) aduersos finitimos decreuerint, coëgerintq; aliquid sibi præstari, succurretur capto, aduersus illos qui causam decreto dederint: quod omnes ita accipiunt, si alioquin iusta ex causa ius pignerationis decretum fuerit [z]. missis item fæcialibus, & admonitis finitimis, nisi iniuria abstinerent, & malè facta emendarent, fore ut tale ius contra eos constitueretur. e ¶ QVOD PRAESTITERVNT. Et sic, quantumcunque sit, quod fuerit præstitum. Videamus ergo quatenus promissoris hæredes uersus stipulatorem teneantur, & pro portione hæreditaria teneri, ex responso Catonis proditum est [a]. quod uidetur huic textui admodum conuenire, dum dicitur, repetent quod præstiterunt. nam si tenerentur insolidum, solus qui solidum soluisset, repeteret, non omnes: nisi dixeris omnes repetere, casu quo aduersus omnes stipulator egerit: ut pro portionibus hæreditarijs, id quod sua interest, consequeretur: non idcirco tamen consequens est, quin possit unum insolidum conuenire: quam sententiam ipse ferè ueriorem arbitror. Nam & alibi lex ait [b], quoties singuli hæredes insolidum tenentur, familiæ herciscundæ iudicio cautiones interponi debere: subditurq; exemplum istius stipulationis, in qua uno prohibente insolidum committitur stipulatio. Sed & Iurisconsultus in executione obligationis, cum aliquam speciem tradidisset [c], in qua totum peti necesse esset, nec nisi solidum præstari posset: hanc stipulationem in exemplum adducit. Nec ab hac sententia dissidet Bartolus, qui in Catonis responso in VI. q. scribit, quoties stipulatio ad hæredem non transeat, si eius fiat mentio, non pro parte hæreditaria, sed insolidum committi. qua ratione si promisero, nec per me, nec per hæredes meos fieri, ut tu, uel hæredes tui offendantur, committetur stipulatio insolidum aduersus offendentem, & eius cohæredes. quam sententiam & ipse sequor: licet alij non nisi pro portionibus hæreditarijs committi communi calculo existiment. nec nostram sententiam Catonis responsum oppugnat, ut ibi differam. f ¶ INSOLIDVM COMMITTETVR. Et hoc sententiam nostram confirmat. Sicut enim stipulatio committitur insolidum, uno ex hæredibus stipulatoris prohibito: ita debet committi aduersus

u l. stipulatio istã §. si quis uti.

x l. de pupillo. §. si plurium. supra de op. no. nun.

y l. infra depositi ff. deposi.

z arg. l. si per imprudentiã. de euic.

a §. Cato. infra.

b d. l. hæredes. §. in illa.

c l. in executione. §. secunda. infra eo.

unum ex hæredibus promissoris prohibentem. & communis expositio ridicula est: ut accipiamus insolidum, id est pro portionibus hæreditarijs. a ¶ DOLI EXCEPTIONE. Nisi hæres prohibitus iret ad fundum hæreditarium communem, nam tunc uidentur omnes prohibiti, cum aliorum quoque nomine ire agere uideatur: quod Bartolus ait, sed id ego non probauerim: tum quia nimis coarctarentur uerba legis, tum quia cum omnes eundi agendi facultatem habeant, quemlibet principaliter sui causa ire credendum est: nec utilitatem fundi uerba stipulationis respiciunt, quæ, ut suprà diximus, non ad seruitutem, sed ad merum factum referuntur. b ¶ COMMITTETVR STIPVLATIO. quia amplius sua nõ interest; hæc autem promissio cum sit facti, in id quod interest committitur [d]. & licet factũ quoque ipsum etiam post morã possit peti, condematio tamen redigetur ad æstimationẽ, quod & Accursius sensit. C

d l. stipulatiões. uersic. Celsus. infra eo.

pulatio. sed qui nõ sunt prohibiti [a] doli exceptione submouebuntur. si uerò pœna nulla posita sit, tunc pro parte tantũ eius qui prohibitus est [b] committetur stipulatio.

VLPIANVS LIB. XVIII. AD SABINVM.


Dem iuris est in illa stipulatione mihi, hærediq; meo habere [c] licere. Sed hæc differentia illam habet rationẽ, quòd ubi unus ex hæredibus prohibetur, nõ potest cohæres ex stipulatu agere, cuius nihil interest, nisi pœna subiecta sit. nam pœna subiecta efficiet ut omnibus cõmittatur: quia hîc non [d] quęrimus cuius intersit. Enimuero ubi D
unus ex hæredibus prohibet, omnes tenẽtur hęredes, interest enĩ prohibiti, à nemine ꝓhiberi. [e]

IDEM IVRIS. c ¶ LICERE. Sed cum hęc stipulatio idem quod cõtrouersiam non mouere contineat [e], cur diuisionem non recipit? sicut illa stipulatio amplius non agi [f]. Et Angelus Socinúsque secundum naturam rei, in cuius conseruationem interponitur, interpretari eam crediderũt: quod probo, dum id sciamus, solitos fuisse ueteres hac stipulatione sibi in emptionibus consulere [g], meritò igitur huiusmodi cautio diuisionẽ non recipit: quia eius contractus in diuisa est natura. Idemq; dicendum est in stipulatione de defendendo [h], quæ & ipsa propter euictionem interponitur. d ¶ HIC NON QVAERIMVS. Pœna committitur, tametsi non intersit ubicunque contra stipulationem directò delinquatur [i]: tum enim maximè fides uidetur contemni: si uerò obiter, & per obliquum contrafiat, non committitur nisi intersit [k]. quapropter si unus ex pluribus hæredibus stipulatoris prohibeatur, licet alij mero iure ad pœnam agant: quoniam uerba stipulationis hoc uidentur inducere, obstat tamen doli exceptio: quoniam non ea uidetur fuisse intentio contrahentium, ut omnes efficaciter agere possint: quotiens non tantum ab uno præiudicatur, quantum ab omnibus. In stipulationibus uerò prætorijs, alijsq; iudicijs, in quibus sola æquitas obseruatur, non committitur unquam pœna nisi intersit. satisq; est uel modicum interesse, ut integra pœna committatur: quod Bartolus sensit [l]. diciturq; stipulatio pœnalis, ubi quid promissum est, si ita factum non fuerit, licet non sit additũ pœnæ nomine dari. atq; ita communiter dici solet: reijciturq; eorum sententia, qui subditam promissioni facti stipulationem non committi, nisi quatenus interest, aiebant. hæc enim stipulatio, promittis Titio dare centum, facti est [m]. & tamen in ea pœna committitur, quamuis non intersit.

e d.l. stipulatio ista. §.1.
f §. Cato.
g l. habere. de uerb. sig. & de euic.
h l. cum ex causa. infra eo.
i d. l. stipulatio ista. §. alteri.
k l. aduersus. ff. de arb.
l §. Cato. in ix. opp.
m l. liber homo. §. fi. infra eo.

EADEM

A EADEM DICEMVS. a ¶ HAEREDE. cum hæc ſtipulatio, dolum malum abeſſe, ad hæredes tranſeat, nónne hæredis mentio ſuperfluò adijcitur? & ita communiter creditur: quod fortè uerum non eſt. nam qui in promiſſione facti etiam hæredis mentionem facit, uidetur hoc agere, ut ſtipulatio reſpectu hæredis ab eo incipiat: & expreſſa tacitis præferuntur: præſumiturq; id in factis, potiuſquam in dationibus: cum in perſona cuiuſlibet, dationes ſint eædem: at facta de defuncto in hæredes uariantur [a]. b ¶ CATO LIBRO XV. Hactenus de principalibus dandi, faciendiq; obligationibus dictum eſt: nunc proſequitur Iuriſconſultus, quemadmodum ſtipulatio pœnalis ſubdita cõtractui committatur: in quo articulo Catonis dictum extabat, diſtinguentis, an facto indiuiduo apponeretur pœna, ut in ſtipulatione iter fieri, & pro portione hæreditaria aduerſus omnes: an facto diuiduo, ut amplius non agi, & pro portione contrafacientis, pœnam cõmitti. Sed in hoc dubitat Iuriſconſultus, an ſtipulatio iſta, amplius non agi, ſit conformis illi, per te non fieri, &c. Concluditq; non eſſe ſimilem: ſed potius illi, Titium

a d.l. ſi nõ fortè. §. libertus.

PAVLVS LIB. XII. AD SABINVM.


Adem dicemus & ſi dolum malum abeſſe à te, [a] hæredeq; tuo ſtipulatus ſim: & aut promiſſor, aut ſtipulator pluribus hæredibus relictis deceſſerit. [b] Cato libro XV. ſcribit: Pœna [c] certæ pecu

hæredemq; ratum habiturũ: & ita ferè ſe habet cõmunis ſententia, quæ cõtextis uerbis minimè congruit. Ego noua declaratione arbitror reſponſum id eſſe percipiendum. Diſtinxerat Cato inter promiſſionem facti indiuidui, qualis eſt iter fieri, & promiſſionem diuiduam, ut eſt amplius non agi: addideratq; pro exemplo ſtipulationis indiuiduæ ſtipulationem, per te non fieri, nec per hæredem tuum, quò minus ire agere liceret. Non
B probat hoc Paulus Iuriſconſultus: quia uideretur potius ea ſtipulatio ſimilis eſſe illi, Titium hæredemq; ratum habiturum: quippe in utraq; mentio hæredis habetur. Tandem decidit non eſſe ſimilem alicui illarum: nam in ſtipulatione iter fieri cõmmittitur pœna ab uno contrafaciente aduerſus omnes pro portione hæreditaria: in ſtipulatione uerò per te, nec per hæredem tuum fieri, &c. committitur contra omnes inſolidum. At in ſtipulatione amplius non agi cõmittitur, niſi aduerſus contrafacientem pro ſua parte tantum: in ſtipulatione uerò Titium hæredemq; ratum habiturum committitur non pro parte, ſed inſolidum aduerſus eum qui deliquit. duo ergo exempla per Catonem relata defenduntur: duo alia per Paulum explicantur, & unumquodq; diuerſo iure terminatur. proſecutusq; eſt Cato, cum ſimpliciter facta eſt promiſſio per principalem: at Paulus eum attingit caſum, cum de hæredibus quoque nominatim cautum eſt, dilucidiusq; hæc infrà explicabunt. ¶ CATO. de Cenſorini Catonis filio M. Portio Catone eſt accipiendum, qui egregios de iuris diſci plina libros reliquit, ut A. Gellius libro XIII. cap. XVIII. autor eſt. Eius meminit & Pomponius [b]. fuit autem & alius Iuriſconſultus, Fabius Sabinus, qui ſub Alexan. Imperatore floruit, & Cato ſui temporis dictus eſt, ſcripſit epiſtolarum libros octo, & iuris ciuilis tres, et ſingularem ex Proculo, ut proculdubio malè ſentiant, qui Catonẽ Vticenſem hîc intelligunt: cum ille non Iuriſconſultus, ſed Stoicus fuerit. c ¶ CERTAE PECVNIAE. quid ſi in pœna deductũ ſit aliquid indiuiduũ, puta promittis iter, & niſi dederis, inſulam ædificare ſpondes? & committi ſtipulationẽ inſolidum aduerſus omnes proditũ eſt [c]. quid ſi principalis ſtipulatio diuiſionẽ recipiat, ueluti promittis amplius non agere, & ſi egeris promittis iter? committetur quidem ipſo iure ſtipulatio inſolidum aduerſus omnes: ſed compelletur actor, qui pœnam conſequi uelit, offerre æſtimationem pro parte aliorum cohæredum, qui non contrafecerunt [d]. & hoc ne pœna delicto ſit grauior [e]. & ita communiter aiunt. Ipſe aliâs deprendi propter indiuiſam rei naturam: tametſi aliquis in parte tantum delinquat, in totum tamen plecti [f]. nec in id deueniri ut actor æſtimationem aliquam offerat. quapropter & clientulus ſi ex culpa ſua beneficiarium fundum amittat, lucratur dominus etiam emponemata, quæ à ſolo diuelli non poſſunt: licet ſi

b l. ij. §. deinde Marcus. ſupra de orig. iur.
c arg. l. ij. §. ex his. ſupra eo.
d arg. l. cum filius. in prin. de lega. ij.
e l. reſcriptum. de his quib. ut indig.
f l. j. §. quãuis. ſupra de his quæ infra. pat.

g Doct. in c. j. §. si uasallus. hic finit lex. separabilia essent, non lucraretur [g]. nam & satis nouum est, ut teneatur actor offerre æ- C
stimationem, cum de hoc nihil sit cautum. a ℂPRO PORTIONE HAEREDITARIA. Nam cum pœna in quantitate consistat, ea obligatio per legem XII. tab. diuiditur, quæ omnes obligationes transfusas diuidit. quapropter in stipulatione per te, nec per hæredem tuum fieri, quò minus mihi ire agere liceat: arbitror pœnam insolidum, non pro rata committi, ut superius disserui. quia huiusmodi obligatio non est transfusa (nec enim obligatio per te non fieri, quò minus mihi ire agere liceat, ad hæredes transmittitur) [h]. Sed ab ipsis hæredibus incipit, nec hanc XII. tabulæ diuidunt: quippe id diuiditur, quod unum fuit: at hæc nunquam fuit una, imò ab ipsa origine in singulos hæredes diuersa incipit. & quãuis possit hæc stipulatio dici hæreditaria [i], quia per defunctum fuit hæreditabus quæsita, non tamen consequens est eam diuidi, cum ut dixi, nũquam fuerit una. Nec nos mouerit, quòd in obligationibus dandi hæredis mentio ex abundanti adijciatur [k]. nam quoties à defuncto incipit huiusmodi obligatio, uerum est hæredum mentionẽ superfluere: cum etiam si de eis nihil specialiter caueatur, ad hæredes transeat. sed in proposita quæstione obligatio pœnalis non incipit à defuncto: imò est accessoria promissionis facti, quæ cum in hæredibus incipiat, meritò etiam pœnalis ab eisdem incipit: post negligentiam enim in priore adhibitam pœnalis ipsa nascitur. D

h d. l. stipulatio ista. §. si quis ita. cum seq.

i l. inter cohæredes §. quod ex facto fam. her.

k l. eum qui. §. j. infra eo.

niæ promissa, siquid aliter factũ sit mortuo promissore, si ex pluribus hæredibus unus contrà quàm cautum sit fecerit, aut ab omnibus hæredibus pœnam committi [a] pro portione hæreditaria, aut ab uno pro portione sua: ab omnibus, si id factum de quo cautum est, sit indiuiduum: ueluti [b] iter fieri, uel [c] non fieri. quia quod in partes diuidi non potest, [d] ab omnibus [e] quodammodo factum uidetur. At si de eo cautum sit, quod diui

b ℂITER FIERI. sterni uiam & præparari. & in hoc consensum est: licet antiqui de iure seruitutis acciperent: quod non conuenit: cum lex facti esse hanc promissionẽ dicat. In seruitutibus uerò ius principaliter, non factum uersatur. nam & cum de seruitute agitur, solent Iurisconsulti alijs uerbis uti, ueluti iter dari, iter constitui: ego à significatione uocabuli non recedo: iter enim fieri nil aliud est, quàm ire [l]. c ℂNON FIERI. Antiqui codices non habent hæc uerba: unde suspicor, ex glossemate aliquo in ipsum textum desultauisse. fortè enim paraphrastes aliquis, dum præcedens exemplum declarare uult, apposuit hæc uerba, uel non fieri, ut ostenderet stipulationem iter fieri, sermonis compendio continere illam, per te non fieri, quò minus mihi ire agere liceat. & ab hoc nec communis sententia dissentit. recentiores interpretantur non fieri, scilicet iter, ut hæc stipulatio quandam liberationẽ à seruitute contineat. d ℂAB OMNIBVS. Atqui Iulianus ait [m]: si neque per te, neque per hæredem tuum Titium fieri, quò minus mihi ire liceat, stipuler: non solùm teneri Titium si prohibeat, sed etiã cohæredes eius: & tamẽ non potest uideri hoc casu eos prohibuisse, nisi respondeas alia ratione eos teneri: cum in proposita specie defunctus in eum casum eos obligauisse uideatur, quo Titius prohiberet. e ℂQVODAMMODO. Sed cum fictio ex æquitate descendat, nónne iniquum fuit, alterius culpam alterum præstare? & aliqui recentiores, cohæredes in effectu non teneri uersus stipulatorem existimant: sed liberari, si actiones aduersus eum, qui contrafecerit, cesserint. quod ridiculum est: non enim cohæredes tenentur quia actionem habeant, ut eam cedendo debeant liberari [n]. nec uideo quas actiones possint cedere: cum eas antè non habeãt quàm ipsi soluerint. nam etsi hæc uera essent, non possent cohæredes quod præstitissent familiæ herciscundæ iudicio repetere [o]: cum illud iudicium non nisi ex necessitate soluentibus detur. at ipsi necessariò non soluissent, qui poterant cessione liberari. Vnde uerius est consuli stipulatori etiam aduersus cohæredes non delinquentes: quia ita conuentum est: & uerbis stipulationis istud inducitur [p]. & summa est æquitas, ut quod actum fuit obseruetur: præsertim quum & soluentibus deinde prouisum sit familiæ herciscundæ iudicio.

l l. j. ff. de his qui deic. uel effud.

m l. Iulianus. infra eo.

n Bar. infra. §. seruum tuum imprudens. si cer. pe.

o §. item si in facto.

p d. §. quod ex facto.

a ℂAMPLIVS

A a ℂ AMPLIVS NON AGI. Cum promissum est amplius nõ agi ad rẽ diuiduã, tunc dubiũ nõ est, quin hæc stipulatio diuisionẽ recipiat. Sed finge me spopõdisse, amplius nõ agere ad speciẽ indiuiduã, puta domũ: nunquid hoc casu fit stipulatio indiuidua? et Bart. esse existimauit: quoniã mortuo promissore, relictis pluribus hęredibus, si unus contraueniret, obtineret partẽ domus, & solueret pœnã: quo casu stipulator eius respectu pœnã tantũ consequeretur: respectu uerò aliorũ qui parent stipulationi, retineret partẽ domus. sicq; in diuersis rebus consequeretur quod est stipulatus. quod quidem inconueniens est, & absurdum [q]. Sed tamen cõmunis sententia aliter se habet: non enim stipulator in id absurdum incidit, nisi uolens: cum possit contrafacientẽ exceptione repellere. sibi ergo imputet, qui exceptione stipulationis agentem non submouerit. Vnde cõsequens est: ut quamuis soleat conditio præcedentẽ actum reddere indiuiduũ [r], tamen in hac stipulatione, cum stipulator possessioni rei incumbat, & possit agentem exceptione reijcere, uidetur actum, ut eatenus committatur pœna, quatenus contrafactũ fuerit [s]. nec enim tunc aliqua fit stipulatori iniuria: qua ratione si sortem promiseris, & ea non soluta, pœnam, nisi integram sortem hæredes tui soluerint, pœna in totum committetur. quoniam alias fieret manifesta iniuria stipulatori; qui cum rem integram non habeat, inuitus damnum patitur: quod in casu nostro non est. & hoc uerius est: licet communi sententia distinguant Doctores inter obligationes dandi & faciendi: ut in illis nisi solidũ detur in totum, & aduersus omnes pœna committatur: quod non est in factis, cum facilius sit pro alio dare, quàm facere. quæ opinio nunquam mihi probata est: cum tam facile sit

B pro alio facere quàm dare, dum de industria personæ actum non proponatur [t]. cum etiam uideamus in factis quoq; aduersus omnes pœnam committi: ueluti si sententiæ arbitri paritum non sit, parẽre enim facti est. His accedit, quod etiam uulgò dicitur, ut pœna euitetur satis esse uel à quocunq; fieri [u]: quamuis promissor ipse non faciat. sed hæc alibi diffusius. Cæterùm hîc traditur, stipulationẽ amplius non agi esse diuiduam: quid dicemus, cum quis tenetur defendere? quid in eo, qui promisit non excipere? quid item in eo, qui mihi tenetur ad agendum aduersus aliquem [x]? & huiusmodi stipulationes secundum naturam rei iudicantur, cuius causa interpositę sunt. Quapropter si rem uenditam promiserim defendere, si in confessoria promiserim non excipere, si in uenditione rei hæreditariæ, quam indiuisam cum cohæredibus habebam, emptori promiserim ad diuisionem agere, me mortuo tenebuntur omnes hæredes [y]. & uno contrafaciente, pœna in totum cõmittetur: nec enim uerisimile est, aliquem partem rei emptu rum, uel communem cum alio hæreditatem æquè libenter habiturũ, atq; si extra communionẽ portio sua esset [z]. qua ratione cum unius ex socijs in confessoria exceptio cæteris prosit [a], & consequenter in totũ stipulatori præiudicet, meritò in totum pœna cõmittitur: et in his alij quoq; consentiũt. quamobrẽ si quis promitteret amplius non agere ad seruitutem constitutam, & eo mortuo unus ex pluribus hæredibus ageret, committetur in totum pœna [b]. quoniam actio illa in totum præiudicat, cum compellatur stipulator illi soli seruitutem permittere: quod non est in seruitute constituenda. non enim soli contrauenienti seruitus constitui potest [c]. b ℂ RATIONEM. Cum enim factum sit indiuiduum, & nisi insolidum peccari non possit, uidetur inter contrahentes actum, ut uno contrauenienti omnes teneantur: quapropter pœna committitur, tanquam conditio stipulationis extiterit [d]. His accedit, quòd in indiuiduis quilibet hæres repræsentat testatorem insolidum [e]. c ℂ NON POTERIT. Si ergo nihil præiudicatur, tametsi aliquis contraueniat, alij non tenebuntur: quapropter si decesserit, qui domum ædificare promiserat, dummodo unus hæredum in totum ædificet, alij non incident in pœnam. idq; uulgò dicitur: quòd si Titium & Męuium liberos esse iussero, si insulam ædificauerint, alter qui solus ædificauerit, erit liber [f], qui enim non ædificauit,

sionẽ recipiat, ueluti [a]amplius non agi, tunc eum hæredem, qui aduersus ea fecerit, pro portione sua solum pœnam cõmittere. Differentiæ hanc esse [b]rationem, quòd in priore casu omnes cõmisisse uidentur, quòd nisi insolidum peccari [c]

q in §. pro parte

r l. cui fundus. de cond. & demonst.

s l. v. §. fi. infra eod.

t l. si statu liberi. §. si quis nõ dare. ff. de statu lib.

u Doc. infra. l. cũ seru. infra eo.

x Bar. infra. ij. iij. iiij. q.

y l. si familiæ. ff. famil. hercis.

z l. cum ex causa. infra eo.

a l. loci. §. si fun. si ser. uendi.

b Bart. in §. quæst.

c l. pro parte. de seruit.

d d. §. quod ex facto.

e d. §. ex his.

f l. si ita fuerit. de man. test.

ſibi imputet: cum ob eius morã conditio pro defecta habeatur, quæ in eius fauorẽ fuerat adiecta. at in casu nostro conditio fauorẽ stipulatoris respicit. a ℭ VT IN ILLA STIPVLAVIONE. Sic habent antiqui recentioresq́ codices: at in Pandectis Etruscis simpliciter scriptum est, illam stipulationem. unde magna erroris caligine obtectus est Ludouicus Bologninus: cuius interpretationes perlegendas ociosis tantum relinquimus. Ego non arbitror Latinè dici, peccari illam stipulationem, id est in illa stipulatione: licet Græca figura actiuo in uerbo id admitti posset: à qua tamen elegans, & perpolitus Pauli stylus plurimùm abhorret. quapropter non censeo temere mutanda, quæ tandiu obtinuerunt. b ℭ HAEREDEMQVE TVVM. Indeterminata hæc pronunciatio plurali significationi æquipollet. hinc si constitutum sit, ut homicida decolletur, nisi pacem habuerit ab hærede, ab omnibus habenda erit: atque ita sæpius responsum est: licet alij aliter uarijs altercationibus [g]. c ℭ HIC SIT. Ad proximius referendum est, uidelicet ad stipulationẽ per te non fieri, neque per hæredem tuum, &c. non enim uidetur idem esse, cum stipulatione iter fieri, sed potius cum stipulatione, Titium hæredemq́ ratum habiturum. utrobique enim mentio est hæredis. d ℭ TITIVM HAEREDEMQVE. Stipulationem hanc prætoriam esse Bar. existimauit: traditq́ in prætorijs stipulationibus, quoniam in eis æquitas præsertim attenditur, etiam si indiuiduæ sint, pœnam non nisi aduersus contrafacientem, pro rata portione committi: quoniã Iulianus inquit [h], omnes prætorias stipulationes eiusdem interpretationis esse: ut non quæratur, nisi stipulanti pro parte sua, eodemq́ modo committantur: siue à parte actoris, siue à parte rei plures hęredes extitissent. Sed ego in utroq́ dissentio: nam promissio rati per procuratorem præstita, ipsa uerè est prætoria: at hìc non procurator, sed dominus ipse promiserat se ratum habiturum. Nec Iuliani responsum rectè ab eo perceptum est: non enim hoc ibi agit Iulianus, ut de transfusa obligatione loquatur: sed simpliciter ostendit, quamuis in prætorijs stipulationibus, alteri possit etiam absque cessione actio quæri: quamuis item causa, quæ tractatur, sit communis: non tamen cautionem uni hæredi præstitam, alteri prodesse. quapropter si quis litem mouerit, & decesserit pluribus hæredibus relictis, deinde præstetur cautio iudicatum solui, tametsi causa sit connexa, tamen ea cautio non proderit, nisi ei pro quo est interposita. atque ita Aretinus & Iason tradidere, & ante Bartolum ueteres omnes aliter existimarunt: à cuius sententia & aliqui recentiores diffident, ut minimè eius rationem habendam opiner: tractatũ enim hunc omnem subuerteret. e ℭ PAVLVS RESPONDIT, NON ESSE IDEM. Sic habent omnes codices, præter Tuscorum Pandectas, in quibus hæc omnia de albo reiecta legere est. sed idcirco à uulgata lectione ipse non recederem: nam & earum autoritas non multùm me mouet, cum & in eis aliqua sint manifesta errata, ut minimè Iustiniani illud autographon putem. decidit ergo Iurisconsultus, istas stipulationes inter se plurimùm differre. f ℭ SOLVS TENEBITVR. pro parte hæreditaria, ut aiunt communiter: sed ego arbitror insolidum teneri: dictio enim solus actum insolidum tribuit [i]: & hoc in casu nostro inductum est propter hæredis adiectionem: uidetur enim actum, ut stipulatio ab eius persona incipiat. quapropter cum quilibet hæredum habeatur pro principali, qui contrafacit, solus & insolidum tenetur: & hoc, quia obligatio est diuidua: alioquin si indiuidua esset, ut illa per te nõ fieri, nec per hæredem, &c. ex facto unius omnes insolidum tenerentur, ut ego sentio. Licet communiter contrà sentiatur: ut sit penitus idem in stipulatione, Titium hæredemq́ ratum habiturum, quod in stipulatione, amplius non agi.

non poterit, [a] ut in illa stipulatione per te non fieri, neq́ per [b] hæredem tuum, quò minus mihi ire agere liceat. Sed uideamus ne non idem [c] hìc sit, sed magis idem quod in illa stipulatione [d] Titium hæredemq́ eius ratum habiturũ? Et [e] Paulus respondit, non idem esse. nam hac stipulatione & [f] solus tenebitur, qui non habuerit ratum: & solus aget à quo fuerit petitum. idemq́ & Marc.

g in viij. q. Bar.

h l. pœnales. §. Iulianus. ad leg. falci.

i l. cum solus. supra de usucap.

C

D

A agi. a ℂ QVAMVIS. Sentit hîc Iuriſconſultus tacitum argumentum, cum dominus ſi pro parte ratificet, in totam pœnam incidat. ergo & ſi unus hæres ſolùm contraueniat, quo caſu pro parte tantum prçiudicat, deberet pœna in totum aduerſus omnes committi: cum omnes ſimul teſtatoris perſonam in totum ſuſtineant, non ſinguli. Sed nihilominus Iuriſconſultus decidit alios non teneri, quia obligatio diuidua: & ita ſententia noſtra in huius reſponſi intellectu defendi poſſet, quæ neſcio quantum ſtudioſis placitura ſit. Ipſe certè non dubito, quin ſit ueriſſima; niſi fortè in hoc ultimo uerſiculo cōmunis interpretatio magis arrideat.

uidetur:[a] quamuis[b] ipſe dominus[c] pro parte ratū habere[d] non poſſit.

b ℂ IPSE DOMINVS. Mutatur ergo conditio obligationis à defuncto in hæredem, quod contra regulam eſt: ſed iſtud eſt propter legem XII. tabularum, quæ diuidit obligationes transfuſas. quapropter ubi obligatio ab hæredibus incipit, non mutatur. non ergo diſtinguitur de principali in hæredes, ſed de obligatione transfuſa in non transfuſam. ſed de hoc latius ſuprà. c ℂ PRO PARTE. Si ergo ratum partim habet, partim non habet, conſequetur ſtipulator ſolidam pœnam. unde conſequēs eſt, ut pro ea parte quæ obſeruata fuit, ſtipulator pœnā quoq; conſequatur: quod abſurdum eſt: conſequeretur enim & rem, & pœnam[k]. Sed id argumentum ita diſſoluitur, ut communiter Doctores putent cogi ſtipulatorem, ſi integram pœnam conſequi uelit, id utilitatis compenſare, quod ex partis obſeruatione percepit. d ℂ NON POSSIT. Atqui uideretur poſſe: nam ſi procurator promiſerit ſimpliciter Titium ratum habiturum, & Titius pro parte ratum habeat, condemnabitur ſolùm procurator in id quod intereſt ratione partis inobſeruatæ[l]. Sed hæc diſſimilia ſunt: hîc enim promiſſa eſt pœna, quæ ut euitetur, debet promiſſor in totum obſeruare: atque id communiter dicitur. Sed adhuc obſtat. Finge me nomine Titij renunciaſſe certæ ſpeciei indiuiduæ, & promiſiſſe eum ratum habiturum: ſi aliquis hæredum non obſeruat, nónne ſtipulator partem rei ipſius retineret: pro parte uerò id quod ſua intereſt à me conſequeretur? quod abſurdū eſt. Sed reſponde in caſu huius reſponſi, ipſum dominum promiſiſſe ſe, hæredemq; ſuum ratum habiturum: quapropter ex ea promiſſione datur exceptio ſtipulatori, qua hæredem promiſſoris contrafacientem repellat, nec inuitus cogetur in diuerſa ſpecie ſatisfactionem conſequi. at in propoſito caſu nulla exceptio ſtipulatori competit: cum ex mea promiſſione non Titius ipſe, hçres ue eius, ſed ego tantū obliger.

B

in §. ex his.

k l. reſcriptum. §. ſi pacto. ff. de pact.

l l. ſi procurat. infrà rē ra. ha.

F I N I S.

[illegible]

QVAE RVBRICAE, IVRISCONSVLTORVM RESPONSA, CONSTITVTIONES, ALIAEQVE IVris ciuilis sanctiones, in præsentem diem malè intellectæ ius omne turbauerint: & hoc in opere tandem uero sensu declaratæ sunt, propulsatis errorum nebulis.

FINIS.

ANNOTATIONES IN VARIOS AVTORES, QVIBVS ALITER QVÀM AB ALIIS, QVORVM SIT AEDITA SENTENTIA, OBITER COMPLVRA DECLARANTVR.



FINIS.

VOCVM ET RERVM IN HOC opere contentarum index.

Pancratium

FINIS.

CHARTARVM SERIES.

a A B C D E F G H I K L M N O P
Q R S T V X Y Z Aa.

Omnes sunt terniones, præter a duernionem.

BASILEAE IN OFFICINA
ANDREAE CRATAN-
DRI, MENSE
SE-
PTEMBRI,
ANNO
M. D. XXXI.



